STATVTORVM ECCLESIASTICAE TERRAE SANCTI ELPIDII VOLVMEN.



IMPRESSVM MACERATAE,
Per Sebastianum Martellinum Maceratensem, Labente
Anno Dominicę Incarnationis. M. D. LXXI.

IOANNES BAPTISTA BONFINIS CIVIS,

ET CANCELLARIVS MAGNIFICAE

Terrae Sancti Elpidii,

Ad Lectorem.

CVM ad Hominum conciliationem, societatemq; conseruandam, Ciuitatesq;, ac Populos ritè, recteq; regendos, & gubernandos, ac unumquemque ad bene, beateq; uiuendum, inuitandum, & alliciendum, uel inuitum etiam cogendum, nihil omnino efficacius, magisq; proficuum, & conueniens esse Viri Sapientes arbitrati fuerint, quàm sanctissimam Iuris, ac Legum disciplinam, & propagationem, sine quibus si suo cuique arbitratu uiuere liceret, usque adeò procliuis ad malum esse dignoscitur nostra hęc Humana Natura, q; nullus omnino esset Iustitiae, ac honestati locus; quibus sublatis, Oppida, Vrbes, ac Regna omnia quid nam essent, nisi uetus illud Chaos? Omnia etenim cędibus, rapinis, ruinis, infandisq; criminibus, ac sceleribus momento temporis in pręcipitium ruerent. Nam brutorum more uiuerent homines, ac rationis prorsus expertes, uiribus, ac armis inter se assiduè decertarent: unde nullo pacto Humani Generis Societas contineri posset, pęnitusq; dissolui necesse foret. Hinc moti quondam Moses ille Hebręorum Ductor, & Princeps, durę illi ceruicis Populo, Solon, ac Draco Athenienfibus, Lycurgus Lacedęmoniis, Mercurius Trimegistus Aegyptiis, Numa Pompilius Romanis, innumeriq; alii sapientissimi, prudentissimiq; Viri, diuersis aliis Populis, diuersas condidere Leges, & Instituta sanxere, quorum metu humana coerceretur audacia, tutaq; foret inter improbos innocentia. Sed tametsi ueteres illi Sapientes satis abundè, ut Homines rectè uiuerent, consuluisse uisi sint, non omnibus tamen eadem iura conueniunt. Quaelibet enim Prouincia abundat in sensu suo, & prout tempora uariantur, sic etiam decet Iura, ac Instituta Locorum quorumcunque uariari, ac in melius reformari, & ad temporum, locorum, ac morum conditiones humana statuta accõmodari. Prouidè igitur Elpidiensis hic Senatus huius Patriae ueteres Leges, ac antiqua Instituta pro maiori parte iam exoleta, ac uti parum commoda explosa, innouanda, ac reformanda, nouasq; Sanctiones addendas, prout praesens temporis, ac loci occasio postulat, decreuit, & canonicè sanciuit, negociumq; huiusmodi pertractandũ D. MARINO BRVNETTO, & D. IOANNI FRANCISCO MEDALLIO Iurisconsultis, unà cum Nicolao Mallio Notario publico, meq; Ioanne Baptista Bonfini, demandauit. Qui opus huiusmodi (quantumuis arduum) aggressi, non absque multis uigiliis, tandem post longos exanthlatos labores, ad umbilicum perduximus, summoq; studio, ac diligentia ante omnia perscrutati fuimus ueteres, antiquioresq; huius Oppidi Municipaleis Sanctiones, & Statuta olim nouissimè compilata, & reformata per quondam Iacobum Iacobi, Andream Francisci, & Augustinellũ Nicolai tunc seniores, & prudentiores Populi. Cùm non multis ante annis (prout ex uetustis Monumentis clarè colligitur) magna, & quidem potior pars huius Oppidi quondam florentissimi, ab immani, efferatoq; Tyranno Reginaldo à Monte Viridi diruta, ac solo ęquata fuisset, id quod in hunc usq; diem nonnulla tantę ruinę uestigia apertissimè testantur. Constat enim, eundem immanissimum Tyrannum, qui eo tempore in uniuersa Firmanorum Ditione crassabatur, satis magnas Militum, Peditum, Equitumuè Copias parasse, & huic Oppido nihil tale uerenti ex tempore insultasse, eiusq; adiuuantibus Regulis quibusdam tunc Picęntem Agrum ui armata undequaque infestantibus, uidelicet Comite Lucio sexcentorum Equitum Duce, Bartholomęo à Sancto Seuerino, & Francisco Mathelicano, Oppidanis frustrà locum tuentibus, non sine magna cęde po

titum fuisse, Oppidumq; direptum igni, ferroq; uastasse, quatuor præcipuè ex octo Vicis funditus euersis, labente Anno Humanæ salutis Millesimo tricentesimo septuagesimo sexto, sexto Idus Septembris, qua die Natalis Deiparæ Virginis à Piis Christicolis deuote celebratur, tuncq; à sacrilegis, impiisq; Tyrannorum militibus direptum, incensumq; fuit augustissimum illud Templum Diuo Augustino dicatũ in eminentiori Oppidi parte, ubi sub maiori Altare asseruabatur una ex sacratiss. Spinis Coronæ D. N. IESV CHRISTI, auctore B. Clemente Elpidiensi tunc Augustinianæ Religionis Præside generali. Hoc autem indicat titulus ibidem inscriptus sub his uerbis, quæ in hunc usque diem conspiciuntur, uidelicet. M.CCC.LXXI. die XV. mensis Martii confectum fuit Altare. Hic iacet Spina Sancta, quæ eo direptionis tempore subrepta, ac sublata fuit, & hactenus ab illicitis detentoribus occupatur. Et post euersam eam Oppidi nobiliorem partem, ex quatuor superstitibus Vicis (prout nunc cernitur) fuit Oppidum reformatũ. Cuius uetus magnitudo colligitur à numero cẽtum, & quinquaginta Senatorum publico Regimini præfectorum, prout in ueteri Statutorum Volumine proditum est. Nec deerant olim plura Castra huic Oppido immediatè subiecta, eorundem bellorum tempore diruta, quorum uix nomina, & pauca adhuc uestigia supersunt, inter quæ præcipuum recensebatur Castrum Castri nomine nuncupatũ, ubi uenerabile quondam extabat Delubrum Diuo Martiali erectum, satis celebre, cuius ruinam nostro quoque tempore constantes parietes testantur. Agri feracissimi, ac satis ampli Situm breuitatis causa libitum est equestri hic, potius quàm pedestri oratione describere.

ELPIDIENSIS AGRI TOPOGRAPHIA.

ELPIDIVS Diuus, diues queis rebus abundet,
 Hæc, qui scire cupit, Carmina pauca legat.
Liber, & alma Ceres, simul hic sua dona Minerua
 Largitur, nusquam copia maior adest.
Per mare, per terras Oleum, Triticumq; uehuntur,
 Vinaq;, poma parit plurima, pingue solum.
Littore pulchra sedet statio quoque fida Carinis,
 Hæc est Adriaci gloria magna Sinus.
Dat Mare, dant multos labentia Flumina Pisceis,
 Mellificans passim multa susurrat Apis.
Captat Aueis Auceps, Lepores Venator, ubique
 Arridet, grata est, fertilis omnis humus.
Et gemino fines clauduntur Flumine utrinque,
 Tigius hinc, hinc Clens murmurat Amnis aquis.

De origine, deq; ueteris huius Oppidi conditionibus, ad propagandam posteris memoriam pauca hæc præfari non ab re uisum est. Inconcussam autem fidelitatem, ac deuotionem Elpidiensis huius Oppidi erga Sacrosanctam Rom. Ecclesiam Catholicã, & Apostolicam, Summosq; Pontifices ab immemorabili tempore citra in hunc usq; diem constanter, inuiolabiliterq; seruatam, Ioannis XXII. Diploma inferius descriptum indicat, cuius exemplum ex proprio Originali sumptum infra sequitur, & est tale, uidelicet.

IOANNES Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis Filiis Populo, & Vniuersitati de Sancto Elpidio Ecclesiæ Romanæ Fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Non latet in abditis fidelitatis uestræ constantia, quam nobis, & Ecclesiæ Romanæ matri uestræ inconcussa stabilitate seruastis. Audiuimus etenim, (Filii) q; olim pro huiusmodi fidelitatis integritate seruanda, dilecto filio Amelio Præposito Bellimontis

limontis Capellano nostro Marchiæ Anconitanæ Rectori, contra nostros, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ rebelles, excidiis personarum, ac laborum oneribus non uitatis, constanter, & firmiter astitistis. Nec etiam ignoramus, q licet persequutio sæuiens rebellium eorundem contra uos perfidiæ suæ impietatem armauerit, nunquam tamen in sinistri partem lateris declinastis, nec rebellium ipsorum praua suggestio pedes uestros in huiusmodi fidelitatis cõstantia radicatos, prout super his dictus Rector syncæritatem uestram præconio multę laudis attollit, Nosq; illam cum gratiarum actionibus commendamus, ab illius soliditate potuit commouere, propter quod Thesaurus fidelitatis huiusmodi nostris, & Ecclesiæ memoratæ conspectibus, tanquam auri massa purissima nullius admissa commixtione rubiginis, claris operum fructibus præsentatur. Dignè igitur uobis nostram, & eiusdem Ecclesiæ beneuolentiam uindicastis, & dignè in ipsius gremio locum meruistis fauoris, & gratię pręcipuum obtinere, quam eò libentius deuotioni uestræ syncæritatis offerimus, quò uos magis acceptum, & gratum Nobis, & eidem Ecclesiæ reputamus obsequium impendisse. Cùm igitur non sit cępisse, sed potius perfecisse Virtutis, nec inchoantibus, sed (iuxtà uocem Euangelicę Veritatis) pręmium perseuerantibus tribuatur, Vniuersitatem uestram paterno rogamus, & hortamur affectu, quatenus faciem uestram contra pręfatos rebelles stabiliter offirmãtes, & sicuti Filii Benedictionis, & gratiæ persistentes in huiusmodi fidelitate constanter, eidem Rectori cõtra rebelles eosdem, pro uestra, & Apostolicæ Sedis reuerentia, more solito potenter, & uiriliter assistatis, ut per hoc dictæ Prouinciæ status ad tranquillitatis optatę dulcedinem, Austro flante Cœlestis auxilii, reducatur, uosq; reperire in uestris, & Terræ uestræ oportunitatibus, & honoribus promouendis meritò ualeatis nostram, & dictæ Sedis apertam ianuam gratiarum. Datum Auinioni. Decimo kal. Octobris. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Omisso Sigillo plumbeo pendente cum Cordulis solitis, in quo
extat inscriptio, uidelicet Ioannes Papa XXII.

In quot autem Libros, quonè ordine sit Opus hoc distinctum, sequens indicat Epigramma. Authographum uerò, siue exemplar Bastiano Martellino Maceratensi Impressori traditum sub Regimine, & Magistratu prouidorum Virorum Octauii Acciarini, Philippi, & Bartholomęi de Fascitellis, non sine magno labore manu propria Ego Idem Ioannes Baptista Bonfinis Ciuis, & Scriba Elpidiensis descripsi, ad laudem, decus, & gloriam Omnipotentis DEI, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, adq; Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatem, & deuotionis incrementum, & perpetuam Elpidiensis Populi tranquillitatem. Vale. Ex Aedibus Publicis Terræ Sancti Elpidii. Kal. Octobris. M. D. LXX.

INDEX LIBRORVM

MVNICIPALIVM LEGVM TERRAE SANCTI

ELPIDII HOC EPIGRAMMATE CONTINETVR.

STATVTA, ac Leges, & Municipalia Iura
ELPIDII SANCTI continet iſte Liber.
Ordine cuncta ſuo diſcreta Volumina ſeptem
Demoſtrant, grauibus queque probata uiris.
Primus Feſta Liber ſignat ueneranda, ſubinde
Atque Magiſtratus, publica & officia.
Ciuileis cauſas decidit ritè Secundus,
Tertius at punit crimina, & omne nephas.
Ordinis experteis cauſas regit ordine Quartus,
Stat Quinto damnis debita pœna datis.
Cognoſcit Sextus cauſas ratione ſecundas,
Iudicis errores corrigit iſte mali.
Septimus imponit rebus uectigal emendis,
Et pœnam indicit fraudibus, atque dolis.
ELPIDII SANCTI Populûs recture, memento
Hunc legere aſsiduè, nocte, dieq; Librum.
Nam ius cuique ſuum, diſces hinc reddere, rectum
Iudicium facies, hoc duce iuſtus eris.
Iuſtitiam his armis poteris, pacemq; tueri,
Hinc nomen clarum, premia digna feres.

INDEX OMNIUM, ET QUARUMCUNQUE RUBRICARUM, QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

TABULA RUBRICARUM PRIMI LIBRI, De Cultu Diuino, & Regimine Reipublica.

TABULA RUBRICARUM SEcundi Libri, Super Ciuilibus Causis.

TABVLA RVBRICARVM TERTII Libri, Super Causis Criminalibus.

TABVLA RVBRICARVM QVARti Libri, de Causis Extraordinarijs.

TABVLA RVBRICARVM QVINti Libri Damnorum Datorum.

TABVLA RVBRICARVM SEXti Libri, de Appellationibus.

TABVLA RVBRICARVM SEPtimi Libri, de Vectigalibus, & Gabellis.

F I N I S.

IN DEI NOMINE. AMEN.

MVNICIPALIVM LEGVM, AC STATVTORVM

ECCLESIASTICAE TERRAE SANCTI ELPIDII

De Cultu Diuino, & Regimine Reipublicę Liber Primus feliciter incipit.

De Festiuitatibus uenerandis. Rubrica Prima.

QVONIAN Deorum Immortalium Numine omnia regi, gubernariq; certissimum est, iccircò adhibenda præcipuè diligentia est, ut in cogitatione Legis Diuinæ, in Cultu Pietatis, & in Sanctarum Virtutum exercitio Populus Terrę nostræ SANCTI ELPIDII iugiter uersetur. Nam cùm Deorum Cultus in Patria deficit, nemini dubium est, perire Pudicitiam, & Castitatem, mori Iustitiam, & cæteras Virtutes obire. Vt igitur in dicta Terra nostra SANCTI ELPIDII DEO OPT. MAXIMO debitus Honor, & diligens tribuatur Cultus, ad ipsius Supremi Numinis, & Sanctorum eius Decus, & Gloriam, infrascriptas omnes Festiuitates, & alias per Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam ordinatas colendas, custodiendas, ac perpetuò uenerandas esse, pręsenti municipali Lege decernimus, atque sancimus. Festa itaque ueneranda hęc sunt, uidelicet. Omnes dies Dominicales, dies Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI cum duobus diebus sequentibus, Festum Sanctorum Innocentium, Circuncisionis, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis eiusdem D. N. IESV CHRISTI cum duobus diebus subsequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Corporis CHRISTI, Veneris Sancti, Festiuitates omnes Gloriosissimæ Virginis Matris MARIAE, Natiuitatis, & Decollationis Sancti Ioannis Baptistæ, omnium Sanctorum Apostolorum, & Euangelistarum, Gloriosi Sancti ELPIDII Confessoris, ac Protectoris Terræ nostræ de mensibus Nouembris, & Maii, Sancti Sebastiani, Sancti Michaelis, Sancti Augustini, Sancti Francisci, Sancti Antonii, Sanctę Crucis de mense Maii, Sancti Rocchi, Sancti Nicholai, Sancti Martini, Sanctę Catharinę, Sanctæ Lucię, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sancti Barnabęi, & Festum omnium Sanctorum. In quibus diebus nemini liceat aliquod opus rurale, manuale, uel artificiale exercere, facere, uel fieri facere quouis modo, seu quæsito colore; nec salmas cuiuscunque rei portare, uel portari facere, foueam aperire, stationem, seu apothecam rerum uenalium apertam tenere, nec ex rebus in ea existentibus alicui dare, uel uendere, nec emere, uel accipere, sub pœna, si fuerit in Festiuitatibus Dominicalibus, Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI, Paschatis Resurrectionis eiusdem, Ascensionis, Pentecostes, Corporis CHRISTI, Gloriosissimæ Matris Virginis MARIAE, ac Beati ELPIDII Protectoris huius nostrę Terræ, quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet sine diminutione à contrafacientibus soluendorum. Si uerò in aliis festiuitatibus contrafactum fuerit, pœnam uiginti solidorum de facto contrafacientes soluere cogantur, & compellantur omnino. Liceat tamen prædictis diebus (præter Dominicos dies, Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI, dies Paschatis Resurrectionis eiusdem, Ascensionis, Pentecostes, &

Corporis CHRISTI) unicuique Aromatario aperire apothecam pro dandis medicinis infirmis,& uendendis speciebus,& confectionibus,uel aliis rebus necessariis,tam Terrigenis,quam Forensibus,quibus semper,& quandocunque liceat huc accedentibus cum rebus uenalibus illas portare,& uendere: & liceat etiam deferre macinas,præhabita prius licentia ab Ordinario Ecclesiastico,siue à Rectore Prouinciæ,& portare ligna ab ędificiis, & lapides magnos, quę cum bestiis portari non possent: necnon aquam pro usu domus, & familię,poma,olera,herbã,& stramina pro bestiis pro ea die tantùm necessaria,& sufficientia; & in omnibus casibus necessariis granũ cribratũ ad Terrã portare, uel conducere,seu côduci facere, ne remaneat ad pluuias: & Macellariis horis debitis carnes publicè, & palã uendere: & Ferrariis,seu Fabris in casibus necessitatis ferrare animalia,& res,quas siccare oportet,ad Solem exponere,furnũ calefacere, panes coquere,carnes assare,& alia ad comedendum apta facere, cum licentia tamen Vicarii foranei, siue D. Prætoris. Pro prædictorum autem inuiolabili obseruatione uolumus,& mãdamus,quod Rector,seu eius Iudex in principio sui officii eligi faciat per DD. Priores pro tempore existêres duos probos uiros pro qualibet contrata,seu quarterio,qui iurent,& promittant denunciare omnes,& singulos contrafacientes in prædictis,& quolibet prædictorum in Terra, & extra Terram: & eis,& cuilibet ipsorum cum iuramento credatur circa præmissa, & secreti teneantur, quartam partem prædictarum pœnarum lucraturi.

De Solennitate celebranda quolibet Anno in Festo Sacratissimi Corporis CHRISTI. Rub. II.

CVM deceat Dominum,& Sanctos suos uenerabiliter honorari, ipsumque in se ipso solennius conueniat uenerari,& eius Festum in ipsius D. N. Saluatoris memoriam institutum deuotissimè celebrari,iccirco statuimus,& ordinamus, & hac in perpetuum ualitura lege sancimus,quod singulis annis Festum Sacratissimi Corporis CHRISTI, quod per Ecclesiam celebratur,debeat per omnes Ciues,& incolas nostræ Terræ, & totum Populum eiusdem deuotissimè coli,& celebrari: cuius rei causa omnes, & singuli mares,& fœminæ dictæ Terræ singulis annis in die dictę Festiuitatis conuenire debeant cum Clero in Ecclesia Sancti ELPIDII ad associandum Corpus D. N. IESV CHRISTI per Sacerdotem,seu alium Clericum deferendum cum Clero per dictam Terram, & loca eiusdem solita, & consueta. Ad portandum autem Baldacchinum præponi debeant, & eligi meliores Ciues dictæ Terræ, postea uerò DD. Priores, qui uicissim,& alternatim (prout opus fuerit,& necesse) deferãt dictum Baldacchinum, à qua electione nemo possit, seu ualeat excusari. Teneantur etiam, & debeant singulæ Fraternitates conuenire ad dictum Festum indutę propriis saccis,& deferre Cereos condecentes secundum earum possibilitatem. Ac etiam teneantur Collegia,seu Artes conuenire ut supra,& deferre pro quolibet Facem,seu Cereum condecentem, sub pœna pro quolibet Collegio,seu Arte decem librarum den. Debeant insuper omnes Clerici cuiuscunque Ordinis, & Religionis cum Crucibus ad dictum Festum accedere, & Reliquias Sanctorũ,si quas habent, secum portare,seque ad dictam Ecclesiam præsentare dicta die de mane hora solita,& consueta pro celebranda solennitate prędicta. Et quilibet habens domos proprias,uel conductas propè stratas,per quas soleat Sacratiss. Corpus deferri, teneatur,& debeat parietes pãnis condecentibus cooperire,scopis mundare,ac bene tergere,floresque spargere,sub pęna unius floreni pro quolibet cõtrafaciente, Communitati, Venerabili Societati dicti Corporis CHRISTI, & Officiali exequenti pro æquali portione applicañ. Et ut in Solennitate prędicta orationes Fideliũ melius exaudiantur, & Diuina placetur Maiestas,ordinamus, ac hortamur in Domino, quod omnes,& singuli de dicta Terra, & eius districtu debeant ad minus confiteri quisque peccata sua, & pœnitentiam suscipere salutarem. Ac etiam ordinamus, ut ab hora uespertina uigiliæ, seu

diei

diei præcedentis festum prædictum,& per totũ diem festiuitatis prædictę omnes utriusque sexus cõquiescant,& desistant ab eorum operibus,& negociationibus temporalibus, & aliis actibus iudicialibus; & prædictum tempus sit totaliter feriatum. Prædicta uero præconizari,& notificari facient DD. Potestas,& Priores per octo dies ante dictum festum per loca solita,& consueta per Præconem dicti Communis, ut omnes, & singuli se commodius possint præparare,sub pœna dictis DD.Potestati,& Prioribus in prędictis negligentibus uigintiquinque librarum denariorum Communi de facto applicãdarum.

De ueneratione Festi Sancti ELPIDII. Rub. III.

DIGNVM, ac iustum esse censemus(præcipuè cunctis Elpidianis)honorem,& omnimodam reuerentiam exhibere Glorioso,ac Beato ELPIDIO Aduocato nostro,Protectori,& defensori;qui pręcæteris aliis sua pietate,& misericordia,ac intercessione apud DEVM Patrem Omnipotentem Terram nostrã Elpidianam,eiusq; Ciues,incolas,& habitatores ab omnibus periculis conseruare consueuit. Iccircò solitam,& uetustissimam consuetudinem approbãtes,statuimus,& ordinamus, q. Mag.DD,Priores unà cũ omnibus Officialibus,salariatis,Conciliariis,& toto Populo in Festiuitatibus Sancti ELPIDII de mense Maii,& Nouembris teneantur,& debeant congregari in Aula magna Palatii Cõmunis dictæ Terræ,& inde asportare, & asportari facere expensis Cõmunis Candelas cereas magnas,& paruas accensas,ut moris est, ad Ecclesiam Sancti ELPIDII, & offerre Altari in manibus Sacerdotum.Quę oblatio fieri debeat in uesperis ante festum prędictum, & de mane in celebratione Missarum, præcedente tamen ante Mag.DD.Potestatem,& Priores Pallio serico dicti Communis in memoriam antiquissimę obseruationis.Et D.Potestas teneatur suis sumptibus emere,& portare,seu portari facere unum Cereum ponderis duarũ librarum ad dictã Ecclesiam,& similiter Medicus; Cancellarius uerò,& alii Officiales salariati unius libræ,& offerre,ut supra, sub pęna contrafacientibus quinq; librarum deñ. de eorum salario retinendarũ. Et pro maiori ueneratione dictæ Festiuitatis,ordinamus,q. perpetuis futuris temporibus de mense Maii nostrum Cõmune teneatur,& debeat annuatim creare unum Contestabilem,& Capitaneos Contratarum,& Bubulcorum,& aliarum Artium,& Societatum,& facere armatã, & monstram more solito,& consueto,pręhabita tamen prius licentia à Reuer.D.Rectore pro tempore in Prouincia existẽte, & secundum qualitatẽ temporum, prout Concilio generali dictæ Terræ uidebitur,& placebit;& eius Festũ custodiatur,& custodiri debeat à Vesperis diei præcedentis ab omnibus,& singulis Terrigenis,incolis,& habitatoribus dictæ Terræ,& eius districtus,sub pœna quadraginta sol. pro quolibet, & uice qualibet.

De Elemosynarum erogatione. Rub. IIII.

QVONIAM Elemosyna peccata extinguit, sicut aqua ignem, ideò ad honorẽ Omnipotentis DEI, & totius Curię Cœlestis statuimus,& firmiter ordinamus, q. Mag.DD.Priores pro tempore existentes teneantur,& debeant singulis futuris temporibus de ęre,& bonis Communis portare, seu portari facere ad Ecclesias dictæ Terræ in earum Festiuitatibus unum Cereum ualoris uigintiquinque solidorum, & Candelas ad sufficientiam more solito,& cõsueto,& plus,seu minus, prout Concilio uidebitur, sub pœna DD.Prioribus,si in prędictis negligentes fuerint,decem librarum denariorum de eorum salario retinendarum pro quolibet,& uice qualibet sine aliqua remisione.

De Regimine Terræ Sancti Elpidii. Rub. V.

VT nihil antiquitatis pęnitus ignoretur,cùm in ueteri statuto posito sub hac eadem rubrica reperiatur numerũ Conciliariorum fuisse centum, & quinquaginta proborum uirorum, & postmodum propter Terræ, Populiq; diminutionem redactum fuisse

ad numerum octoginta hominum; nos dictum numerũ reſtringentes ob difficilem Ciuium congregationem,& temporum qualitatem ſic exigẽtem, ſtatuimus,& ordinamus, q̧ de cętero numerus Conciliariorum Terrę prędictæ ſit,& eſſe debeat ſexaginta proborum uirorum. Qui prædicti ſexaginta uiri Conciliarii habeant plenum, & generale arbitrium,poteſtatem,& iuriſdictionem ſtatuendi,conſtituendi,ſanciendi,ordinandi,& reformandi omne id, & quicquid eis, uel maiori parti ipſorum uidebitur conuenire pro bono, & pacifico ſtatu huius noſtræ Terræ.Quicquid autem per eos, uel maiorem partem eorum ſtatutum,cõſtitutum,ſancitum,& reformatum fuerit, plenam obtineat firmitatem: capitulo,ſtatuto, conſtitutione aliqua, uel reformatione facta in contrarium non obſtante. Præſens autem capitulum ſit perpetuum, & conſtans, & Prætor, cæteriq́; Officiales dictæ Terræ ſemper teneantur ipſum obſeruare, & obſeruari facere in qualibet ſui parte, ſub pœna quinquaginta librarum deñ.pro quolibet, & uice qualibet de eorum ſalario retinendarum. Volumus etiam, q̧ dicti Conciliarii omnes, & ſinguli ſint, & eſſe debeant oriundi ex hac noſtra Terra,Ciues Elpidianenſes continuè habitãtes,ſaltem à uiginti annis citra ante introitum dicti Concilii,& poſsideãt in bonis ſtabilibus propriis ad minus ualorem ducentorum florenorum: aliter autem electi non poſsidentes prædictam quantitatem nullatenus poſsint ingredi Concilium,nec in eo ſtare, nullamq́; in eo uocem habeant.Pro pace uerò,& quiete Ciuium Terrę prædictę,& ne confuſio,ſeu ſcandalum aliquod oriatur, cæteris futuris temporibus ordo iſte in ſedendo inuiolabiliter ſeruetur, uidelicet q̧ omnes Confalonerii de dicto numero ſedeant, & ſedere debeãt ad dexteram in publicis Conciliis: hoc tamen ordine inter ipſos ſeruato, q̧ qui prius officium Confaloneriatus obtinuerit,ille primum locum in ſedendo habeat,& ſequentẽ pręcedat: exceptis Doctoribus, & Equitibus, qui præcedere debeant omnes Confalonerios, eodem tamen ordine inter eos ſeruato. Secundi uerò ad ſiniſtram ſedere debeant, prædicto ordine ſimiliter inter ipſos obſeruato. Tertii autem ſedere debeãt ſubter Confalonerios immediatè, ſecundum præfatum ordinem,ſecundum quem & quarti ſedere debeãt ſubter ſecundos. Qui autem ſunt de Concilio,& non de Regimine,ultimo loco ſedere debeant. Et ſi contigerit eadem die plures eſſe aggregatos,& electos ad officium Prioratus,uel Regiminis, ſorte extrahantur, & prior extractus primum obtineat locum in ſedendo; & hoc locũ habeat in quocunq; gradu. Nec præfatum Concilium congregari, uel adunari poſsit abſq; ſcientia,& uoluntate DD.Priorum cum interuentu,& pręſentia D.Prætoris; ac eo congregato,interuenire debeant ad minus quadraginta probi uiri,cõputatis DD.Prioribus, aliàs ſi ſecus factum fuerit,non teneat,nec ualeat, quinimo irritum, & inane decernimus quicquid propoſitum,& ordinatum fuerit.Et DD.Priores contrarium facientes,uel alii arrengantes,uel conſulentes,incidant in pęnam uigintiquinq; librarum deñ. de facto Cõmuni applicandarum.Et eadem pęna plectatur Cancellarius,niſi expreſsè contradixerit, & ſi aliquid ſcripſerit.Et ne ea,quę in Conciliis celebrandis de cętero tractari,uel expediri contigerit, ab aliis ſciantur, & propalentur, ſed ſecreta teneantur, uolumus, nemini licere conſultata,tractata, arrengata, diſpoſita, uel quomodolibet ordinata in dictis Conciliis propalare,ſeu reuelare directè,uel indirectè,nutu,uel literis,uel quouis alio modo,ſeu quęſito colore, ſub pœna uigintiquinq; librarum deñ.de facto à quolibet contrafaciente auferendarum,& Communi applicandarũ. Item ſtatuimus,q̧ quotieſcunq; contigerit in præfato Concilio tractari cauſas, ſeu negocia alicuius, ille,de cuius negocio tractari debet, & eius agnati,cognati,attinentes,& affines uſq; in tertium gradum conſanguinitatis, uel affinitatis de iure Canonico computandum debeãt actualiter recedere de loco Concilii,& non redire,donec,& quouſq; dicta cauſa tractabitur,& uentillabitur,& etiã tempore palluctationis,ſeu ſcrutinii conſiciendi,ſub pęna DD.Prioribus,& Cancellario prędicta nõ obſeruantibus,& obſeruari non facientibus uigintiquinq; librarum deñ. pro quolibet, & uice qualibet; & nihilominus reliqui Conciliarii in dicto Concilio remanentes poſsint,& ualeant tractare,expedire,& exequutioni mandare, ac ſi eſſet integer numerus Conciliariorum,

riorum,non obstante defectu deficientium occasione prædicta: & quicquid per reliquos remanentes Conciliarios tractatũ,deliberarum,ac obtentum fuerit,ualeat,ac teneat perinde ac si omnes Conciliarii affuissent, & uota reddidissent. Item ordinamus,q̃ quotiescunq; in dicto Concilio tractari contigerit de causa,& negocio publicam utilitatem concernente, ut puta de conductione Prætoris,Cancellarii,Medici,Magistri Scolarium,uel aliorum officialium Communis,non possit fieri remissio in particulares homines,sed rligantur in dicto Concilio ad fabas,& palluctas obtinendas, quoniam quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Item prauam consuetudinem de medio tollere cupientes, ordinamus, q̃ de cætero nullatenus in dicto Concilio proponi, uel arrengari possit de remittendo syndicatum cuiq̃ Officialium, nec de donando taxam, uel aliquas alias retentiones dictis Officialibus competentes, sub pęna DD.Prioribus,Cancellario, uel aliter cõsulenti uigintiquinq; librarũ deñ.pro quolibet,& uice qualibet,de facto auferendarum,& quicquid contrafactum fuerit,sit ipso iure nullum,& inualidum,neq; possit in dicto Concilio perpetuis futuris temporibus quo quo modo,seu quæsito colore directè,uel indirectè, sub quacunq; conceptione uerborum, uel forma proponi ultra binas supplicationes pro quolibet Prioratu,seu bimestri non excedentes summam bononenorum uiginti pro qualibet supplicatione,sub prædicta pœna DD.Prioribus, Cancellario, uel aliter consulenti auferenda,& applicanda ut supra, & similiter quicquid secus factum fuerit,sit nullius roboris,uel momenti,& nullum sortiatur effectum. Supplicationes uerò maioris summæ remittantur omnino dispositioni Concilii generalis.

De imbuxulatis,modo,& forma aperiendi capsulam,extrahendi palluctas, & conseruatione capsulæ,ac remittendo alterum pro altero. Rub. VI.

STATVIMVS, & præsenti decreto firmamus, q̃ capsula, in qua existunt palluctæ Dominorũ Priorum, & aliorum Officialium, permaneat, & custodiatur in sacrario Ecclesiæ Sancti Elpidii in una capsa magna clausa duabus clauibus, quarum una sit penès DD.Priores residentes,& altera apud Plebanũ dictæ Ecclesiæ, & in extractione DD.Priorum,& aliorum officialium ordo infrascriptus seruetur,uidelicet q̃ bandito Concilio generali,die pręcedenti accipiatur dicta capsula,& per familiares DD.Priorum deferatur in Conciliũ pręcdictum,associãtibus dictã capsulam DD.Prioribus,& aliis Ciuibus cum Tubis,& solẽnitatibus solitis,& cõsuetis.Qua extractione facta,eodẽ modo, & forma reportetur ad locum pręedictũ, ut supra conseruanda:quę extractio ita fieri debeat,uidelicet q̃ aperta capsula,& accepto buxulo,in quo existũt palluctæ Dominorum Priorum, per Cancellarium numerentur alta, & intelligibili uoce,& in uno baccili ponãtur, & per puerum minorem decem annorum extrahatur una ex dictis palluctis, quam Cãcellarius accipere debeat,& DD.Priores ibi descriptos publicè,& palàm legere,& publicare,& demum reliquas palluctas numerare,& in buxulo reponere sub sigillo Cõmunis conseruandas modo,& forma pręedictis. Qui Domini Priores sic extracti habeãt potestatem, & auctoritatem eis attributam ex forma statutorum,& ordinamentorũ dictæ Terræ,eorumq; officium duret duobus mensibus,& non ultra.Qui sic extracti dictum eorũ officiũ iurare teneantur,nisi legitimã causam habuerint,aliàs priuentur:postea uerò dictũ officiũ acceptare,& exercere teneantur, sub pęna priuationis eorũ officii, nisi similiter legitimã excusationẽ,uel impedimentũ habuerint,& probauerint, quod Iudicis arbitrio relinquatur.Quę capsula nullibi,pręterq̃ in dicto Cõcilio,aperiri possit,uel aliter extractio fieri,sub pęna Pręetori,Prioribus,& Cancellario contrariũ facientibus,uel permittentibus centum lib.deñ.pro quolibet contrafaciente.Si uerò contigerit aliquẽ ex dictis Prioribus in cartula descriptis extractum,esse mortuum,uel absentem,uel infirmũ,uel aliter legitimè impeditũ,tunc recurratur ad buxulum adiunctorum, seu spicciolarorum, & alius extrahatur loco deficientis in publico Concilio,modo,& forma superius declaratis, & tot extrahantur,donec qui legitimam excusationem habeat nullam,extrahatur nomi

na quorum extractorum legitimè impeditorum reponantur in eodem buxulo appicciu latorum. Deficiente uerò aliqua bursa appicciolatorum, tunc per Concilium generale prouideatur de aliis appicciolatis imbuxulandis, prout ei melius, & magis expediens uidebitur, & placebit. Qui appicciulati sic extracti teneantur, & debeant officia, ad quæ extracti fuerunt, acceptare, & exercere, nisi legitimè (ut supra) excusentur, sub iam dicta pœna priuationis officii. Si uerò contigerit aliquem extractum ad aliquod officium esse absentem, uel aliter impeditum, speretur tamen infra octo dies post extractionem accedere posse ad exercendum dictum officium, expectetur per dictum tempus: quo non accedente in dicto termino, sequenti die omnino alius extrahatur modo, & forma præmissis. Si uerò appareret tempore extractionis talem extractum esse ita absentem, & impeditum, ut infra dictos octo dies ad dictum officium exercendum accedere minime posset, nullatenus expectetur, sed statim eodem die extractionis alius extrahatur. Si autem contigerit aliquem ex dictis Dominis Prioribus post inceptum officium decedere, seu (quod Deus auertat) infirmari, uel quouis alio modo impediri, adeò ꝙ officium exercere non posset, tunc, & eo casu alii Collegæ eiusdem intelligãtur habere, & habeant plenam, & omnimodam facultatem, auctoritatem, & potestatem, ac si officium non esset in alio numero, q̃ in remanenti: & hoc, si tantùm unus decederet. Si uerò essent plures, tunc extrahantur alii appicciulati, seu adiuncti loco talium deficientium eisdem modis, ac formis, & ordinibus, quibus supra. Nec quisquam possit in dicto Concilio pro altero remitti uigore alicuius renunciationis factæ, nisi dicta renunciatio prius fuerit facta in Concilio, & acceptata per Mag. DD. Priores, sub pęna ipsis Mag. DD. Prioribus contrarium facientibus, uel remittentibus uigintiquinque librarum denariorum. Item, ne cuiquam iniuria inferatur, Decretum Coronense, uti ęquum, & rationabile, seruandum esse decernimus, ꝙ in numero deficientium Counciliariorum de Regimine, completo tempore Regiminis facti, & expectato tempore noui Concilii conficiendi, quando de nouo Regimine conficiendo tractabitur, filii in locum parentum, & fratres in locum fratrum, & nepotes in locum paternorum, dumodo sufficientia, & ętate uigintiquinque annorum habiles, & idonei reputati, & approbati fuerint in Concilio generali, substituantur, ac pariter subrogẽtur: & ubi filii, fratres, aut nepotes deficerent, alii in loco deficiẽtium de melioribus, & magis idoneis de contrata eorum deputentur, & substituantur; qui sic substituti, & electi teneantur, & debeant quartum locum acceptare, & eo esse contenti, & alium non quærere, uel postulare, sub iam dicta pœna priuationis officii; pręter Doctores, & Equites, quibus (ut supra dictum est) primus locus decernatur. Item uolumus, & ordinamus, ꝙ plures de una, & eadem familia ad inuicem in communione uiuentium de Regimine, uel Concilio, q̃ unus quo quo modo deputari, seu eligi nõ possit, seu scribi: & tamen in illis eligendis infrascriptus ordo seruetur, uidelicet ꝙ ubi pater eligitur, uel electus reperitur, filius excludatur, & ubi frater admittitur, uel admissus reperitur, alter frater, si in cõmunione bonorum cum alio fratre perstiterit, à Regimine, & Concilio pęnitus excludatur, & reiciatur, cæteri autẽ de eadem familia, siue fratres, dumodo diuisim, & separatim extiterint, siue consobrini, siue patruus, uel nepos, dumodo plures duobus ex eodem stipite, & familia non fuerint, si digni, & idonei reputati fuerint, recipiantur pariter, & admittantur, nisi eis aliquod canonicum obstiterit. Quem ordinem inuiolabiliter perpetuis futuris temporibus seruandũ esse decernimus, & mandamus: quibuscunque in contrarium facientibus non obstañ.

De modo congregandi Concilia, proposítas proponendi, arrengandi, ac reformandi, & ponendi partita ad scrutinium ad buxulas rubeas, & albas. Rub. VII.

STATVIMVS, & ordinamus, ꝙ quotiescunque oporteret Concilium generale congregari, non aliter ualeat adunari, nisi cum consensu, & uoluntate DD. Priorum. Et si de eorũ uoluntate processerit, Iudex, siue Rector una die pro altera, siue de sero pro mane

mane publicè dictum Conciliũ banditi faciat, nisi esset pro euidenti aliqua necessitate, uel causa; tunc enim possit una die pro eadem adunari,& congregari: & anteq̃ in dicto Concilio aliquid proponatur, fiat ad minus eadem die Concilium Credentiæ, & in illo propo natue, quod in Cõcilio generali proponi debet. Quod autem obtentum,& deliberatum fuerit per prędictos, uel maiorem partem ipsorum, illud proponi possit in Concilio generali,& si aliter fieret, non ualeat quo quo modo,& Mag. DD. Priores puniantur pro quolibet,& uice qualibet pœna uigintiquinq; librarum denariorum. Et facta congregatione prædicti Concilii generalis, legi debeant per Cancellarium proposita per ordinem clarè,& lucidè, ita quòd omnes de Concilio bene,& plenè intelligant, sub iam dicta pœna Cancellario contrafacienti. Quibus propositis lectis, ut supra, uolens arrengare debeat in manibus Cancellarii Communis iurare de fideliter,& legaliter consulendo pro utilitate publica, deinde Arrengheriam petat. Arrenghatores autem non possint esse in uno Concilio ultra quinque, nisi qualitas negocii aliter postularet, Et nemo audeat in Conciliis, nisi supec propositis arrengare, sub pœna decem librarum denariorum pro quolibet,& uice qualibet,& super eadem proposita semel tantum arrengare, sub iam dicta pœna. Quibus sic consultis, Domini Priores in præsentia Rectoris deliberent quod ex arrengatorum dictis, siue consultis sit ponendum,& mittendum ad partitum, quando non appareret arrengatum, confirmatum esse per unum alium consultorem; quo casu teneantur Domini Priores dictum arrengatum,& confirmatum, ut supra, mittere ad partitum,& si secus fieret, non teneat ipso iure. Quod sic deliberatum, per Cancellarium in scriptis redactum, legatur in dicto Concilio,& dicat apertè, tale dictum talis placet Dominis Prioribus poni ad partitum; quibus placet, ponat eorum fabam in buxulam albam affirmatiuam, quibus autem non, in buxulam rubeam negatiuam,& dictæ fabæ secretè mittantur,& reddantur in buxulas,& non palàm. Nec possit pro una uice mitti, uel recipi, nisi unica tantum faba, sub pœna decem librarum den. qualibet uice,& faba qualibet imponenda,& sufficiat ad uincendum,& obtinendum partitum, si per duas tertias uincatur, nisi in casibus, in quibus per statuta huius Terræ aliter disponeretur,& talis ordo seruetur in qualibet proposita per se, ita q; una proposita cum alia, nullatenus misceatur. Volumus autem, q; si proponatur in Concilio generali, uel speciali aliquod partitum propositũ,& perderetur ratione cuiuscunq; maleficii, rerumq; aliarum, non possit denuo proponi, durante Prioratu residentię,& id proponēte.& si aliter factum fuerit, non ualeat, nec teneat ipso iure: & Domini Priores,& Cancellarius, qui contra prædicta fecerint, incurrant pœnam pro quolibet,& uice qualibet uigintiquinque librarum denariorum de facto auferendarum.

De Concilio speciali, seu Credentię Communis Terrę Sancti Elpidii,& eius ordine. Rub. VIII.

CVM difficile sit,& tædiosum, occurrentibus casibus sępissime generale Concilium conuocari, statuimus,& ordinamus, q; in nostra Terra Sācti Elpidii sit unum aliud Concilium, quod uocetur Concilium speciale, seu Credentiæ de quatuordecim Ciuibus, uidelicet de quatuor Dominis Prioribus pręsentibus, quatuor præteritis,& de aliis sex Ciuibus eligendis de sex mensibus in sex menses de numero Cōcilii generalis, uidelicet de illis de regimine,& aliis Ciuibus eius numeri ad deliberationem,& uoluntatem DD. Priorum. In quo Concilio exequantur ea, quæ uidebuntur esse oportuna,& necessaria pro occurrentibus Communis necessitatibus, uidelicet pro aliqua subita reparatione, aduentu Superiorum, seu Militum, aut pro obuiandis aliquibus scandalis, seu imminentibus periculis,& his similibus. Quicquid autem deliberatum, prouisum,& ordinatum fuerit, eandem uim habeat, ac si in generali Concilio legitimè factum esset, dumodo non excedat quantitatem uigintiquinque florenorum,& plus,& minus, prout facti contingentia exe-

gerit: ab inde uerò supra habeatur deliberatio Cõcilii generalis: & omne id, & totũ, quod aliter factum fuerit per DD. Priores, & Concilium prædictum speciale, seu Credentiæ, sit nullius ualoris, & momenti. Nulla uerò proposita deducatur in Cõcilium generale, nisi fuerit primò, & ante omnia deliberata, & obtenta ad buxulas, & palluctas per duas partes ex tribus partibus dicti Concilii. In quo Concilio debeant congregari ad minus duæ partes prædicti Concilii Credentię, nisi alii deputati Ciues legitimo impedimento essent absentes: tunc enim præsentes suppleant totum numerum Credentiæ per Nuncium uocati, qui non uenientes ad dictum Concilium pro quolibet, & uice qualibet in duodecim solidis puniantur. Et Cancellarius teneatur singulis Conciliis requirere omnes de dicto Cõcilio, eo congregato, & pœnam deficientis ponere in libro debitorum Communis, sub pęna eidem Cancellario contrafacienti decem librarum deñ. de eius salario retinendarum.

De pęna non uenientiũ ad Conciliũ, & inde recedentiũ, eo non completo. Rub. IX.

AD hoc, ut negocia publica facillimè peragi possint, statuimus, & ordinamus, q̃ omnes, & singuli Conciliarii, bandito Cõcilio, & pulsata campana de mane, statim completis ictibus, debeant, & eorum quilibet debeat in Palatio se præsentare in Aula magna Communis, ubi Conciliũ congregari solet. Qui si uenire neglexerint, uel eorũ quis neglexerit, facta requisitione per Cancellarium Communis de mandato Mag. DD. Priorum, puniantur, & eorum quilibet puniatur in duodecim sol. de facto, & sine aliqua mora per Socium militem exigendis: qui statim recepta notula deficiẽtium, exequutionem facere teneatur, captis pignoribus, quę pignora sine ulla temporis mora ad ualuas Palatii subhastari debeant pro dicta summa pœnæ applicandæ Communi pro tribus partibus, & pro residuo Exequutori præfato. Et eandem pœnam incurrant, qui nondum completo Concilio recederent, eo modo, & forma exigendam, & applicandam.

De uociferantibus in Conciliis, & impedientibus Consultores, & offendentibus eos, & suasionibus, uel signis inducentibus ad reddenda suffragia. Rub. X.

TEMERITATI nonnullorum insolentium obuiare cupientes, statuimus, & ordinamus, q̃ si quis existens in Consilio uociferare ausus fuerit, uel aliter uerbis, & factis Consultores impedierit, pœna decem librarum deñ. puniatur. Et si tantę fuerit audaciæ, q̃ contra aliquem Conciliarium uerba iniuriosa protulerit, seu insultum facere tentauerit, pœnam uigintiquinq; librarum deñ. incurrat. Si uerò manu uacua, siue cum armis, uel sine, cum sanguine, uel sine, percusserit, pœna quadrupli eius, ad quod alius teneretur in quolibet prædictorum casuum ex forma nostrorum statutorum, condemnetur, & intelligatur priuatus omni officio, & beneficio nostri Communis per triennium. Eos uerò, qui suasionibus, seu signis, uel alio quocunq; modo induxerint aliquem ex Cõciliariis ad reddendum uotum, seu immittendum fabas ad eius nutũ, & uoluntatem, pœnam decem librarum denariorum incurrere uolumus. Et cuilibet liceat accusare, & accusator lucretur quartam partem pœnæ. Et si Rector, uel Iudex negligens fuerit in exigendo dictam pœnam, eandem ipse incurrat de eius salario retinendam. Super præmissis autem procedi possit summariè, & de facto, absque aliquo processu, sola facti ueritate inspecta.

De auctoritate Mag. DD. Priorum. Rub. XI.

ORDINAMVS, q̃ DD. Priores, qui pro tempore fuerint, debeãt, durante eorum Magistratu, uti omni diligentia in exigendo, & recuperãdo pecunias, & res dicto Communi quomodolibet spectantes, & in manibus Camerarii, seu Depositarii Cõis actualiter consignari facere, tam de prouẽtibus, q̃ de maleficiis, seu aliis rebus dicti Communis, & die, noctuq; uigilare, & studere, & agere utiliora, & commodiora, ac necessaria

Communia

Communis dictæ Terræ, & semper curam, & sollicitudinem, & prouidentiam habere, & animaduertere circa facta dicti Communis, & in, de, & super negocijs, & pro, & de omni meliori, & utiliori Populi, & Communis dictæ Terræ. Et q̄ prædicti Magnifici Domini Priores, uel aliquis ipsorum occasione dicti sui officij, nihil à Commune, uel aliqua speciali persona per modum salarij, premij, uel muneris recipiant, uel recipi faciant directè, uel per obliquum, nisi salarium pro expensis à Commune ordinatum, sub pœna uigintiquinq; librarum pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet, & nihilominus ad restitutionem rei, uel quantitatis acceptæ teneantur. Habeantq; dicti Domini Priores omnem curam, & sollicitudinem circa officia gerenda, per Rectores, & Officiales Communis quoscunq;, ne fraus, uel negligentia committatur, uel aliquis indebitè opprimatur, uel grauetur. Possint etiam, & habeant iurisdictionem, & baliam congregandi Concilia ad ipsorum uoluntatem, in Palatio, quando, & quoties, & quomodo uoluerint in præsentia Rectoris, & Iudicis: & in his Concilijs proponere, deliberare, & reformare ea, quæ sunt ad bonum, pacificum, & quietum statum dictæ Terræ, & quod prouisum, & deliberatum fuerit in his Concilijs, uel eorum aliquo teneantur exequutioni demandare. Et non possint aliquæ litteræ mittendæ pro parte Communis sigillari, nisi de consensu communi omnium Dominorum Priorum, uel maioris partis ipsorum, & tempore quo literę aliquę sigillantur, omnes in unum debeant conuenire, & interesse sigillationi. Si quis uerò in prædictis, uel aliquo prædictorum contrafecerit, puniatur de facto in uigintiquinq; libris. Item non possit aliquis Prior, eius officio durante, ire pro aliqua ambasciata pro Communi, extra Terram, sub iam dicta pœna. Et q̄ toto tempore eorum officij non possint ipsi DD. Priores, uel aliquis ipsorum aliquem realiter, uel personaliter conuenire, nec ipsi ab alijs conueniri: & dicto tempore durante in eorum causis, & quęstionibus, terminus non currat alicui partium, sed sint in eo statu, in quo reperiebantur die iuramenti eorum officij. Item non possint prouidere, seu deliberare de aliqua pecunia Communis expendenda pro aliqua causa, nisi facta deliberatione, & prouisione de expendendo prius in Concilio generali: & si aliter fieret non ualeat quod factum fuerit, & ad exitum Communis per Camerarium, seu Depositarium, nullatenus mitti possit aliquo quæsito colore, & si repertum fuerit esse missum ad exitum Communis, de suo Camerarius, seu Depositarius soluat, etiam si de officio, & administratione Camerariatus, seu Depositariatus, fuerit alias absolutus, & semper Communi remaneat, & remanere debeat obligatus, donec effectualiter Communi de ipsa pecunia integraliter satisfecerit. Et prædicti Domini Priores continuè duobus mensibus eorum officij stent, & habitent in solito Palatio pro habitatione deputato, & de dicto Palatio toto dicto tempore nullo modo aliquis recedat, nec aliquis extra dictum Palatium uadat aliqua ratione, uel causa, nisi noctis tempore ad dormiendum, uel causa infirmitatis, seu alterius iustæ occasionis, nec aliquod aliud seruile exercitium quomodolibet faciat, sub pęna decem librarum den. de facto de eorum salario retinendarum. Qui DD. Priores uestiantur, & uestiri debeant longis pallijs, siue uestibus talaribus dũtaxat coloris nigri, & nõ breuioribus, nec ex alijs pannis, & coloribus, etiam si noto alijs pannis, & coloribus essent astricti, & indui teneantur. Ad ipsorum autem custodiã, & seruitium habeãt unum Coquum, & unum Guactarum, & unum Famulum indutos de ueste partita ad diuisam Communis. Et præfati DD. Priores uictum habeant in Palatio prædicto expensis dicti Cõmunis, ac etiam Coquus, & cęteri Famuli prędicti, prout à Concilio fuerit ordinatum. Volumus etiam, dictos Dominos Priores teneri, & obligatos esse in singulis Concilijs generalibus publicè, & palàm legi facere per Cancellarium Communis omnes, & singulas expensas, & erogationes factas per ipsos, sub pęna quinquaginta librarum denariorum pro quolibet ipsorum contrafaciente ipso facto incurrenda. Omnes autem Pręcones Bayuli, & Famuli supradicti pareant, & obediant mandatis dictorum Dominorum Priorum, sub pęna uiginti solidorum pro quolibet, & uice qualibet de eorum salario retinendorum.

De modo eligendi Officiales Communis. Rub. XII.

VT fraudibus,& dolis,quæ in Officialium electionibus fieri possent, obuietur, hac salubertima lege ordinamus,electiones quoturmcunq; Officialium nostri Cōmunis cuicunq; negocio ipsius Communis deputandorum proponi debere in Concilio generali,& simili modo de eorū salariis. Quod autē in dicto Concilio deliberatū,& obtentum fuerit,inuiolabiliter obseruetur, & non aliter, nec alio modo fiat remissio; & si aliter fiat,electio non ualeat,sed nulla,& pro infecta habeatur,& electo nullum ius quæratur contra Commune. Addentes, q; si aliquando contingat per dictum Concilium electionem fieri ad beneplacitum, illud beneplacitum intelligatur duraturum uno mense, quo elapso,beneplacitum huiusmodi uittute præsentis statuti omnino extinctum intelligatur,quacunq; dispositione non obstante: & prouisio,seu salarium nō currat ullo modo ab illo tempore citra; & Camerarius si soluerit, de suo soluisse intelligatur: sub pœna DD.Prioribus,& Cancellatio prædicta non obseruantibus,uel obseruati nō facientibus uigintiquinq; librarum den. pro quolibet de eorum salario retinendarum. Hoc autē statutum nullatenus posit suspendi,uel infringi quauis occasione,non obstantibus quibuscunque. Qui Officiales salariati à nostro Communi teneantur omnibus diebus festiuis, & in aduentu Superiorum,uel quoties opus fuerit, ire ad Palatium Communis, & associare DD.Priores, sub pœna quadraginta solidorum de eorum salario per Camerarium retinendorum,aliàs de suo dictus Camerarius teneatur.

De electione,& officio D.Potestatis. Rub. XIII.

STATVIMVS, & ordinamus,& hac in perpetuū ualitura lege firmamus, q; D. Potestas Terrę nostrę eligatur,& eligi debeat per Concilium generale: qui sic electus sit,& esse debeat,ac intelligatur Iudex ordinarius dictę Terrę,& eius districtus, & ei attributa sit,& concessa,& data omnis potestas,& iurisdictio auctoritate præsentis statuti sine alicuius iurisdictionis reseruatione,tam in Ciuilibus, q̄ in Criminalibus, & Mixtis; & habeat,& habere debeat auctoritatem,& potestatē inquirendi,& procedendi, nisi per formam nostrorum statutorū aliter caueretur,per omnem uiam,& iurisdictionem in omnibus,& singulis causis ciuilibus,& criminalibus, & mixtis,ad omnes, & singulos actus, in omnibusq;,& singulis actibus in iudicio,& extra occurrētibus usq; ad sententiā inclusiuè, quę sententia per ipsum D.Potestatem tantùm proferri debeat,& non per aliquē eius Vicarium,seu Notarium,nisi in casu legitimę absentię,& alterius iusti impedimenti. Et si cōtigerit in iudicium trahi aliquam personam dictę Terræ uirtute rescripti, seu cōmissionis alicuius obtentæ,seu impetratæ in aliquibus causis, negociis, seu controuersiis ad ipsum D. Potestatem spectantibus, seu spectare debentibus, & de quibus aliàs foret ipse Iudex ordinarius,nihilominus sit,& esse intelligatur in dictis causis, seu negociis, super quibus ad eum rescriptum foret obtentū,Iudex ordinarius, & ex ipsius ordinaria potestate procedat,& procedere intelligatur,rescripti tamen,seu commissionis obtentæ forma seruata, adeò q; prętextu commissionis alicuius obtentę ad eum in causis,& negociis supradictis nullum emolumentum,seu premium, ultra salarium eidem D. Potestati pro ipsius officio ordinario exercendo taxatum, & deputatum, seu debitum,prætextu commissionum prædictarum à litigantibus quo quo modo consequi posit,seu ualeat,etiam à sponte dare uolentibus,nisi à forēsibus tantùm, à quibus percipere posit unum bononenum pro singulo floreno quantitatis corām eo petitæ,ab utraq; parte,quando ambę partes essent forenses. Si uerò una pars esset forensis, & altera Ciuis, à forense tantùm accipere posit. Et si quid eius prætextu receperit, puniatur ipse contrafaciens pęna quadrupli eius, quod receperit; & qui aliquid dederit,uel obtulerit eidem D.Potestati ratione,seu prętextu prędictorum,cadat à causa. Eius autem officium sex mensibus tantùm durare decernimus.

Debeat

Debeat insuper ducere, & continuè retinere in eius officio (quando Potestas ipse non sit Iuris peritus) unum Iudicem Legum Doctorem, & unum Socium militem, & unum bonum, & expertum Notarium pro officio Maleficiorum, necnon unum alium Notarium ad officium Extraordinariorum, ac etiam duos Famulos Birruarios aptos ad arma gerenda. Si quis autem supradictorum Officialium, & Famulorum infra dictum tempus sui officii obiret, uel se quomodolibet absentaret à dicto eius officio, dictus D. Potestas teneatur statim, uel saltem infra tres dies alium eius loco subrogare, adeò q officiũ eius detrimentum aliquod non patiatur, sub pœna pro quolibet die, quo Iudicem non habuerit in officio, quadraginta solidorum; & si Notarium aliquem non habuerit, uiginti solidorum: & si Famulum, decem solidorum de suo salario retinendorũ. Si uerò (quod absit) ipse D. Potestas moreretur, uel aliqua tam graui infirmitate impediretur, q eius officium exercere non ualeret, salarium ei à nostra Communitate soluendum nullo modo soluatur, nisi pro rata temporis, quo seruierit, & eius Officiales ipso facto sint cassi, & pęnitus amoti ab eorum officio intelligantur. Potestas autem, cui electio præsentaretur, debeat eam acceptare, uel renunciare infra tres dies à die præsentationis sibi factę numerandos; quo termino elapso, atque decurso, nisi apparuerit ipsum acceptasse, renunciasse intelligatur, nec ullum sibi ius quęratur. Si uerò acceptauerit, dictus Potestas debeat se pręsentare die pręcedenti unà cum pręadicta tota sua Familia in Palatio residẽtię Mag. DD. Priorum coràm dictis Mag. DD. Prioribus, & antequam inde recedat, promittat, & iuret in præsentia dictorum DD. Priorum in manibus Cancellarii Cõmunis pro ipso Cõmuni recipientis, & stipulantis de stando, & tenendo dictos suos Officiales toto tempore sui officii in hac nostra Terra. Debeant autem supradicti Officiales D. Potestatis, ad requisitionem Mag. DD. Priorum, & pro interesse nostri Cõmunis scribere, copiare, & publicare omnes, & quascunq; scripturas ad ipsorum officiũ spectantes sine aliqua mercede. Et similiter teneatur dictus D. Potestas exigi facere omnes, & quoscunque debitores Communis quomodocunq;, & qualitercunque, & pro quauis summa gratis, & absque aliqua solutione mercedis. Qui si negligens fuerit, tam ipse, q̃ eius Officiales in præmissis infra terminum assignandum per DD. Priores, quilibet eorum puniatur uice qualibet in uigintiquinq; libris deñ. de salario ipsius D. Potestatis retinẽdis tempore syndicatus. Teneatur etiam dictus D. Potestas facere lustrationem, siue monstram de se, & suis Officialibus, & Familia ad requisitionem Mag. DD. Priorum, uel maioris partis eorum, quoties eis uidebitur, & placebit, sub pœna in statuto, & capitulis contenta. Erit etiam cõtentus suo salario sine aliquo alio emolumẽto, nec plus petere, uel recipere ualeat directè, uel indirectè, nec postulet, ut sibi detur, uel remittatur aliquid de taxa, seu retentionibus, tam per se, q̃ suos Officiales, uel aliam submissam personam, sub pęna quinquaginta librarum deñ. de suo salario retinendarum, eadem pœna imminente DD. Prioribus, & Cancellario contrarium facientibus, proponentibus, uel permittentibus.

De iuramento D. Potestatis. Rub. XIIII.

STATVIMVS, & ordinamus, q D. Potestas in principio sui officii, anteq̃ ipse, uel aliquis eius Officialis officiũ exercere incipiat, post uisitationem maioris Ecclesiæ, & oblationem per eum factã Sanctiss. Corpori CHRISTI de florenis duobus teneatur ostendere Priuilegium Doctoratus, ac etiã quietationem solutionis taxę Pręturę, & fideiussorem dare de stando ad syndicatũ pro se, & Familia de cõmissis, omissis, neglectis, ac etiã pro debitis coràm DD. Prioribus, in manibus Cancellarii iuret ad Sãcta Dei Euangelia, manibus tactis scripturis, gubernare, cõseruare, regere, & manutenere pro posse Terram istam, eiusq; districtum, Iurisdictiones, Priuilegia, res, & bona mobilia, & immobilia, Societatem, & Collegium Populi Terrę prędictæ ad exaltationem, & honorem Sacrosanctę Romanę Ecclesię, Sanctiss. D. N. Papæ, & aliorum nostrorum Superiorum; & si qua bona Communis dictę Terrę essent deperdita, uel occupata, recuperare, &

ad id omne auxilium,& operam præstare,credentias dicti Communis secretas tenere, & ipsas alicui nullo modo reuelare, & dare semper melius consilium pro Communi, statuta omnia huius uoluminis,& reformationes,& omnia facta,& facienda ordinamenta sine aliqua diminutione,& exceptione seruare,& seruari facere,& à suis Officialibus obseruari facere,Ecclesias,& Ecclesiasticas personas,uiduas,pupillos,orphanos,& alias miserabiles personas,Hospitalia,& alia loca Pia,& omnes alias personas similes defendere, manutenere,& conseruare in eorum iuribus,Priores,& Capitaneos Contratarum,Artes,& Collegia dicti Populi,& ipsum Populum totum,eiusq; libertatem, & pacem gubernare,regere,& manuteneere,& omnibus uiribus fauere,permanere continuè personaliter ipse,& sui Officiales in dicto suo officio toto eorum,& cuiusq; ipsorum tempore, & etiam tempore syndicatus, & non discedere aliqua ratione, uel causa de Terra, & eius districtu pernoctando,nisi in seruitium dicti Communis: quo casu cum licentia,& mãdato Concilii dictæ Terræ possit,& ualeat pernoctare,& se absentare;& generaliter omnia, & singula obseruare, & obseruari facere per suos Officiales, & Familiares bona fide, & sine fraude,remotis odio,amore,timore, precibus, & omni speciali commodo, uel incommodo, quæ ad suum officiũ spectare noscuntur,& (si Deus saluet,& adiuuet eum) iuret ad Sancta Dei Euangelia sub uirtute sui sacramenti,& obligatione omnium suorum bonorum,& ad pœnam in statutis contentam,in quibus per se, uel suos Officiales aliqualiter fuerit contrauentũ, & sub pęna centũ librarum deñ,in singulis capitulis prędictis,in quibus specialiter pœna non esset imposita. Et hæc omnia,& singula obseruare promittat dicto Cancellario Communis stipulãti pro ipso Communi, & specialibus personis,quarum intererit: & hęc omnia tempore iuramenti per Cancellarium dicti Cõmunis legantur,& præsententur in scriptis,& in formam publicam redigantur.

De salario D.Potestatis,& quomodo soluatur. Rub. XV.

SALARIVM D.Potestatis pro se,& tota Familia sua sit,& esse debeat pro sex mẽsibus centum florenorum monetæ currentis,& minus,arbitrio Concilii generalis dictæ Terrę:quod eidem soluatur per Camerarium,seu Depositarium nostri Communis de duobus mensibus in duos mẽses, uidelicet in fine cuiuslibet bimestris per bullectam sigillo Communis munitam,manu Cancellarii dicti Communis conficiendam.De quibus retineantur per Camerarium taxæ, seu retentiones Communis, de quibus nulla peti,uel fieri possit gratia sub quouis quæsito colore. Vltimi autem bimestris solutio nullo modo fieri debeat , nisi post diffinitiuam sententiam syndicatus prædictorum Officialium.Si autem prædictus Camerarius ante dictum tempus soluerit,de suo proprio soluisse censeatur,& non de pecunia nostri Communis,& nihilominus pęnam incurrat uigintiquinq; librarum denariorum uice qualibet, qua prędicta omnia non obseruauerit. Impositio uerò,seu collecta pro solutione dicti salarii fiat, prout Concilio uidebitur.

De officio , & iurisdictione Socii Militis D. Potestatis, & aliorum Officialium. Rub. XVI.

STATVIMVS, & ordinamus,q; Socius Miles D.Potestatis,& Notarius Maleficiorum,unà cum aliis Famulis, & Birruariis coniunctim, uel diuisim teneantur, & debeant uinculo iuramenti,& pęna decem lib.deñ.pro quolibet de sero post tertiũ sonũ campanę Cõmunis,quam pulsari faciãt tribus uicibus,more solito,ire per dictã Terram perquirendo, & diligenter rimando contra euntes per dictã Terram post dictum tertiũ sonum campanę absq; igne,& die quolibet, uel saltem bis in hebdomada inquirere cõtra portãtes arma prohibita,& alios quoscunq;,& quomodocunq; facientes, & cõmittentes contra formam pręsentium statutorum. Semper autem contra blasfemantes Deum, & Sanctos,ut debita pęna puniantur: necnon cõtra non custodientes dies festos secũdum

formam

formam nostrorum statutorum. Habeatq; dictus miles iurisdictionem summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, sine aliqua scriptura cognoscendi, decidendi, & exequendi, usq; ad summam quinquaginta solidorum, & pro eius officio exercendo, pœnam imponere possit ex legitima, & rationabili causa, usq; ad dictam summã quinquaginta solidorum. Et in executionibus faciendis, nullatenus ingredi ualeat domum alicuius, nisi ille cõtra quẽ deberet fieri executio, recusaret pignus dare bayulo, pœna .xxv. lib. deñ. pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet. Notarius uero maleficiorum teneatur, & debeat scribere, & diligenter annotare omnes, & singulos actus criminales, & omnia alia ad eius officium spectantia, legaliter, & sine fraude facere, & quoties opus fuerit scribere, & extrahere copias omnium, & quarumcũq; scripturarum pro utilitate Communis, absente Cancellario, nulla recepta mercede, sub pœna prædicta xxv. lib. Notarius autem extraordinariorum habeat iurisdictionem similiter procedendi contra blasfemantes, uel aliter turpiter nominantes Deum, uel eius Sanctos, contra portantes arma prohibita, contra ludentes ad ludos prohibitos, cartarum, alearum, & aliorum similium, & contra non retinentes pondera, & mensuras iustas, & bullatas, & dantes minus iusto pondere, aut mensura, & omnia alia faciendi, & exequendi ad eius officium spectantia, sine aliqua fraude, sub iam dicta pœna: Et similiter pro executione sui officii possit mulctare usq; ad summam uiginti sol. nisi alia maior pœna esset ex forma statutorum imposita. Teneatur etiam miles, & officiales prędicti exequi, & executioni demandare omnes, & singulas condemnationes criminales, tam latas, q̃ eorum tẽpore ferendas, ac etiam Camerario, seu Depositario Communis, & exactoribus eiusdem præstare auxilium, & fauorem, in exigendo datiuas, & collectas prouentus, & redditus dicti Communis, quoties à prędictis, seu à Dominis Prioribus fuerint requisiti absq; aliqua mercede, & solutione, sub pœna prædicta, & amissionis officii pro quolibet, & uice qualibet.

De electione, & officio Capitaneorum contratarum. Rub. XVII.

VT Quieti, & paci nostræ Terræ (quantum in nobis est) consulatur: pręsenti lege disponimus, q; à Concilio generali eligatur, & eligi debeant octo fideles, & optimi Ciues Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotissimi, duo V3. pro quarterio, & corũ cuilibet deputentur .xxv. homines, qui eos in omni perturbatione nostrę Terrę sequi teneantur ad reprimendã audaciã illorum, qui pacem, & quietẽ Terræ prædictæ quoquomodo perturbare tentarent: & eorum officium sit, q; orto rumore (à quo Deus eius immensa bonitate nos semper liberet) unus eorum de quolibet quarterio currat in platram Cõis, alter uero ad defensionẽ portæ sui quarterii, quilibet cũ sua cohorte bene armata, & omni cura, & diligentia tueri, ne Terra nostra prędicta cõculcetur, & tales deputati in omnibus, & per omnia quę spectãt ad pacificũ, & quietum statum nostrę Terrę, teneantur obedire mãdatis supradictorum Capitaneorũ, sub pœna eorum arbitrio imponeñ. & exigeñ. per Rectorem, uel eius officiales. Si uero supradicti Capitanei cũ sua cohorte, uel etiam pennone, seu uexillo, uel aliquis ipsorum tempore rumoris irẽt ad domum alicuius Ciuis, causa eidem auxilium præbendi, contra publicum, & quietum, ac pacificum statum, puniantur in quatruplũ eius, quo alius puniretur, occasione præmissa, condemnentur: corumq; officium sit annale, & non ultra, nisi aliud Concilio uidcretur.

De electione, & officio Cancellarii. Rub. XVIII.

HAC Inuiolabili lege sancimus, q; à Concilio generali eligatur aliquis bonus, & fidelis Notarius morum probitate, & literis ornatus, & in scribendo ualdè expertus, cuius officium sit in scribendo propositas, consultationes redditas, omnes, & quascunq; scripturas, instrumenta, quomodocunq;, & qualitercunq; ad Commune spectantia

ex quauis causa,& occasione sine aliqua mercede, & quotiescunq; Concilia, seu Credentiæ celebrantur, prius scribere debeat propositas,& successiue consultationes, & post modum illas prout Mag. Dñis Prioribus uidebitur ponere in discussione,& id quod obtentum fuerit in libro reformationum annotare, bullectas facere de solutionibus factis creditoribus Communis, de mandato Cõcilii,& de introitu,& exitu dicti Cõis, & de omnibus pecuniis,& rebus, ex qua uis causa curã omnem habere, ne aliquis res publicas occultare possit,& tandẽ omnia obseruare teneatur, ad quę uirtute statutorum, seu consuetudinis hactenus obseruatę, seu capitulorũ teneretur,& obligatus esset. Illum insuper uolumus esse Iudicem appellationũ interponendarum à sententiis quomodolibet latis, tã in ciuilibus, q̃ in criminalibus à Potestate, seu quouis alio officiale dictę Terrę. Et ẽt intelligatur esse Notarius Regulatorum dicti Communis,& sententias eorum scribere,& publicare, & ubi occasio uenerit proficiscatur Orator dicti Communis sine aliquo salario: uerum tantum pecuniæ habere debeat pro expensis, quantum pro se, equo,& uectura dicti equi satis sit; & pro salario ei dari debeat quantum Concilio uisum fuerit. Possit insuper petere pro electione transmittenda Potestati ducatum, siue scutum unum auri & tantum similiter pro qualibet electione,& refirma Medici, Physici, Chirurgi, magistri humanarum litterarum, exactoris,& Camerarii, seu Depositarii. Et nihil aliud habere possit ab aliquo, occasione suarum scripturarum in quibus uersaretur interesse publicum: nihil etiam possit accipere pro literis, quas scriberet ad beneficium alicuius Ciuis. Teneatur etiam reducere ad memoriam Magnificis Dominis Prioribus omnia,& singula statuta, & reformationes, quæ obstarent propositis ab eis faciendis,& teneatur notificare consanguineis,& affinibus usq; in tertium gradum, ut à Conciliis recedant, quando in eis tractatur de aliquo, de quo consanguineus, seu affinis prætenderet quoquomodo interesse, sub pœna in statutis contenta. Item non possit scribere aliquam propositam in aliquo Concilio, quæ non sit prius deliberata in Concilio Credentiæ,& sit ipsa deliberatio registrata, pœna uigintiquinq; librarum de facto auferendarum,& quicquid factum fuerit non ualeat ipso iure. Item non possit sigillare aliquas literas sigillo Communis extra Prouinciam destinandas in fauorem specialium personarum, nisi prius fuerint obtentæ in Concilio. Item teneatur,& debeat sub pœna præstiti iuramenti,& uigintiquinq; librarum in fine cuiuslibet bimestris registrare in libris Communis ad hoc ordinatis, omnes,& singulas reformationes, Conciliariorum, deliberationes, contractus,& prouisiones Cõis infra prædictos duos menses factas,& celebratas, ita q; in fine cuiuslibet officii Prioratus appareat euidenter quod factum,& reformatum extiterit, tempore officii Dominorum Priorum pręcedentium. Item teneatur in introitu sui officii iurare corã Dñis Prioribus suum officium bene, fideliter,& diligenter exercere,& omnia adimplere, ad quæ de iure,& ex forma statutorum,& reformationum, ac capitulorum tenetur,& obligatus esset, remotis ab eo prece, prætio, timore, uel amore,& quauis alia humana gratia, cuius Cancellarii officium per annum duret; & si Concilio uidebitur possit denuo prædictũ Cancellarium confirmare, dummodo anno quolibet de eius refirma fiat scrutinium, aliàs electio intelligatur ipso iure expirata, nisi aliud Concilio uideretur,& in fine officii teneatur reddere exactissimam rationem suæ administrationis,& officii,& ostendere q; sui culpa, dolo, seu negligentia, durante eius officio commune nullatenus læsum fuerit.

De officio Oratorum, seu Ambasciatorum Communis. Rub. XIX.

STATVIMVS, Et ordinamus, q; quilibet Orator, seu Ambasciator, eligendus in qualibet legatione, siue ambasciata pro Cõi, ferat sua mãdata, siue suã ambasciatam, sub sigillo Communis scriptam, cuius exemplar remaneat in actis Communis,& non liceat alicui de ambasciatoribus dicere ultra ambasciatam sibi impositam, uel ultra ea quæ pertinent principaliter ad ambasciatam ipsam, & si contrafecerit, talis Orator

condemnetur

condemnetur in centum libris drñ.& perpetuo sit priuatus officio Oratoris Communis, & ille, seu illi eligantur pro Ambasciatoribus, qui sunt meliores prudentiores, & sagaciores pro Communi, per Concilium generale & talis, uel huiusmodi electus non poisit dictam legationem ullo modo renunciare, nisi legitimo impedimento probato; & Rector seu Iudex cogat talem Oratorem acceptare, & perficere suam legationem, siue per mulctarum impositionem, uel aliam quamcunque uiam, prout ei uidebitur expedire. Volumus etiam q Orator Communis, siue reuertatur eodem die, siue non, habeat à Commune pro expensis, & uictu, si equester iuerit, florenum unum pro quolibet die, in Prouincia. Si uero extra Prouinciam equester, florenum unum cum dimidio, pedester autem bol. triginta, qui quidem Oratores, teneantur, & debeant iurare anti q uadant pro dictis ambasciatis, q non intromittere se in faciendo aliquas alias ambasciatas, nisi quæ eis commissæ fuerint pro parte nostri Communis, pœna supradicta, & ammissionis salarii. Et Domini Priores teneantur describi facere die quo iuerit ambasciator, & quo redierit. Et si quis noster Ciuis petierit aliquem Ambasciatorem sibi dari, detur expensis petentis, & non aliter. Nec aliquis ex Prioribus durante eorum officio possit eligi, seu deputari Ambasciator Communis, uel alicuius singularis personæ, pœna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet contrafaciente.

De officio, & electione Aduocati, & Procuratoris ad causas Communis. Rub. XX.

NE Iura huius nostræ Reipublicæ conculcentur, & in defensa remaneant præsenti lege firmamus, q de cætero omnes Doctores, & Procuratores de hac nostra Terra imbussulentur, & in extractione Magnificorum Dominorum Priorum extrahatur unus Aduocatus, & unus Procurator; qui sic extracti, uirtute præsentis statuti intelligantur electi in Aduocatum, & Procuratorem ad causas nostri Communis. Qui omni studio, omnique diligentia, & conatu tueri, & defendere debeant iura nostræ Communitatis ad requisitionem Magnificorum Dominorum Priorum, & syndici Cõmunis, & quoties opus fuerit consulere rebus publicis: quorum officium duret duobus mensibus, mox alii extrahantur, nec possint facere aliquid in præiudicium iurium dicti Communis; salarium autem eorum sit prout a Concilio ordinatum fuerit.

De electione, & officio Syndici ad negocia. Rub. XXI.

VT Bona nostri Communis, & res conseruẽtur, & non dissipentur, uel occupentur, Ideo statuimus, q Dñi Priores quolibet anno proponere debeant in Cõcilio de electione faciẽda de Syndico generali ad negocia, & in eo deputetur unus ex habitatoribus dictæ Terræ, legalis, diligens, & fidelis Notarius, illeque sic electus solertem curam adhibere teneatur, ne bona, possessiones, iurisdictiones, iura, & quecunque res ad publicũ spectantia ab aliquo occupentur, & occupata recuperare omnibus uiribus studeat: tàm ratione possessionis, q̃ proprietatis de consuetudine, seu de iure: ne pontes, fontes, uiæ publicæ, & mœnia publica corruant; molendinumque sæpe respicere, ne negligentia damnum patiatur, & omnia alia, quæ sibi iniuncta fuerint à Magnificis Dominis Prioribus executioni demandare; nihil tamen possit disponere emendo, uendendo, locando, seu conducendo de bonis mobilibus, seu immobilibus, sine licentia Concilii generalis, & ex nunc dictus Sindicus habeat in omnibus rebus gerendis ad utilitatem dicti Communis plenum, liberum, & generale mandatum, cum plena, & libera administratione; Pro quo Commune totum ex nunc fideiussisse intelligatur in omnẽ causam, casum, & euentum. Nec non approbasse, & ratificasse firma, & rata habere promisisse, omnia per eum gerenda, & exercenda. Idemque sic electus in manibus Mag. Dominorum Priorum iurabit, & cautionem idoneam præstabit omnia se acturum, & executurum diligenter, sine frau-

de, & bona fide: & nihil facere ad suam simplicem uoluntatem, aut respectu sui proprii lucri, uel damni, sed pro bono Communis tantum: bonaq; omnia Communis conseruabit, & in fine officii integraliter restituet per inuentarium manu Cancellarii: ipsiusq; salarium esse debeat pro labore, ut à Concilio ei fuerit ordinatum.

De officio Camerarii, seu Depositarii pecuniarum Cõmunis. Rub. XXII.

NE Res, & bona nostri Communis dilapidentur, & usurpentur, sed ut magis ad usum, & utilitatem publicam conseruẽtur. Statuimus, & ordinamus ut singulis annis per Concilium generale eligatur unus probus, idoneus, & legalis uir bonæ conscientiæ, & timoratus ad officium Camerariatus, seu Depositariatus: Qui anteq̃ incipiat eius officium exercere, corporale præstet iuramentum in Concilio publico in manibus Cancellarii, de gerendo, & exercendo officium suum bene, fideliter, & legaliter, & sine fraude: idoneeq; caueat, & satisdet per fideiussores insolidum obligandos, & à Concilio approbandos, ut eius officio completo sufficienter suæ administrationis, & officii rationem reddat. Qui Depositarius non sit minor uigintiquinq; annis, & teneatur, & obligatus sit exigere, & recipere omnes, & singulos introitus, redditus, & prouentus dicti Communis, ordinarios, & extraordinarios. Item teneatur, & debeat soluere Magnifico Domino Thesaurario in Prouincia, uel alibi, suis sumptibus, & expensis omnes taleas, custodias, census, affictus, taxas equorum mortuorum, & Cancellariæ Communis pro portione dictæ Communitati tangeñ. debitis temporibus à Reuerenda Camera Apostolica ordinaris quolibet mense, uel aliter prout à præfata Reuerenda Camera ordinatũ extiterit, & de dictis solutionibus, quietationes reportare, illasq; registrari facere in libro Communis ad eius introitum, uel exitum, aliàs possit tàm ipse, q̃ eius fideiussor insolidum obligatus realiter, & personaliter cogi, & compelli ad solutiones prædictas, & ad omnia damna, & interesse Communis, quæ pati posset occasione prædicta; habeatq; dilationem unius mensis à die accepti officij, & consignationis librorum exigeñ. & interim nullis grauetur expensis, & infra dictum tempus secundum quod exegerit ita soluat. Item teneatur, & debeat soluere, seu solutiones facere præfato Domino Thesaurario, seu alii Commissario, siue exactori Apostolico in bona moneta suis sumptibus, & expensis, teneaturq; & debeat statim consignatis sibi libris, se facere debitorem de omnibus, & singulis redditibus, & prouentibus à Communitate prædicta locatis, & suo tempore locandis, manu Cancellarii describendis, & annotandis. Non possit, nec debeat dictus Camerarius soluere, uel exbursare aliquam denariorum quantitatem ad eius manus peruentam de bonis dicti Communis, etiam minimam absq; bullectino sigillo Communis signato manu Cancellarii, & unius ex Prioribus si scribere sciat, aliàs ad eius computum, & salarium ascribetur, & pœnam centum lib. deñ. incurrat ipso facto. Item teneatur, & debeat habere pro exactis, & constituere se debitorẽ Cõis omnium, & singulorũ prouentuũ & redditũ Cõis. Debeatq; præfatus Depositarius, seu Camerarius continue in dicta Terra permanere, & morari neq; inde recedere absq; licentia Mag. Dominorũ Priorum, & ipsos associare ad Ecclesiam ad diuinum officium semper, & omni tempore, pœna uiginti solidorum uicequalibet, de eius salario retinendorum. Et possit ipse Camerarius, seu Depositarius pro rata non soluta à prouentariis Communis exigere, & expensas soluendas executori ob retardatam solutionem. Insuper præfatus Depositarius, seu Camerarius teneatur soluere cuilibet officiali ordinario a Communi deputato cum bullectino dumtaxat Dominorum Priorum manu Cancellarii conficiendo, & Communis sigillo muniendo, absq; alio Concilii Decreto: & Cancellarius qui pro tempore erit teneatur infra tres dies à die cæpti officii facere duos libros, in quibus scribatur introitus, & exitus præfati Depositarii, seu Camerarii, in quorum uno teneatur Camerarius facere describi ad introitum omnes, & singulas pecunias, quæ ad eius ma-

eius manus peruenerint infra triduum, & similiter omnes expensas, pœna Camerario, & Cancellario contrafacientibus uigintiquinq; librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet. Quos libros idem Cancellarius de bimestri in bimestre teneatur præsentare coram Regulatoribus dicti Camerarii, seu Depositarii regulandos, reuidendos, & calculandos sub iam dicta pœna. Teneaturq; etiam, & obligatus sit dictus Depositarius assignare Cancellario Communis notulam omnium, & singularum expensarum per præfatum Camerarium factarum, in quolibet Concilio celebrando approbandarum, aliás ad eius computum non admittantur, & de suo restituere teneatur, perfectoq; eius officio, ac peracto, teneatur stare ad syndicatum, & rationem reddere suæ administrationis. & ui sa, ac reddita ratione suæ administrationis per syndicatores, seu regulatores: omnes libri cum bullectinis solutionum, per ipsum Camerarium, seu Depositarium factarum in Archiuio Communis reponi debeant, & conseruari. Et siquam fraudem in dicto eius officio commisisse, repertus fuerit contra formam huius statuti, uel aliorum, de suo officio loquentium, ultra pœnas prædictas, libero Rectoris Arbitrio puniatur, etiam de facto, & sine aliquo processu, inspecta qualitate delicti. De quibus omnibus, & singulis quilibet habeatur legitimus accusator, seu denunciator; & in prædictis Rector inquirere, & inuestigare teneatur, etiam nulla solemnitate seruata, & nihilominus huiusmodi officio perpetuo priuatus censeatur.

De electione, & officio Depositarii pignorum. Rub. XXIII.

ITEM Ordinamus, q. singulis quibusq; annis, eligatur, & deputetur in Concilio generali unus Depositarius pignorum, qui sciat, & calleat legere, & scribere, & sit probus, & legalis, & iuret se bona fide, & absq; dolo dictum officium exercitaturum, præstito q[?] ido neos fideiussores, de reddendo suæ administrationis rationem finito, & perfuncto officio, penes quem per bayulos, & nuncios Communis deponantur, & deponi debeant omnia & singula pignora, & bona singularium personarum, quæ per ipsos nuncios auferentur pro negociis, causis, & factis, tàm Communis q̄ singularium personarum, cuius quidem officium, anni spatio terminetur. Qui quidem Depositarius dicta pignora penes se saluare, & custodire teneatur, & debeat omni suo periculo, excepto fortuito casu & habeat, & habere debeant pro sua mercede pro singulo pignore penes ipsum depositato, ab illo, à quo pignus acceptum fuerit, tempore restitutionis dicti pignoris, solidum unum quantecunq; fuerit quantitatis. Item teneatur, & debeat dictus Depositarius habere unum librum ordinarum, in quo seriatim scribere debeat omnia, & singula pignora per bayulos sibi apportata, & nomina bayulorum portantium, & eorum à quibus pignora sunt accepta, & ablata, & nomen officialis, cuius mandato dixerit dicta pignora accepisse, & diem, mensem, & annum depositionis, & præsentationis, & quantitatem crediti, & quicquid soluerit executori, & bayulis, de q̄bus debeat fieri apodissa, dāda executori, sub pœna quinquaginta sol. pro quolibet pignore, & uice qualibet: Cui Depositario omnes, & singuli nuncii, & bayuli prædicti teneantur omnia, & singula pignora per ipsos accepta à singularibus personis dictæ Terræ, & eius districtus præsentare, & cōsignare die acceptionis dictorum pignorum, pœna quinquaginta sol. pro quolibet nuncio & uice qualibet contrafaciente. Teneatur ēt Depositarius ipse scribere cuilibet nūcio in eius libello, seu repertorio, & bachetta omnia & singula pignora per quemlibet nuncium apportata, & nomina personarum, quorum sunt pignora, ad quorum petitionem fuerint accepta, & pro quanta summa prout, & sicut in proprio libro scribere tenetur. Quæ pignora ipse Depositarius restituere non audeat alicui personæ, nisi mandato officialis exequentis, de cuius mandato constare debeat per apodissam ipsius officialis, uel aliter: Pro quibus pignoribus, teneatur ipse Depositarius soluere officialibus exequentibus

corum executionem,& mercedem ſolitam die præſentationis dictorum pignorum. Item teneatur pignora in cauſis Ciuilibus accepta,ad requiſitionem creditorum uendere,citatis tamen creditoribus,coram M. D. Prioribus,ut infra terminum trium dierum ueniãt ad reluendum pignora,& dicto termino elapſo de quo legitime conſtet manu Cancellarii, M.D.Priores ad requiſitionem creditorum fieri faciant bullectinum pro ſubhaſtandis dictis Pignoribus : Quibus ſeruatis Depoſitarius procedat ad ſubhaſtationem faciendam per publicum præconem in platea magna Communis,cum interuentu deputatorum à Concilio generali præcedentibus duobus bandimentis diuerſis diebus ; quo termino elapſo adiudicentur,ſeu tranſactentur plus offerenti . De quorum precio ſatisfiat creditoribus pro concurrenti debiti quantitate,& expenſis legitimis. Reſiduum uero ſtatim debitoribus reſtituatur,& dominis pignorum ; & facta ſubhaſtatione (ut pręmittitur)creditor teneatur eodem die,uel ſequenti ad minus,per Bayulum notificare debitori,pignus eſſe ſubhaſtatum : ad hoc ut infra terminum quinq; dierum,poſsint comparere ad reluendum ab emptoribus dicta pignora pro eodem precio, quo termino tranſacto ulterius debitores,& domini pignorum non audiantur,& penitus ſit eis præcluſa uia ad reluendum dicta pignora,& emptores ſint tuti,& ſecuri,& non poſsint amplius cogi ad reſtituendum pignora ab eis,ut præfertur empta . Sed ſi contigerit aliqua pignora fieri per Camerarium , ſeu Depoſitarium Communis , uel eius exactores, ſeu conductores prouentuum quorumcunq; dicti Communis , pro exactione dictorum prouentuum, & reddituum,poſsit dictus Depoſitarius pignorum prædictus, factis publicis bandimentis de reluendo pignora nominibus,quibus ſupra facta,infra biduum poſt publicata bandimenta prædicta,computañ. illa uendere ad requiſitionem Camerarii, ſeu Depoſitarii, ac exactorum,ſeu conductorum præfatorum . Cuius Depoſitarii officii tempore completo,teneatur ſucceſſor in officio prædeceſſori reſtituere omnem deñ. quantitatem ſolutam officialibus,& bayulis de executionibus factis , tempore pignorum conſignationis faciendæ . Teneatur inſuper ipſe Depoſitarius ſtatim ſibi conſignatis pignoribus ab executoribus eiſdem executionem ſoluere pro concurrenti quantitate, qua pignus potuerit uerisſimiliter uendi,& non plus,aliàs de ſuo proprio teneatur,cui quidem Depoſitario Communitas prouidere teneatur de idonea domo,ſeu apotheca ſubtus Palatium, uel in Platea magna,in qua pignora commode,& tute conſeruari poſsint . Et ſi aliquam fraudem,dolum,uel machinationem commiſerit in huiuſmodi eius officio,pœna centum lib. deñ. uice qualibet puniatur , ſitq; officio prædicto perpetuo priuatus, & dicto eius officio peracto teneatur, & debeat rationem reddere ſuæ adminiſtrationis. & officii , coram ſyndicatoribus à Communitate eligendis .

De electione,& officio Quęſtoris,ſeu exactoris Cõmunis. Rub. XXIIII.

STATVIMVS, Et ordinamus,q; ad exigendum onera , & collectas Communis,quæ quotidie ſubire cõpellimur : eligatur , & deputetur à Concilio generali unus legalis Notarius,qui iurare teneatur bene,& diligenter eius officium exercere,teneaturq; idonee cauere de reddendo bonum computum,& rationem ſuæ adminiſtrationis . Qui etiam omni cura,& diligentia uti debeat in exigendo omnia onera , & collectas impoſitas,& eius durante officio imponendas,tàm realia,q̃ mixta , & perſonis pro rebus impoſita,ſeu imponenda , ex quauis cauſa,ſeu occaſione,ſiue per principem,ſeu alium eius nomine,ſiue per Communitatem,dictiſq; pecuniis ſic exactis,diſpenſentur, & erogentur in illam cauſam,ex qua impoſita fuere . Dictuſq; exactor ſic electus,& deputatus,teneatur conficere librum,in quo notentur nomina omnium ſoluere debentium onera prædicta, & collectas,& cuilibet ſoluenti facere apocam de ſolutis abſq; aliqua mercede : cuius officium per annum ſit duraturum,habeatq; pro eius ſalario, prout à Concilio fuerit ordinatum,teneaturq; ſtare ad ſyndicatum,& rationem reddere ſuæ adminiſtrationis, ne dum

completo officio, sed etiam quoties Concilio generali, uel M. D. Prioribus uidebitur, & placebit. Qui si aliquam fraudem in dicto eius officio commiserit, pœna quinquaginta lib. puniatur, & dicto officio priuatus perpetuo intelligatur.

De electione, & officio Regulatorum. Rub. XXV.

REGVLATORES, Siue Ratiocinatores quarumcunque administrationum pecuniarum, & bonorum Communis eligantur in Concilio generali duo quolibet bimestri; qui sint idonei, & experti in regulando, ratiocinando, reuidendo, & calculando; iurentque bene, legaliter, & sine fraude, & dolo eorum officium exercituros, & una cum Cancellario Communis reuideant, & calculent omnes, & singulas rationes, calculos, & computa cuiuslibet administrationis pecuniarum, & rerum dicti Communis durante eorum officio. Habeantque iurisdictionem cum dicto Cancellario dicto durante tempore uidendi, cognoscendi, regulandi, & calculandi rationes introitus, & exitus quorumcunque Camerariorum, exactorum, superiorum, syndicorum Communis, & aliorum administratorum rerum, & bonorum dicti Communis, illosque condemnandi, & absoluendi in Concilio generali, sedendo, uel stando omnibus diebus, etiam feriatis in honorem Dei simpliciter, & de plano, sola facti ueritate inspecta, quas rationes, seu computa, debeant prædicti Regulatores infra triduum à die consignationis librorum reuidisse, calculasse, sententiasse, condemnasse, uel absoluisse, prout iuris fuerit uinculo iuramenti & pœna. x. lib. & c. Et si aliquis error dolose per eos factus reperiatur in computis, rationibus, uel in sententia, pœna. xxv lib. pro quolibet, & uice qualibet plectantur, & ad emendationem damni, quod Communitas occasione prædicta passa esset. Salarium uero dictorum Regulatorum sit. x. boñ. pro quolibet, & Notarius eandem mercedem habeat, & consequatur, nec possit esse, seu eligi ad dictum officium minor. xxv. annis, & attinens ei, de cuius administratione reddenda tractatur, usque in tertium gradum de iure canonico computandum, & aliter facta electio non teneat ipso iure.

De officio Ponderatoris frumenti, & farinæ. Rub. XXVI.

STATVIMVS, Et ordinamus quod ponderator frumentorum, & farinarum eligendus à Concilio generali, teneatur, & debeat continue stare, & de se ipso in suo officio copiam facere in loco ponderis, seu pesæ, causa dictum suum officium exercendi horis debitis, & consuetis omni exceptione remota, ita quod unusquisque possit ponderari facere granum, uel farinam, prout opus fuerit. Teneaturque, & obligatus sit scribere in uno libro, ad hoc ordinato pondus cuiuslibet salmæ grani, quod portabitur ad macinandum, & similiter farinæ, quæ reportatur a molendinis, & nomen domini, seu patroni grani, seu farinæ, ac etiam diem quo ponderatur granum, seu farina, nec non quantitatem grani, & farinæ ponderatæ ut supra, ita quod nulla fraus fieri possit. & si in prędictis negligens fuerit, incidat in pœnã. xxv. lib. ultra restitutionẽ damni, quod aliquis occasione prędicta passus esset.

De officio, officialis bullæ beccheriæ. Rub. XXVII.

STATVIVMVS, Et ordinamus quod officialis bullæ beccheriæ electus, & deputatus per Concilium generale, teneatur, & debeat illud officium bene, sollicite, fideliter, & legaliter exercere, sub uinculo sacramenti per eum præstiti in manibus Cãcellarii Communis, & carnes uerueccum, seu castratorum legitimorum, bona fide bullare cum cera uiridi bulla Communis in uno quoque quarto; porcorum uero masculorum legitimas carnes, bulla prædicta in cera rubea, & si contrafecerit, puniatur pro qualibet uice pœna centum sol. Et miles Potestatis teneatur in prædictis, & circa prædicta inuestigare, & dili-

genter inquirere,& executionem facere dictæ pœnæ, sub pœna duppli dicto militi auferenda, si negligeos fuerit in præmissis,& habeat,& habere debeat quartam partem pœnarum prædictarum.

De officio Præfecti operarum Communis. Rub. XXVIII.

ORDINAMVS q præfectus super laboreriis Communis electus à generali Concilio,teneatur,& debeat in principio sui officii iurare ad delationem Cancellarii Communis bene,fideliter,& legaliter suum officium exercere, & sollicite (omni fraude remota) & res Communis ad eius officium spectantes, per inuentarium ab eius præcessore,cum præsentia syndici Communis recipere, & in munitione Communis diligenter conseruare,& eius in officio successori, similiter per inuentarium reassignare sine ulla diminutione,& si quæ dictarum rerum in laboreriis Communis positæ fuerint,durāte eius officio,inuentarium conficere,& rationem de illis reddere Dominis Prioribus,Cancellario,seu syndico Communis. Habeatq; pro eius salario,& mercede,prout à Concilio ordinatum extiterit. Et si in prædictis aliquam fraudem commiserit, resq; prædictas non restituerit pœna uigintiquinq; lib. denariorum de facto plectatur,& ad restitutionem rei deficientis,uel ablatæ in duplum teneatur.

De officio extimatorum Communis. Rub. XXIX.

STATVIMVS, Et ordinamus q anno quolibet in Concilio generali eligantur duo extimatores Communis boni,& legales; qui teneantur,& debeant iurare ad delationem Cancellarii Communis,eorum officium bene, & diligenter exercere bona fide, & sine dolo, & fraude debeantq; quoties fuerint requisiti, ire, & se conferre ad extimandum,& extimationes factas reportare; quorū relationibus,& extimationibus in scriptis per Notarium redactis,plena adhibeatur fides. Qui si discordauerint in extimando, eligatur tertius per Dominos Priores,uel per Rectorem; Et si aliqua partium de extimatione facta ab huiusmodi extimatoribus senserit se grauatam, cogatur per supradictos Dominos Priores,uel Rectorem eligere alium,seu alios; quorum declarationi,& extimationi partes prædictæ omnino acquiescere debeant; habeantq; prædicti extimatores sic electi bon. duos pro quolibet, à parte ipsos conducente. Qui si in eorum extimationibus aliquam fraudem fecisse reperiantur,puniantur de facto in.xxv.lib. dēn. ultra restitutionem damni,parti læsæ. Quod locum habere uolumus in omnibus extimatoribus, etiam electis à specialibus personis quacunq; ex causa supradicta pœna.

De officio Depositarii mobilium Communis. Rub. XXX.

ELIGATVR Anno quolibet à Concilio generali unus probus Vir,& expertus,qui in principio eius officii teneatur iurare bene,& fideliter eius officium exercere,& cauere idonee de reddendo bonum computum omnium,& singularum rerum dicti Communis eidem consignatarum,de quibus solenne teneatur conficere inuentariū manu Cancellarii,& bonum computum reddere; Cuius officium sit,habere curam bombardarum,archibusiorum,balistarum,&aliorum armorum cuiuscunq; generis sit dicti Communis,illaq; bene,& diligenter custodire,tergere,& expolire; diebusq; solemnibus, uel in aduentu Superiorum onerare,& exonerare bombardas,seu codectas. Nec non teneatur conficere puluerem pro dictis bombardis sufficienter; Habeat etiam curā circa pondera & mensuras dicti Communis in adiustando,& æquando,& bullando dicta pondera,& mensuras ad requisitionem cuiuscunq; petentis, gratis, & absq; aliqua solutione, & mercede,cum salario à Concilio prouidendo, anteq̄ expiret eius officium. Et si in prædictis

dictis negligens fuerit, seu aliquam fraudem commiserit, incidat in pœnam quinquaginta lib. deñ. de eius salario retineñ, & ad restitutionem rerum (si quæ deficerent) uel eorum extimationem teneatur. Et nihilominus dicto eius officio perpetuo priuetur.

De electione, & officio Præconum. Rub. XXXI.

STATVIMVS, Quòd Tubicinæ, seu Pręcones Communis sint duo, eligendi per Concilium generale pro salario ut inter eos fuerit conuentum soluendo per camerarium de pecunia Communis quolibet bimestri. Qui Præcones ante introitum eorũ officii iurent bene, & diligenter eorum officium exercere absq; aliqua fraude, & sine licentia Rectoris, uel Magnificorum Dominorum Priorum non posint bandimenta facere, pœna .xl. sol. pro qualibet uice, & eorum relationi de bandimentis factis, plena adhibeatur fides. Pręcones igitur pręd icti, nihil recipere posint à dictis Rectoribus, Prioribus, & aliis personis, præter suum salarium prædictum, pro bandimentis factis ad utilitatem, & commodum Communis. Vbi autem dicta bandimenta facta per dictos Præcones ad specialium personarum utilitatem tenderent, & ad ipsarum petitionem, si quidem dicta bandimenta essent per totam Terram facta, tunc posint petere bol. unum. Si uero in duobus locis, uel uno, sol. unum, & non plus, pœna .x. sol. si plus peterent, uel acciperent. Teneantur etiam dicti Præcones portare quascunq; electiones ad officiales per dictam Communitatem electos, uel eligendos sine spe alicuius mercedis à dicto Communi consequeñ. Dictiq; Præcones non posint refirmari, uel confirmari nisi de anno in annum. Teneantur etiã associare Rectorẽ, & Dños Priores, & permanere semper in Palatio, & eorũ mãdatis obedire, sub pœna .x. lib, qualibet uice, & pro quolibet contrafaciẽte.

De officio Bayulorum Communis. Rub. XXXII.

ITEM Statuimus, & ordinamus q; tres Bayuli, & non minus quolibet anno conducantur per Conciliun generale, cum salario prout inter eos conuentum fuerit, uel Concilio uidebitur, soluendo per Camerariũ Cõis de duobus mensibus in duos menses. Qui ante introitum eorum officii teneantur iurare in manibus Cancellarii dicti Cõis bene, & fideliter eorum officium exercere. Qui continue debeant cõmorari in Palatio Dominorum Priorum, & de Terra non discedere absq; licentia dictorum Dominorũ Priorum, & singulis diebus de mane, & sero debeãt se præsentare coram supradictis Dominis Prioribus, & quoties uocari per sonum campanæ, uel aliter fuerint, & quolibet die iuridico se præsentare ad banchũ hora iuris, & ibi usq; ad recessum Iudicis permanere, sub pœna .x. sol. pro quolibet, & uice qualibet de eorum salario retinendorum. Præfatiq; bayuli nihil recipere posint à Rectore, uel eius officialibus, aut à Dominis Prioribus præter dictum salarium, pro citationibus, uel præceptis, & executionibus faciendis pro commodo, & utilitate Communis; quando autẽ dictæ citationes, præcepta, executiones, uel alia huiusmodi facta per ipsos ad utilitatẽ specialium personarũ tenderent, & ad ipsorũ petitionem facta fuerint, si intus Terram nihil recipere posint, si uero extra usq; ad unum miliare, sol. unum, usq; ad duo sol. duos, ab inde uero supra sol. quatuor; ex quacunq; causa iuerint, uel missi fuerint, & non ulrra, sub iam dicta pœna. Et eandem pœnam incurrant, si aliquem actum ad eorum officium spectantem, & pertinentem (recepta, uel ablata competenti mercede) statim non fecerint, nisi aliqua iusta causa, aut aliquo alio impedimento excusarẽtur. Bayuli autem dicti non posint confirmari nisi de anno in annũ, nisi aliud Concilio uideretur. Qui mox post electionẽ ut supra factam, & iuramẽtum præstitum ut supra, reputentur, & sint ueri nuncii, & bayuli Communis, & in omnibus, & singulis eis, & cuilibet ipsorũ commissis eorum officium concernentibus, & relationibus eorundẽ plena adhibeatur fides. Nec posint aliquod aliud officium habere, uel exercere. Et si

aliquis Bayulus aliquem citauerit, & non retulerit pro eadem die, & hora, qua citauerit, & sibi impositum fuerit, puniatur in .xl. sol. den. pro quolibet, & uice qualibet. Item si contigerit aliquẽ bayulum alicui accipere pignus, præsentare debeat illud Depositario Communis eadem die, qua acceperit, sub pœna prædicta. Siquis autem ex prædictis bayulis fallam relationem fecerit, pœna quinquaginta lib. den. pro quolibet, & uice qualibet puniatur, & nihilominus teneatur ad omnia damna, expensas, & interesse damnum passi, ex tali falsa relatione. Nec possint ingredi domum alicuius absente Domino domus, pro facienda aliqua executione, nisi saltem nocato uno ex conuicinis proximioribus dictę domus, & præsens fuerit dictæ executioni faciendæ, sub prædicta pœna; & si aliter pignus factum fuerit, & deperditum fuerit, credatur de pignore, uel eius ualore sacramento domini dictæ domus.

De officio custodum portarum. Rub. XXXIII.

STATVIMVS, Et ordinamus q; singulis quibuslibet annis de mense Ianuarii, per Concilium generale eligatur unus custos pro qualibet porta huius nostræ Terræ de uicinioribus bonus, & fidelis; qui anteq̃ officium exercere incipiat, iuramentum præstare teneatur in manibus Cancellarii Communis, bene, & fideliter se gerere, circa portarum custodiam, & portam eius curę commissam aperire, & claudere horis congruis, V3. de sero statim post primam horam noctis, & de mane statim pulsata campana ad laudes, & eam non aperire aliquo tempore suspecto absq; licentia omnium Magnificorum Dominorum Priorum, sub pœna in quolibet supradictorum casuum .xx. lib. pro quolibet & uice qualibet, & dicto officio priuetur. Et non debeat, nec possit absq; licentia supradictorum Dominorum Priorum claues portarum dare Domino Potestati, nec aliis officialibus, uel alicui alteri publicę, uel priuatę personę. Et si requisitus fuerit à supradicto Domino Potestate, & officialibus ad tradendum supradictas claues, & cogeretur à supra dictis, anteq̃ tradat, notificare teneatur Dominis Prioribus, sub iam dicta pœna; cuius custodis salarium sit prout statutum fuerit per Concilium.

De Syndicatu Domini Potestatis, & aliorũ officialium. Rub. XXXIIII.

CVM Congruum iuri sit, & conueniens, ut unusquisq; uillicationis suæ, in qua se exercuit rationem reddat. Iccircò statuimus, & ordinamus q; Potestas, seu Rector finito suo officio teneatur, & debeat cum omnibus, & singulis suis officialibus, & familiaribus ad syndicatum stare; de commissis, omissis, neglectis, ac debitis per eum, eiusq; officiales, & familiam sui officii tempore; & teneatur respondere pro se, & ipsis omnibus, & singulis, & rationem administrationis, & uillicationis reddere, sub syndicatoribus per generale Concilium eligendis die præcedenti syndicatui. Quorum syndicatores, unus sit iuris peritus, & eligatur unus Notarius eo modo quo supra si adsint: quibus syndicatoribus, & Notario electis, & deputatis, detur sacramentum per Cancellarium Communis de bene, legaliter, & sine simonia, & fraude syndicando dictos Potestatem, & officiales. Qui syndicatores coram eis pro tribunali sedentibus in loco consueto, faciant comparere Potestatem, & officiales suos cum suis fideiussoribus ad respondendum inquisitioni contra eos formandæ, more solito præcedentibus publicis bandimentis per loca solita, & consueta dictæ Terræ, de uolentibus querelare contra prædictos officiales. Qui fideiussores non possint, nec esse debeant de Doctoribus, Capitaneis, & Equitibus, & de Concilio: pœna dictis syndicatoribus, & Notario contrafacientibus, uel permittentibus, centum lib. pro quolibet, nostro Communi applicañ. Et teneatur dictus Rector qui deberet syndicari cum suis officialibus ad prælibatum syndicatum, quinq; diebus continuis stare, quorum tribus diebus continuis, (non computato die faciendæ responsionis

inquisitioni

inquisitioni dentur querelæ, & porrigantur petitiones: quibus elapsis nullæ petitiones ulterius audiantur, seu admittantur. Residuum uero temporis detur ad probandum, iustificandum, deducendum, & absoluendum, & condemnandum; quo tempore elapso, & aliter per Syndicatores non declarato, intelligatur dictus Potestas cum eius familia absolutus ipso iure. Et dicti Syndicatores teneantur, & debeant pro tribunali sedere bis singulis diebus horis debitis, V3. de mane hora tertiarum, & de sero post uesperas; coram quibus Syndicatoribus, prædicti officiales uno quoq; die legitime compareant ad ipsorum tribunal, & ibidem legitime morantes reddant sui officii, & gestorum per eos in eorum officiis integram rationem, & querelantibus de eis super prædictis legitime respondeant, & de his, quæ tenerentur Communi, seu singularibus personis integre satisfaciant, & de prædicta Terra nullatenus recedant, nec res eorum extrahãt, nec extrahi faciant, uel permittant, durante eorum syndicatu, & donec omnem condemnationem de eis sequutã integre persoluerint. Et Rector qui pro tẽpore erit, & sui officiales teneãtur, & debeant uinculo iuramenti, & pœna quinquaginta lib. deñ. ad instantiam partis, & etiam supradictorum Syndicatorum modis omnibus necessariis, & opportunis constringere, & compellere officiales prædictos, per dictos Syndicatores condemnatos ad soluendum integre id totum, & quicquid iudicatum, & mandatum extiterit, nec aliquis Ciuis, Notarius, Procurator, uel Aduocatus, seu quiuis alius se intromittat impediendo illos qui uellent supradictis officialibus petitiones dare, sub pœna .xxv. lib. deñ. pro quolibet contrafaciente; nec possit aliquis de dicta Terra procuratorio, uel alio nomine, etiam per modum substitutionis interuenire, uel comparere, uel pro eorum aliquo allegare, nec eis, uel alicui eorum patrocinium præstare, uel cum eis, aut eorum aliquo ad syndicatorũ bancum interesse ad aliquem actum syndicatus, sub pœna quinquaginta lib. Et dicti Syndicatores habeant arbitrium, & potestatem ad requisitionem dictorum Potestatis, & officialium dandi eis Aduocatum, & unum Procuratorem tantum, & dandi Aduocatos, & Procuratores aduersariis dictorum officialium, unum V3. tantum Aduocatum, & unum Procuratorem pro quolibet, & non plures: & possint, & ualeant mandare Aduocatis, & Procuratoribus requisitis, q recepta competenti mercede, pręstent eorum patrocinium, eorum clientulis, sub pœna arbitrio dictorum Syndicatorum imponenda. Item q nullus ex dictis officialibus, uel Rectoribus petere possit, uel peti facere, q aliquis ipsorum syndicetur infra tempus sui officii. Et si Domini Priores proponerent, uel proponi facerent, cadant in pœnam tãm ipsi, q̃ officiales petentes, uel peti facientes, uel talem syndicatum acceptantes, in pœnam centum librarum pro quolibet, & quicquid fieret contra prędicta non ualeat ipso iure. Addentes q in syndicatu officialium Communis, tã forensium, q̃ aliorum procedere possint, Syndicatores summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, diebus etiam feriatis in honorem Dei, omnibus solẽnitatibus, & substantialitatibus iudiciorum omissis, sola facti ueritate inspecta: & in dubiis, & casibus arduis super quibus ipsi Syndicatores aliqualiter dubitarent, recurrant ad Consilium Sapientis, & secundum Consilium dicti consultoris debeãt procedere, & terminare, prout opus fuerit: & Syndicatores ipsi de his super quibus omiserint ferre sententiam eorum negligentia, teneantur Communi dictæ Terræ, & etiam personæ læsæ ad illud, ad quod tenebantur dicti officiales, & nihilominus ipsi Sindicatores, pœna .x. lib. pro quolibet, & uice qualibet puniãtur, sed si iusta causa, & iusto impedimento, aut defectu consultoris, non habiti, uel non consulentis Sindicatoribus in tempore opportuno, uel quacunq; alia euidenti, & iusta causa declarañ. per Mag. Dominos Priores dicta sententia lata non fuerit in diebus sindicatus ante dictis, liceat officialibus stantibus ad sindicatum (si uoluerint) dimissis eorum Aduocato, & Procuratore, & remanentibus eorum fideiussoribus, de eorum fideiussorum bona concordia, & spontanea uoluntate discedere. Et quia propter inopiam multoties pauperes remanent indefensi; propterea ordinamus, & uolumus pauperibus personis prouideri de Procuratore, & Aduocato sumptibus Communis per

Magnificos Dominos Priores; Qui sic deputati,teneantur,& debeant dictum patrocinium acceptare,& illud exercere fideliter,& legaliter omni prorsus negligentia, & fraude remota,sub pœna quinquaginta lib. Nemo autem audeat cōtra personam Rectoris,uel eius familiæ,post finitum officium durante syndicatu,& post usq; ad recessum,& in recessu maleficium aliquod,uel delittum facto,seu uerbo quomodocunq; committere,sub pœna quadrupli ad quod alius teneretur ex forma statutorum; & si dubitaretur de offensione prædictorum officialium. Domini Priores teneantur compellere,seu compelli facere quascunq; personas offendere intendentes,ad fideiubendū de non offendendo prędictos usq; ad recessum prædictorum officialium,& etiam si opus fuerit prouidere de societate, seu comitiua hominum pro securitate præfatorum. Syndicatores autē habere debeant pro eorum salario,pro quolibet bononenos decem. Et Notarius eandem recipiat mercedem,& non aliter,quo uis modo. Declarantes,hæc omnia locum habere etiam in syndicatu Dominorum Priorum,Cancellarii,& aliorum officialium Communis,qui similiter teneantur stare ad syndicatum coram successoribus, seu aliis deputandis à Concilio, modo,& forma prædictis,non obstantibus quibuscunq;.

De prouisionibus Studentibus dandis. Rub. XXXV.

QVIA Iuuenes alliciendi sunt ad studia iuris,& bonarum artium; cum Reipub. interfit homines habere scientia prædicos, & doctrina; Approbantes,laudabilem nostrorum antiquorum consuetudinem. Ordinamus q; studentes de hac nostra Terra oriundi in iure Canonico,uel Ciuili,medicina,in artibus liberalibus,uel Theologia in aliquo famoso studio,habeant,& consequantur à nostro Communi singulis annis, usq; ad septennium inclusiuè, florenos septem cum dimidio: dummodo priusq̃ aliquid percipiant de dicta prouisione,idonee caueant de continuando studium usq; ad Doctoratum inclusiue,de quo quidem doctoratu,infra mensem à die reditus,seu doctoratus, fidem facere teneantur per exhibitionem priuilegii doctoratus in publicam, & authenticam formam,aliàs nihil à dicta nostra Cōmunitate petere,uel consequi ualeant quoquomodo.

De recusantibus officia Communis. Rub. XXXVI.

STATVIMVS, Nulli nostro Ciui electo, seu forte extracto ad aliquod officiū publicum,illud recusare licere quacunq; ex causa,nisi infirmitatis,& absentiæ non affectatę,uel alterius iusti impedimenti,pœna contrafacienti.xxv.lib.den.& ipso iure (uti ingratus) omnibus, & singulis officiis, emolumentis, dignitatibus, & honoribus dicti Cōis censeatur priuatus,& in posterum ad exercenda dicta officia nullatenus admittatur, nisi aliud Concilio generali dictæ Terrę ex aliqua rationabili causa uisum fuerit; teneaturq; iurare se bona fide,& sine fraude dictum officium administraturum.

De debitoribus Communis, seu litem haben. cum eo,ad officia publica non admittendis. Rub. XXXVII.

SOEPE Euenit, q; Decuriones,seu Ciues Reipublicæ pecuniariam administrantes, uectigalia Communis, seu gabellas, & prouentus eiusdem ementes, postmodum cauillationibus,& subterfugiis solutiones differunt; & alii cognationis, & aliis humanis respectibus Rempublicam indefensam relinquunt in maximum detrimentum nostri Communis. Volentes huic morbo congruam adhibere medelam,presenti nostro decreto firmamus,q; si quis de numero Conciliariorum,uel Priorum, seu de eorum familia cuiuscunq; status,& conditionis existat,haberet litem cum Communitate, uel esset debitor clarus quacunq; ex causa,etiam pro solutione pedagiorum,quæ prius persoluere recusasset

fasset sub prætextu priuilegiorum, extraheretur ad officium Prioratus, uel aliud publicum officium eidem nullatenus Domini Priores in officio existentes, & Cancellarius Communis iuramentum deferant, neq; ad dictum officium admittant, nisi facta cessione litis,& actuali solutione eius quod debetur in manibus Camerarii Communis, pœna Prioribus,& Cancellario centum librarum denariorum de eorum salario auferenda,& nostro Communi applicañ. quibuscunq; non obstantibus.

Quod absentes,& non possidentes in Terra Sancti Elpidii publicis officiis, & dignitatibus non gaudeant. Rub. XXXVIII.

ORDINAMVS. Et firmiter statuimus ut illi qui licet ex hac nostra Terra oriundi sint, nihilominus proprios lares deferentes alibi domicilium contrahunt,& eorũ in curia, seu parentum eorundem bona dilapidarũt nullatenus possint ad honores, dignitates,& officia (ad regimen nostrę Reip. pertinentia) admitti, eligi, uel deputari; & si aliter factum fuerit, irritum,& inane habeatur. Et nihilominus contrarium tentantes, uel facientes, pœna.xxv.lib. pro quolibet mulctentur quibuscunq; non obstantibus.

De Receptione nouorum Ciuium,& ipsorum recessu. Rub. XXXIX.

STATVIMVS. Nouis Ciuibus,& Castellanis, uel aliis, nullam immunitatem, seu exemptionem à Concilio dictę Terrę concedi posse, nisi dumtaxat obsequiorũ personalium, solutionũq; faciendarum pro dictis obsequiis,& impositionis fumantium, usq; ad quinquennium,& non ultra; dummodo dicti noui Ciues,& Castellani idoneè caueant de continue habitando cum eius familia in hac nostra Terra & eius districtu, pœna proponenti,& arrenganti & scribenti contrarium uigintiquinq; librarum pro quolibet. Liceat tamen tali forensi in castellanum recepto recedere impune, & bona eius alienare, solutis tamen prius lib. centum deñ. nostro Communi; contra quos procedi possit per inquisitionem,& omni alio modo, non obstante lapsu temporis quinquennii.

De non excastellando de Terra,& Territorio S. Elpidii. Rub. XL.

STATVIMVS, Et præsenti lege firmamus, nemini terrigene, uel habitatori à.xxv. annis citra licere ex hac nostra Terra, uel eius territorio recedere, neq; bona aliqua mobilia, uel stabilia, causa alibi Domicilium contrahendi, nisi solutis actualiter in manibus Camerarii Communis flo.xxv. de bona moneta, sub pœna ducentarum librarum denariorum,& imposterum nullatenus dignitatibus, officiis quibuscunq;, uel honoribus, uel beneficiis gaudeat, sed sit ipso iure,& facto priuatus,& quilibet possit accusare, uel denunciare,& lucretur quartam partem pœnæ,& teneatur secretus.

Qui teneantur ad obsequia personalia Communis. Rub. XLI.

MASCVLI Omnes maiores.xiiii.annis ad obsequia personalia nostri Cõis omnino teneri uolumus; exceptis Doctoribus Iuris,& Medicinę equitibus, militibus insignia militaria portantibus, Capitaneis, docentibus gramaticã,& studentibus in iure, uel in artibus infirmis, pactualibus, seu famulis, maioribus septuaginta annis, absentibus a dicta Terra,& eius districtu, ac etiã habẽtibus exẽptionẽ à dictis obsequiis à Cõmuni.

De precibus super exẽptione ab oneribus, nisi bis in anno proponeñ. Rub. XLII.

PRAESENTI Nostro decreto ordinamus, quod preces porrigendæ ab his qui uellent de oneribus, quæ subeunt, siue fumantiæ, siue catastorum, aut salarii Potestatis,

uel ex quauis alia causa eximi in totum, uel in partem admitti minime possint, nec recipi in Concilio Credentiæ, seu generali, nisi bis in anno. Et si semel propositæ reiectæ fuerint, nō possint ulterius proponi, uel recipi, nisi elapso anno; & si secus factum fuerit, nullius sit momenti, & pro infecto habeatur. Et nihilominus Priores Cancellarius, uel quilibet alius contrarium attentans, uel faciens, in libris. xxv. den. condemnetur.

De deueto officialium forensium. Rub. XLIII.

STATVIMVS, Et ordinamus q nullus qui sit de aliqua Ciuitate, Terra, uel loco aliquo propinquo Terræ nostræ per decem miliaria possit esse in dicta Terra in officio pro aliquo Rectore, uel pro Rectore, & qui fuerit Rector dictæ Terræ ad dictū officium eligi, uel assumi non possit usq ad quinq annos proxime futuros computandos à die finiti sui officii, & si secus factum fuerit electio sit nulla ipso iure, & nullum ius acquiratur ipsi electo. Et quicunq Rector qui fuerit in dicta Terra, qui occasione suæ malæ administrationis, uel gestionis fuerit condemnatus, uel quicunq Iudex, uel quicūq alii, qui in dicta Terra habuerunt, & exercuerunt aliquod officium, qui ut supra malę suę administrationis ratione condemnati fuerint, non possit, uel possint de cætero in dicta Terra aliquod officium habere, uel exercere, nec eligi, uel assumi; & si secus factum fuerit electio sit nulla ipso facto; & Rector, ac cæteri officiales sui qui pro tempore fuerit, uel fuerint in officio in dicta Terra, non possit, neq possint in eodem permanere ultra annum continuum à die introitus eorum numerandum. Et qui in Concilio dictæ Terræ tàm generali, q̄ speciali proponerent, seu proponi facerent, cōsulerent, uel arrengarent oppositum eius, quod in dicto statuto cōtinetur, incidat in pœnam uigintiquinq librarum denariorum nostro Communi applicandarum, & nihilominus quod propositum, consultum, arrengatum, & reformatum fuerit incontrarium præmissorum, ipso iure sit inualidum, & nullum sortiatur effectum.

De libro speculi conficiendo. Rub. XLIIII.

STATVIMVS, Et ordinamus, q per Commune fiat unus liber, qui uocetur speculum: in quo scribantur singuli debitores Communis, tàm occasione condemnationum criminalium, q̄ alia quacunq de causa, & in dictis debitoribus describendis, scribatur quantitas, uel res in qua est debitor, & in quo libro apparet debitor, & quando, & ex qua causa condemnatus, uel aliter debitor; In quo libro speculi scribātur annus, dies, & mensis; quibus dictus debitor fuit descriptus, & si facta notificatione per bayulum Communis ad syndici petitionem, Priorum, uel Cancellarii, uel alterius officialis, personaliter, uel domi eius solitæ habitationis, q est descriptus in libro speculi Communis, & si talis debitor infra terminum unius mensis à die notificationis computandi non satisfecerit dicto Communi cum effectu, sit ipso iure priuatus omni officio, & beneficio Communis. Et nihilominus quartum plus dicti debiti soluere cogatur, de qua notificatione mentio fiat in dicto libro, ibi ubi est scriptus si fieri commodè potest, aliàs scribatur in alia parte dicti libri; cui libro plena adhibeatur fides, quamuis in dicto libro deficiāt indictio, locus loci, cum confinibus nomen Potestatis, publicatio testium, & aliæ solemnitates, & substantialitates iuris.

De Catasto Communis habendo, & bonis accatastandis. Rub XLV.

NE Commune in aliquo defraudetur, & ne quis pro aliquo indebite onera subire cogatur. Volumus, & ordinamus, q per Commune nostræ Terræ fiat, & conficiatur unus liber magnus de carta membrana per Alphabetum, in quo describantur nomina

mina omnium, & singulorum posidentium bona stabilia in dicta Terra, & eius terr to- rio, & singula eorum bona prædicta, & quantitates dictorum bonorum cum annotatio ne contractæ, & confinium, ac etiam ualoris, seu extimationis eorundem bonorum. Qui quidem liber conseruetur per Cancellarium in Archiuio Communis; qui Cancellarius teneatur ostendere dictum librum omnibus, & singulis uidere uolentibus, & habentibus interesse, dummodo de dicto archiuio non extrahatur, pœna Cancellario, uel alii contra facienti x. lib. de facto exigeñ. Neq; in dicto libro aliquis præter Cancellarium, uel alteriũ eius loco deputatum manum mittere posit ponendo, uel leuando, addendo, uel minuendo pœna quinquaginta lib. ultra damni occasione præmissa passi restitutionem; & q. ſſ let scriptum sit irritum, & inane, ac etiam teneatur dictus Cancellarius quotidie prout contigerit ponere, & leuare de dicto libro ad requisitionem cuiuscunq; petentis, dummodo alicui ponatur, & in eius præsentia cui ponitur breuiter scribendo in margine, casum quia positum est in catasto talis, tali anno, & die; Et si contigerit aliqua bona supradicta alienari dominus dictorum bonorum, teneatur ad solutionem datiuarum, collectarum, & aliarum impositionum, dictis bonis ex qualitate temporum ob principum necessitates impositarum, donec in extimo, & catasto emptoris posita fuerit, uel, & si posita sint, soluendo fuerint. Et si quis uendiderit, seu alio quocunq; titulo alienauerit aliqua bona stabilia alicui forensi, uel non habitanti in hac Terra nostra, uel eius Territorio, seu alicui alii personæ non præstanti obsequia nostro Communi, aut quomodocunq; exemptæ, & immuni, non posit, neq; ualeat bona huiusmodi alienata leuare, quinimo non obstante dicta alienatione semper posit cogi ad solutionem onerum dictis bonis impositorum, seu personis pro rebus. Et nihilominus puniatur pœna centũ lib. de facto auferen. & ad hoc ut fraus aliqua non fiat quando leuantur, & ponuntur terræ domus, uel alia stabilia, teneatur, & debeat Cancellarius Communis exigere sacramẽtum ab ambabus partibus, quæ peterent mutationem fieri, uel positionem, seu leuationem, qualiter hoc non faciunt in fraudem Communis, nec causa se eximẽdi ab aliquo onere dicti Communis in totum, uel in partem, & qui contrafecerit, puniatur in lib. x. dñ. Addentes q. omnes, & singuli posidentes bona stabilia in dicta Terra, & eius territorio teneantur, & debeant omnia, & singula dicta eorum bona integrè, & sine aliqua diminutione, uel fraude adcatastare, uel accatastari facere infra decem dies à die emptionis, uel acquisitionis talium bonorum, sub pœna quinquaginta librarum. Et nihilominus ad solutionem onerum dictis bonis impositorum integrè teneatur; Et quilibet posit accusare & lucretur quartam partem. Insuper addimus fieri debere alterum librũ de dicto catasto, & in Archiuio Communis, seu capsetta conseruari, & hoc ad fraudibus obuiandum.

Quòd Terra Sancti Elpidii diuisa sit in quarteria. Rub. XLVI.

STATVIMVS. Et ordinamus q. hæc nostra Terra sit diuisa, seu diuidatur per quarteria in quatuor partes, V3. per quarterium Sancti Elpidii, Sancti Martini, Sanctæ Mariæ, & S. Ioannis; & sic pro quarterio diuidatur, & nõ aliter, nec alio modo.

De occultatione Hæbreorum tempore pasionis Domini Nostri Iesu Christi. Rubrica. XLVII.

LICET Comercium, & conuersationem inter Christianos, & hæbreos rationabilibus ex causis Sancta Mater Ecclesia toleret, & permittat; ne tamen inconueniens aliquod inter eos oriatur, arctanda sunt tempora. Statuimus ergo, & ordinamus, q. tempore Pasionis D. N. Iesu Christi, uidelicet die Iouis Sancti, ab hora qua Campanarum sonus prohibetur, usq; ad diem Sabbati Sancti, quo sonus earum audiatur, omnes, & singuli hæbrei in hac nostra Terra commorantes debeant se in eorum domibus

recipere, & includere hostiis, & fenestris clausis. Nec liceat eisdem, uel alicui eorum e domibus egredi, uel exire, pœna cuilibet contrafacienti, uigintiquinq; librarum denariorum, de facto, & sine aliquo processu auferendarum. Et nihilominus siquis eos egredientes de dictis eorum domibus contra formam præsentis statuti, offenderit citra mortem, uel membri debilitationem seu ossis fractione, ad pœnam aliquam minime teneatur, & per nostrum Commune defendatur. Nemini autem liceat dictis hæbreis sic inclusis aliquam molestiam, uel iniuriam inferre dictis, uel factis, pœna contrafacienti decem librarum pro quolibet, & uicequalibet.

De confirmatione statutorum, & pœna ipsa statuta infringere præsumentium; & impetrantium. Rub. XLVIII.

STATVTA Omnia, decreta, reformationes, & constitutiones nostri Communis in omnibus causis, & negociis non solum in futuris, sed etiam in inceptis nondum finitis iudiciali sententia transactione, pacto, uel pœna, & in omnibus præsentibus, & dependentibus, ac emergentibus ab eisdem hactenus facta, ac etiam quæ de nouo pro tempore contigerit, fieri ualeant per sex menses absq; alia Superioris confirmatione. Et Prætor, cæteriq; officiales dictæ Terræ, dicta statuta, decreta, reformationes, & constitutiones condita, & condenda, modo, & forma prædictis simpliciter, & prout littera iacet, & uerba ipsa sonant, & declarant ad sanum intellectũ interpretētur Prohibentes interpretationem correctiuam, arctatiuam, declaratiuam, uel extensiuam super dictis statutis (secundum q̃ sacri canones permittunt) obseruent, & obseruari faciant cum effectu. pœna contrafacientibus quinquaginta librarum, pro quolibet contrauenientr, & de totum salario auferendarum, & Communi nostro applicandarum. Nec aliquis audeat, seu ualeat dicere, allegare, uel protestari contra dicta statuta, decreta reformationes, & constitutiones, q̃ non ualeant, nec iuris effectum habeāt sub prędicta pœna auferēdi. & applicādi. ut supra, preterq̃ si non essent approbata per Dominū Rectorem Marchiæ, uel Sanctissimum D. N. PAPAM, uel ab eo ius habentē. Insuper addimus q̃ omnia, & singula statuta, & ordinamenta Populi Terræ Sancti Elpidii facta, & facienda intelligantur, & sint condita ad honorem, & reuerentiam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, & Populi, & Communis Sancti Elpidii: Et si quod capitulum, uel statutum esset in totum, uel in partem, directe, uel indirecte, uel esse posset cōtra Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, Sanctamq; sedem Apostolicam, Sanctissimum D. N. PAPAM, uel ipsius officiales, exnunc pro infecto, nullo, & irrito ipso iure habeatur. Et Potestas, seu eius officiales ad eorum, uel eius obseruantiam minime teneantur, sed pro cancellatis, & abrasis censeantur.

De pœna opponentium contra iura Communis. Rub. XLVIIII.

NATVRA Quippe impellimur, ut patriam pre cæteris diligamus, publicamq; utilitatem priuatę præferamus; propterea statuimus, & præsenti decreto firmamus, nulli Ciui, uel incolæ, & habitatori nostræ Terræ, quouis modo licere publicè, uel occulte, directè, uel indirectè, expresse, uel tacitè, per se, uel per alium cum scriptura, uel sine, opponere, excipere, uel allegare contra priuilegia, indulta, gratias, iura, & beneficia nostræ Reipublicæ, & contra statuta, reformationes, decreta, uel aliquod eorum capitulum in iudicio, uel extra, inualida, seu nulla firmiter asserere, & quauis occasione ratione priuatæ utilitatis publicam lędere, quomodocunq; & qualitercunq;. Siquis autem contrafecerit, pœna centum librarum ipso iure incurrat, & quinquennio omnibus beneficiis, honoribus, & dignitatibus ab ipsa republica prouenientibus, ipso iure priuatus intelligatur.

Quod

Quòd Notarii forenses nō faciant specialium personarū scripturas. Rub. L.

STATVIMVS, q Notarius Potestatis, uel alius Notarius forensis, excepto Cancellario Cōmunis, qui habeatur tamq̄ Notarius terrigena, non possit, nec debeat scribere, uel publicare aliquem contractum, uel acta Ciuilia, ex quibus posset mercedem aliquam recipere à partibus, uel specialibus personis, uel scribere scripturas specialium personarum huius Terræ, & habitantium in ea, eiusq; territorio, nec se rogare de aliquo contractu, nisi acta, & scripturas ad eius, uel eorum officium pertinē. & Communi essent necessaria, & utilia, sine aliqua mercede, & solutione pro interesse, dumtaxat Communis nostri, copiam tamen processuum Notarius Potestatis sui temporis, & prædecessoris his ad quos spectat, possit, & debeat scribere, & tradere recepta competenti mercede iuxta formā statutorū de materia loquentium, & teneatur exhibere unicuiq; petenti acta, uel scripturas, easq; copiare, & copiari facere: & si cōtrafecerit puniatur uice qualibet in .x. lib. den. tempore syndicatus de facto auferen. & nihilominus quicquid secus factum fuerit, sit ipso iure nullius roboris, uel momenti. Et è contra nullus Notarius terrigena possit, uel ualeat scribere acta, uel scripturas ad officiū dictorum Notariorum forensium spectantia, nisi causa necessitatis propositas, dicta consulentium reformationes, & syndicatus quoscunq; pœna contrafacienti, xxv. librarum de facto auferendarum.

De solutionibus scripturarum, & mercede officialium Prętoris. Rub. LI.

AVARITIAE, Et extorsionibus officialiū prouidere uolentes; hac perpetua aliqua lege sancimus officiales nostri Rectoris, uel iudicis infrascriptis solutionibus, & mercede pro eorum scripturis, & laboribus contentos esse debere, & plus, modo aliquo, & quæsito colore directè, uel indirectè publicè, uel palam, etiam si sponte eis daretur, uel donaretur, habere, accipere, uel extorquere non posse, pœna pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet uigintiquinq; lib. den. nostro Communi applicañ.

In primis quidem socius miles habeat, & accipere possit pro executione in causa ciuili usq; ad summam uiginti bononenorum, solidum unum; ab inde uero supra usq; ad bononenos quatraginta, bononenum unum pro quolibet floreno, usq; ad summam florenorum octuaginta; ab inde uero supra quantacunq; fuerit quantitas, nihil plu ris accipere, uel habere possit, sub iam dicta pœna, ultra restitutionem ablatorum.

Item pro captione alicuius tenutæ rei immobilis usq; ad summam quinquaginta florenorum, bononenos octo. ab inde uero supra quantacunq; fuerit quantitas, uel res, bononenos duodecim, & non plus.

Item pro executione contra iuratum suspectum habeat executionem superius taxatam, uidelicet bononenum unum pro quolibet floreno, usq; ad iam dictam summam.

Pro executionibus autem rerum Communis, nihil penitus habere, uel accipere ualeat, quinimo sub prædicta pœna teneatur, & debeat exigere omnes, & singulas res quantitates pecuniarum quomodocunq; ad nostrum Commune pertinentes, & conductoribus quorumcunq; prouentuum nostri Communis in exigendo, auxilium præstare ab'q; aliqua solutione, & mercede, sub iam dicta pœna.

Notarius uero Maleficiorum pro eius labore, & mercede habere, & accipere possit prout infra V3.

Pro fideiussione de non offendendo, de non discedendo, uel se repræsentando, etiam cum conseruatione indemnitatis bononenos duos à qualibet parte. bē. 2

Pro rogitu pacis, bononenos duos à qualibet parte. bē. 2

Pro responsione facienda inquisitioni unà cum fideiussione de stando iuri, & iudicatum soluendo, bononenos duos. bē. 2

Pro aliis uero actibus criminalibus, ut puta pro petitione termini ad probandum pro

productione testium, capitulorum, interogatoriorum, literarum, inditiorum, publicationis processus, & productione omnium, & singularum scripturarum Criminalium, bononenum unum, & non ultra. bl. 1

Pro examinatione testium ad instantiam cuiuscunq; simpliciter, bononenos duos pro quolibet teste. bl. 2

Si uero cum capitulis, & interogatoriis pro se, & Iudice examinante, in quolibet prædictorum casuum bononenos quatuor. bl. 4

Pro copiis quarumcunq; scripturarum, & actorum criminalium, pro qualibet carta bononenum unum, & carta copiarum sit, & esse debeat linearum uiginti pro qualibet facie, & linea quelibet continere debeat saltem octo dictiones. bl. 1

Pro instrumentis fideiussionum quarumcunq; treguarum, uel pacis in publicam forformam redactis bononenos decem. bl. 10

Pro examine testium publicato, ultra superius taxatam mercedem, habeat, & accipere possit bononenos quatuor, & non ultra. bl. 4

Pro inuentarii confectione, ubi mors, uel confiscatio bonorum interuenerit, & non aliter

Si intus Terram bononenos duodecim. bl. 12

Si uero extra, bononenos uigintiquatuor. bl. 24

Pro extractione sententiæ, uel processus criminalis in publicam formam, ultra bononenum unũ pro qualibet carta, accipere possit bononenos quatuor, & nõ ultra. bl. 4

Addentes socium militem prędictum, uel aliquem alium officialem nostri Rectoris pro capturis, uel carcerationibus faciendis de nostris ciuibus, uel habitatoribus, intus, uel extra, quacunq; ratione, uel causa nihil habere, uel recipere posse, uel ualere quoquomodo, pœnis prædictis; de quibus omnibus in fine eorum officii rationem reddere teneantur coram syndicatoribus.

De pœna imponenda Potestati facienti contra ius, uel formam statutorum dictæ Terræ, & eius officialibus. Rub. LII.

POTESTAS, Seu Rector, & cæteri officiales Terræ Sancti Elpidii obseruent omnia statuta condita, & approbata, tamen primo per Reuereñ. D. Legatum Marchiæ, & condenda in dicta Terra, dummodo nõ sint contra libertatem, & statum S. R. Ecclesiæ, uel contra dictum Reuereñ. D. Legatum, & aliquos eius officiales, & contra ea alicui non faciat, nec contra dicta statuta aliquem condemnet, nec dictis statutis, uel ipsorum alicui aliquem renunciare cogat, nec absolutionem alicuius statuti Communis in aliquo Concilio petat: pœna Potestati, uel Rectori imponenda, uel exigenda de facto fine processu, quinquaginta lib. deñ. & cuilibet alii officiali etiam uigintiquinq; librarum denariorum si contrafecerit in prædictis, uel aliquo prædictorum.

FINIS PRIMI LIBRI.

IN DEI NOMINE AMEN

MVNICIPALIVM, LEGVM, ET STATVTORVM ECCLESIASTICAE TERRAE SAN- CTI ELPIDII.

SVPER CIVILIBVS CAVSIS, SECVNDVS LIBER; FOELICITER INCIPIT.

De Citationibus in Ciuilibus causis. Rub. I.

QVONIAM Omnium actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua de in ius uocando Prætor edicit, citationéq; à iure naturali introductã esse constat. Ideo à citationibus inchoañ. duximus, statuimus ergo, & ordinamus, q in causis, negociisq; ciuilibus à .x. lib. supra citationes modo, & ordine infrascripto fieri debeant, quando per uiam, & modum libelli, causa foret agitañ. quòd reus, seu ille contra quem agi desideratur; si quidem fuerit habitator huius Terræ, & personaliter fuerit inuẽtus in Palatio, uel Platea Communis, citetur, & citari possit, & ualeat pro ipsa eadem die citatio de eo facta, si uero personaliter repertus non fuerit, ut supra, citetur una die pro altera immediatè sequenti, post citationem domi habitationis solitæ ipsius rei citati, personaliter, uel domi, in quibus citationibus exprimatur nomen actoris, & coram quo Iudice citetur reus de iure actori responsurus: relationes autem dictarum citationum redigi debeant à Notariis actuariis, uel altero ipsorum in scriptis, quas quidem citationes uolumus posse fieri simplici uerbo Bayuli, & absq; Iudicis commissione præcedente, quæ nullatenus requiratur in causis pariter, & negociis ciuilibus .x. lib. uel ab inde infra sufficiat, & ualeat citatio facta per Bayulum simplici uerbo de reo personaliter, uel domi ipsius rei habitationis, modo, & forma præmissis. Verum causas .x. lib. summam non excedentes, Iudex summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, ac sola facti ueritate inspecta audiat, & cognoscat ipsas infra .x. dies, à die primæ citationis terminet, & decidat præuia tamen simplici petitione in scriptis, reiectis, uel admissis exceptionibus Iudicis arbitrio, qui ita se diligenter gerat, ut dictas causas infra dictum terminum omnino terminet, & expediat, pœna .xx. lib. de eius salario auferendarum pro qualiber causa, & uice, & nihilominus præfatus Iudex, uel eius successor dictas causas infra .x. dies terminare teneatur, sub iã dicta pœna, & ad tolleñ. dubitationes, quæ sæpe oriri solent. Volumus q in omni causa, negocioq; ciuili cuiuscunq; quantitatis, uel extimationis, stetur, & credatur relationi Bayuli circa sibi commissa, uel ad suum officium, seu ministerium pertinentia. Forenses uero non habitantes in dicta Terra Sancti Elpidii, uel eius territorio, citari uolumus ad hospitium, & schalas Palatii per Præconem Communis, uel Bayulum alta, & intelligibili uoce, dicentem quòd talis facit citare talem, de tali loco, ut ueniat coram Iudice ad respondendum.

De Præparatoriis Iudiciorum. Rub. II.

CVM Sæpe anteq̃ iudicium inchoetur opus sit interogationes, & responsiones aliquas in iudicio fieri,& aliquid ad futuri iudicii ordinationem præcedere, ut puta in rei uendicatione iudicio familiæ herciscundæ,communi diuidũdo ad exhibeñ. pro socio,& his similibus. Ideo statuimus,& ordinamus,ꝙ si quis,quemq̃,ut hęredem conuenire uoluerit,aut contra bona,seu in bonis cuiuscunq; defuncti ius aliquod petere, uel se habere prætenderet; Rector,seu Iudex ad petitionem partis petentis,seu requirentis,teneatur,& debeat interogationes facere opportunas,& congruas,in,de,& super pręmissis,& similibus; reumq;,seu partem requisitam ad respoñ. cogere summariè, simpliciter, & de plano,sine strepitu,& figura iudicii,ac etiam de facto,personaliter si ei uidebitur,præstito tamen prius per actorem,seu petentẽ,uel requirentem, calũniç iuramento insuperq; teneatur,& debeat alia facere, & ordinare quæ in prædictis, uel eorum aliquo necessaria fuerint,uel quomodolibet opportuna. Possitq; idem Rector statuere parti dilationem, seu terminum ad deliberañ. in aliquo ex prædictis reo conuento,uel requisito trium dierum,ita tamen præfatus iudex in præmissis se gerat,ꝙ spatio quinq; dierum tali negotio finis imponatur,pœna.xxv.lib.de eius salario retineñ. nec per prædicta uolumus responsiones,seu alia quæ in prædictis fierent,quo ad alias res,aliasue personas, aut negotia aliquod respondenti præiudicium generari; si quis autem in prædictis,uel aliquo prædictorum mandatis Iudicis,uel Rectoris interogantis, uel aliter disponeñ. in aliquo ex prædictis contumaciter parere,seu obedire recusauerit,post mandatum, seu Iudicis requisitionem huius statuti authoritate pro confesso habeatur, nec conqueri possint interogari, moniti,seu iussi respondere,utrum heredes existant,cum etiam in contineñ & immediatè ex inuentarii confectione,ne ultra uires hęreditarias teneantur,possit esse consultum.

De modo,& ordine procedendi in causis Ciuilibus ordinariis. Rub. III.

STATVIMVS, Et ordinamus ꝙ in omnibus, & singulis causis,& quæstionibus, in quibus summariè non proceditur attenta forma statutorum ordinariè procedatur. Quia oblato libello coram Iudice, & reo citato comparente, legitimatioñ. mandatorum,Procuratorũ utriusq; partis,ubi causa ipsa per procuratores, seu alios alieno nomine agentes,contigerit agitari,primo facta,& petitionis oblatę demum copia reo data expeñ. actoris,detur terminus per Iudicem trium dierum ad respondeñ. dictæ petitioni,seu libello; quo elapso,facta primò legitimatione mandatorum procedatur ad litis contestationem,& iuramenti de calumnia delationem,& ipsius præstationem,si à parte petitum fuerit,seu etiam Iudici uisum fuerit deferendũ,nisi in termino ad respondeñ. libello assignato reus opponeret exceptionem incompetentię Iudicis, rei iudicatæ, transactæ,uel finitæ,iuris iurandi,seu etiam pacti de non agendo,excomunicationis,spoliationis,contra in uasorem agentem obiectæ, seu etiam nullitatis,& quæ iudicium retro nullum redderet. Quas quidem exceptiones ad processum reus in termino prædicto ad respondendũ libello assignato opponere teneatur,si ipsis uti uoluerit contra processum, quo termino elapso illas opponere uolens,seu opponens super ipsis ad processum impedieñ. nõ audiatur nisi illarum notitiam,post dictum terminum elapsum habuisse dixerit, & per eius sacramentum affirmauerit. Quibus quidem oppositis in processu causæ supersedeatur,donec super ipsis,& ipsarum ueritate discussum fuerit. Quas quidem exceptiones si opponi contigerit,opponens ipsas,uel earum aliquam probasse cum effectu teneatur infra octo dierum terminum,& plurium si de maiori iudici uidebitur, inspecta facti exceptionis obiectæ qualitate,& loco in quo ipse probationes adesset,à die obiectionis earum computañ. ipsa tamen obiectionis die in termino prædicto minimè computata. Quibus quidem exceptionibus obiectis probatis: Iudex ad ulteriora nõ procedat,

sed super

sed super ipsis pronunciet, & partem opponentem ab instantia, & processu absoluat, seu eius examina relaxet, & agentē, si sibi uidebitur, considerata eius temeritate, uel calumnia in expeñ. condemnet, prout de iure sibi uidebitur. Ipsis uero exceptionibus oppositis nō probatis, infra terminum supradictum: Iudex ad ulteriora procedat, prout superius, & inferius est expressum, & procedendum esse pronunciet, ac opponentem, & non probantem actori in expeñ. in duplum condemnet, actoris sacramento declarandis, quas ei dem resarcire compellatur de facto, remediis opportunis, priusq̄ in eius defensione audiatur. Responsione uero facta libello, seu petitioni porrectæ, & exceptionibus supradictis non oppositis, seu oppositis, & non probatis, Iudex partibus mandet litem contestari: & si qua partium contestari recusaret, Iudex litem esse contestañ. pronunciet. Qua pronunciatione facta, & iuramento calumniæ præstito, si præstari ut supra contigerit, actori de iure suo quinq; dierum, & plus, & minus arbitrio Iudicis pro prima dilatione ad probandum terminus assignetur. Quo termino elapso, alia dilatio ad probandum eidem non assignetur, nisi in prima dilatione pars ipsa fuerit impedita, & quicquid potuerit fecerit, quo casu impedimento coram Iudice allegato, & specificato per partem, & iuramento per ipsam præstito super ueritate dicti impedimenti allegata, & eius diligentia in probando adhibita, trium dierum pro secunda dilatione ad probañ. terminus assignetur. Quo elapso si in dicto termino pars ipsa rationabiliter fuerit impedita probationes suas facere, & de impedimento iusto, & rationabili Iudicis arbitrio idoneè per duos testes in uoce receptos, seu ad minus per unum, bonæ conditionis, & famæ, & ipsius partis impeditæ sacramentum constiterit, parti petenti tertia dilatio detur, in qua tantum tempus quanto fuerit impedita, in secunda dilatione ad probañ. assignetur, ultra quas dilationes ipsi parti quæ illas habuit nulla ulterius ad probandum dilatio concedatur. Termino uero, seu dilationibus supradictis actori ad probandum assignatis elapsis, reo similiter, & simili modo, & ordine petenti ad probandum terminos, & dilatio assignetur, prout in actore superius est expressum. Et ubi contingat, & necesse sit pro probationibus faciendis mittere extra Terram Sancti Elpidii, & eius districtum, intra Prouinciam tamen Marchiæ, tunc parti quæ in dictis locis probationes, seu testes habere dixerit, quindecim dierum ad probañ. & testes suos deposuisse facieñ. terminus assignetur. Si uero extra Prouinciam prædictam, probationes, seu testes habere dixerit, tunc unius mensis, & plus, & minus arbitrio Iudicis, considerata locorum distantia, & temporum qualitate: in quibus quidem locis, terminus assignetur per Iudicem ad petitionem partis petentis, ac iurantis corporaliter manu tactis scripturis, se in locis prædictis probationes, seu testes habere. Qui quidem Iudex testium iuramentum, & ipsorum examinationem, in locis prædictis allegatis, Iudici, seu Rectori illius Terræ committere teneatur, monendo partem aduersam, q; in locis prædictis si noluerit interesse debeat, testium iuramentis, & aliis probationibus facieñ. in prædictis locis interesse. Ad quæ loca, in quibus probationes erunt facieñ. seu testes examinañ. pars monita demum accedere teneatur, si à parte ad cuius petitionem commissio facta fuerit, dum iter arripieñ. personaliter, uel ad domum fuerit requisita: de qua requisitione constet, & constare debeat per publicum instrumentum, uel per acta Notarii causæ, & aliter si pars ipsa monita ut supra non fuerit requisita, pro non monita, & non contumaci habeatur, & si pars malitiose, calumniose, seu frustratorie, seu mouendi iudicii causa probationes ab extra se habere dixerit, & terminum habuerit supradictum parti aduersæ in expensis ea occasione factis in duplum condemnetur. Et si in termino probatorio positiones, seu capitula à parte produci contigerit, quibus a parte aduersa respōderi petatur, seu pars ipsa contra quam positiones, & capitula producerentur, super quibus testes deberēt examinari, & interrogatoria super his facere uellet, secundum quæ testes examinari deberent, donec positionibus ipsis responsum fuerit, seu super ipsis interrogatoria per partem facta non fuerint, durante termino ad illa facieñ assignato. Ad quæ interogatoria facienda unius diei terminus, & plus, & minus arbitrio

Iudicis assignetur; dilatio ipsa, & terminus assignatus, non currat, sed in suspenso remaneat, elapsis uero terminis probatoriis supradictis publicetur processus, & testium dicta aperiantur, & partibus hinc inde ad opponendum contra testes, & ipsorum dicta, & opposita probandum, terminus detur ut supra, & minor Iudicis arbitrio, considerata qualitate negocii, & oppositionum probandarum, & ad testes reprobandos, non detur nisi unica dilatio, nisi fuerit de partium uoluntate, & aliter data non teneat. Quo termino elapso ad producendum omnia iura, & instrumēta, quibus partes uti uoluerint in causa, quatuor dierum communiter terminus partibus assignetur, infra quem partes ipse iura, & instrumēta quibus in causa ipsa, & coram eodem iudice uti uoluerint producere teneantur, sed post dictum terminum ad producendum non admittantur.

De modo procedēdi in causis ciuilibus summā .x. lib. nō excedentibus. Rub. IIII.

NE, Sumptus rem superet, æquum esse uidetur, ut causæ ciuiles breuiores non excedentes summam .x. lib. regia manu, summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicii, sine libello, litis contestatione, iuramento calumniæ, & aliis solemnitatibus, & ordinibus Iudiciorum à Rectore expediantur: præmissa citatione. Et si reus contumax fuerit, possit Iudex per iuramentum actori deferendum, dummodo habeat semiplenam probationē decidere, & in dictis causis si aliqua pars detulerit alteri parti iuramentum, teneatur ad simplicem, & solam petitionem unius partis, altera pars iurare, uel referre, & ille cui refertur non possit recusare, alias in quolibet casu prædictorum iurare recusans censeatur habere malam causam, & cadat in totum à causa, & si ab aduersario liquidè probabitur deierasse infra .v. dies à die delati iuramenti, teneatur periurus in duplum petitorum ipsi parti, & incurrat pœnam .x. lib. deñ. de facto, absq; aliqua diminutione, quam si non soluerit infra quinq; dies, ponatur ad catenam Communis, & ibi permaneat per tres horas, & ei ut infami fides amplius non adhibeatur. Declarañ. in causis non excedeñ. .x. sol. debere credi actori cum eius iuramento, usq; uero ad summam .x. lib. unà cum iuramento concurrat dictum unius testis, ab inde uero supra requirantur duo testes omni exceptione maiores, socius uero miles summariè, ut supra cognoscere possit usq; ad sol. .xl. aliquo non obstante. Nemini autem liceat summam, seu speciem diuidere, ut causa efficiatur summaria, pœna decem lib. & priuationis iuris sui pro residuo non petito.

De litis contestatione, & sacramento calumniæ. Rub. V.

VT Lites quanto citius possit expediantur: statuimus, & ordinamus q; facta legitimatione mandatorum, & nullis obiectis exceptionibus contentis in proximo præcedenti statuto, uel ipsis oppositis, & non probatis: Iudex mandet litem à partibus contestari, & illas compellat remediis opportunis, & intelligatur esse contestata per petitionem actoris, & confessionem, uel negationem rei, seu etiam quoties Notarius in actis attestabitur simpliciter litem fuisse legitimè contestatam, licet modus contestationis per acta Notarii non appareat, possit tamen Iudex unà partium litem contestari uolente, & altera recusante expresse, seu ea citata ad litem contestandam, minime comparente, cum parte presente litem contestari, & pronunciare litem contestandam esse, & pro contestata haberi, & ad ulteriora procedi, & procedendum esse, ac si lis foret legitime contestata, & demum parte instante sacramētum calumniæ deferatur primo actori, deinde reo, & altera partium recusante, iurare, si actor fuerit, ipso iure cadat à causa, & pro condemnato in expensis habeatur, absq; alia condemnatione. Et si recusauerit reus pro confesso, & conuicto, & condemnato habeatur ipso iure, absq; aliqua condemnatione, tàm in principali, q̃ in expeñ. Et possit Iudex quandocunq; sibi uidebitur, & in quacunq; parte iudicii, & super quolibet articulo ad petitionem partis, & etiā ex officio sacramentū malitiæ cuilibet

partium

partium deferre prout sibi uidebitur. tàm in principali q̃ appellationis causa, & recusantē de malitia iurare, in articulo proposito super quo di būe delatum extiterit sacramentum, non audiatur, sed omnino ab illo repellatur tamq̃ super illo de malitia confessus foret, & conuictus.

De capitibus solidorum. Rub. VI.

POST Litis contestationem, uel ea quæ pro contestatione habentur. Rector, seu Iudex soluere faciat capita solidorum, V 3. bononenum unum pro quolibet floreno, æqualiter ab utraq; parte soluen̄. & hoc si quantitas petatur, si uero species, res, uel factum solui faciat, ut supra dictum est capita solidorum iuxta extimationem facien̄. dictarum rerum, quarum occasione litis contestatio facta extat & q̃ capita solidorum, non soluantur quando proceditur super exceptionibus, etiam si super his, lis contestatio fieret, sed soluantur quando fit litis cōtestatio super principali, uel libello; si quis uero acceperit ultra quantitatem prædictam pro capitibus solidorum, teneatur restituere, & etiam in duplum: & q̃ capita solidorum semel soluta, amplius non soluantur pro eadem re, & quia aliquando creditores querunt reos in expensis fatigare, uolumus q̃ supradicta de solutione capitum solidorum facien̄. ab utraq; parte, locum habeant, & intelligātur usq; ad quātitatem. xxv. lib. uel eius extimationis, ab inde uero supra, actor duntaxat teneatur soluere capita solidorum, donec ipse probauerit ipsam quantitatem, uel rem sibi deberi, & tunc possit à reo repetere medietatem capitum solidorum solutorum.

De partitis proponen̄. ad iurandum, uel referendum in iudicio. Rub. VII.

MAXIMVM Remedium finiendarum litium iuris iurandi religionem esse constat, & manifeste turpitudinis est nolle iurare, uel referre. Idcirco statuimus, & ordinamus q̃ in omnibus, & singulis causis, negocii sq; ciuilibus, exceptis illis de quibus constat publico instrumento, si actor stare uoluerit iuramento rei uel econuerso super petitione, uel intentione ipsius de ueritate dicenda. Iudex teneatur, & debeat cogere partem petentem ad faciendum partitum reo clarum, & simplex ad iurandum, uel referendum, & si is cui iuramentum delatum est, iurauerit. Iudex eius iuramento sequi teneatur omnino, prout clare iuratum fuerit, etiam sine aliqua solemnitate processus; si uero reus ipse recusauerit, seu noluerit, tunc rector proponenti partitum deferat iuramentum, & prout per ipsum iuratum fuerit, Iudex exequatur, & in omni casu iuramento delato à parte, parti, à Iudice iudicii, & per partem præstito, super eo q̃ iuratum fuerit, pars nullatenus audiatur, uolens iurantem de periurio redarguere, ad ipsius partis contra quem iuratum fuerit commodum, uel utilitatem, seu ut lis, uel negocium super quo delatum fuerit iuramentum, suscitetur, sed solum audiatur, & audiri possit ad periurium detegendum ut ipse qui iurauerit & deieeasse constiterit, puniatur in duplum, eius q̃ pars contra quem iuratum fuerit ex periurio læsa fuerit, Communi nostræ Terræ applican̄ pro pœna periurii antedicti, ultra pœnam aliā per statutum nostrum pro periurio impositam, qua etiam deierans antedictus, puniatur ultra pœnam prædictam, dupli in quolibet casuum supradictorum; & si is cui iuramentum, uel partitum iuramenti offertur, petierit terminum ad deliberandū, Iudex teneatur assignare terminum ad deliberarè iuran̄. uel referen̄. & prout per aliquam ex partibus iuratum fuerit, per Iudicem executioni mandetur, sicut diffinitiua sententia; & prædicta intelligantur ubi res inter partes gesta fuerit, & partitum fuerit clarum purum, & non confusum, quo casu nullo modo teneatur iurare, uel referre, & si pars agendo, uel se defendendo non probauerit plenè intentionem suam, seu defensionem, & à iudice petat sacramentum deferri in probationis supplementum, tunc Iudex illud secundum formam iuris Communis deferre teneatur.

In quibus causis, & casibus extraordinariè procedatur. Rub. VIII.

QVONIAM autem in aliquibus casibus decet terminos abbreuiari, ut citius, ac facilius expediantur causæ, hac perpetuo lege ualitura sancimus, q; Rector super causis differentiis, uel contrauersiis pupillorum, orphanorũ, pauperum, alimẽtorum restitutionis usurarum clericorum, & ecclesiasticarum personarum, monasteriorum, & locorum piorum redditionis administrationis cuiuscunq; gestæ, & administratæ, tàm pupillorum q̃ adultorum furiosorum, seu prodigorum, & cuiuscunq; alterius personæ, ac etiam in causis turbatæ, seu ablatæ possessionis, quoties pro illa retinenda, uel recuperanda ageretur, & dependentibus, & connexis, turbatæ, uel ablatæ possessionis gabellarum, carceratorum, detẽtorum fraternitatum, societatum, scopatorum, legatorum ad pias causas, salariorum, uel mercedis, quomodocunq; debitę, deguastationis alicuius rei, pensionũ laboritii, desgombrationis forensium, damni illati noui operis nunciationis, quali quali petitione porrecta, seu narratione coram iudice facta, parte tamen aduersa citata, secundum formam statutorum, de aliis causis celeritatem desiderantibus procedat summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, sola facti ueritate inspecta, iuris ordine non seruato substantialitatibus, & solemnitatibus obmissis, quibuscunq; diebus feriatis, etiam in honorem Dei, infra. xxv. dies continuos à die citationis computandos, terminet, & decidat in scriptis, uel sine, prout sibi uidebitur, & in causis fluminum, de terminis motis, de męnibus Cõmunis, de itineribus, seu uiis, de aquæ ductu, de tigno inuincto de glandibus, seu fructibus legẽñ. de arboribus in confinio positis, de muro reficiẽñ. de camino, de molendinis, de grundis, & subgrundis, de proiectis, seu stillicidiis, de fenestris, de pontibus, de foneis, de sequestris faciẽñ. eorumq; occasione, & de aliis quibuscunq; similibus, quæ iudicanda Iudicis arbitrio relinquimus, nec non de usufructu, usu, & habitatione, de cursu aquarum, de dote, & similibus, & generaliter de omnibus, & singulis seruitutibus, realibus, & personalibus, quibus Rector, & Iudex coram quo de prædictis, aut altero eorum quæstio, seu querimonia, aut requisitio fieret procedere, cognoscere, & terminare possit, & debeat summarie, ut supra terminis, seu solemnitatibus iuris, & statutorum non seruatis, & sine aliquo processu, & ualeat si ei expedire uidebitur, prædicta oculis inspicere, & partes inter quas quæstio orta fuerit: uel contrauersia cogere ad faciẽñ. compromissum in unum, uel plures de iure, & de facto coniunctim, uel diuisim, ac etiam peritos in arte, seu magistros eligere ad uidẽñ. prædicta, & ad referendum Iudici, secundum peritiam artis, quæ partes si neglexerint, aut recusauerint compromitere, aut etiam peritos eligere, Iudex, seu Rector ipse hoc facere possit, & cum eis, uel altero eorum ad hoc adhibitis, uel sine, talem controuersiam, ut prædicitur, terminare; & quicquid in prędictis, uel circa prædicta, Iudex decreuerit, secundum relationem, uel consensum talium arbitrorum, seu peritorum, uel magistrorum in casu, in quo assumpti fuerint, uel ipse solus deficiẽtibus ipsis decreuerit, & terminauerit auctoritate huius statuti, ualeat, & teneat, etiam si superinde processus, uel scriptura non interuenerit, nec quouis modo, seu pretextu, uel causa retractari ualeat, ita tamen Iudex in prædictis se diligentem prębeat q; infra dictos uigintiquinq; dies continuos à die querelæ, seu requisitionis inde factæ pœna. xxv. lib talem controuersiam debeat terminasse statutis in prædictis minoris temporis metas imponentibus; nihilominus in sua firmitate mãsuris, nemini autem liceat summarii, uel speciem diuidere, & ne miserabiles personę indefensę remaneant & ob eorum impotentiam, & paupertatem iura eorum amittant, uolumus Aduocatum, & Procuratorem Communis dictæ Terræ uel alium per Iudicem eligẽñ. teneri, & obligatos esse tueri, & defendere. Et Notarius actuarius uel alius similiter teneatur, & debeat gratis conficere scripturas, pro prædictis miserabilibus personis; q; si secus fecerit, incidat in pœnam. x. lib. sine aliqua diminutione applicañ. Communi: Aduocati autem, & Procuratores recusantes suscipere onus sibi debitum defensionis pauperum, uel ab eis patrociniũ exigentes, teneantur restituere

tur restituere

tur restituere, & cadant ab omni salario sibi debito: & nihilominus pœna decem librarum pro quolibet mulctetur, quæ autem intelligantur miserabiles personæ Iudicis arbitrio, ac Magnificorum D. Priorum relinquatur, & ut in prædictis etiam quo, admodum procedendi, omnis dubietas tollatur, infrascriptam formam obseruari mandamus, uidelicet, q; producta petitione, & copia ipsius, parti actoris expen. tradita, habeat terminum reus duorum dierum ad excipien. & ipsarum exceptionũ copia parti data, uel oblata, habeat actor terminum ad primam tutis a die datę, uel oblatę copię ad replican. & oblata copia ipsarum reus similiter habeat duorum dierum terminum ad duplican. & ulterius nullæ aliæ triplicationes, uel quatruplicationes admittantur, & omnes exceptiones, tam oppositæ, q̃ quæ opponi possent, auctoritate præsentis statuti intelligantur esse, & sint reseruatæ in processu causæ cognoscen. & proban. excepta exceptione mandati, uel aliis quæ contra personas in iudicio actitantes opponerentur, quæ ante dilationes probatorias discutiatur, & prædictis, ut pręfertur peractis, & legitimatis personis, statuatur simul, & semel terminus utriq; parti ad proban. quatuor, quinq;, sex, septem, uel octo dierum, arbitrio Iudicis inspecta qualitate negocii, in quo termino si positiones produci contigerit, & semel ipsis per alteram partium fuerit responsum, & iterum eadem pars alias positiones procedat, tunc, & eo casu instante parte quæ tenetur respondere: Iudex teneatur præfigere terminum unicum, & peremptorium arbitrio suo moderan. ad ponen. & capitulan. quicquid uult, & potest unica uice, ne pars respondere debens pluries in responsionibus fatigetur, & terminus probatorius ex malitia retardetur, in quo termino si aliqua partium testes inducere uellet, teneatur dicto termino durante inducere, & præstito iuramento examinari facere: si tamen altera partium assereret medio iuramento corporaliter pręstito se in dicto termino fuisse impeditam: & ideo secundam dilationẽ peteret, tali casu ipse Iudex secundam dilationem cõmunem utriq; parti per diem minorẽ prima statuere teneatur, & si pars contra quã testes induci contigerit, noluerit producere interogatoria, illa infra diẽ a die datæ, uel oblatæ copiæ articulorũ pręsentare teneatur, refrenan. & moderan. tamen arbitrio ipsius Iudicis, iuxta dispositionẽ iuris: quibus terminis elapsis publicetur processus ad instantiam petentis, & uolens opponere contra testes, & eorum dicta, habeat ipso iure terminũ trium dierum ad opponendum, a die datę, uel oblatę copię, in quo termino, etiam iura, instrumenta publica, & omne aliud genus probationis, produci, & fieri possit ad probandum exceptiones, contra testes, & eorum dicta, & totum processum. Quo termino elapso non admittantur amplius aliquæ positiones, uel testes, sed intelligatur statutus terminus ipso iure trium dierum ad allegan. & Iudex peractis prædictis, teneatur causam expedire, per sententiam tempore secundæ monitionis, & dicti termini intelligantur peremptorii, & continui, & non possint suspendi, neq; prorogari per ipsum Iudicem, nisi in casibus, ab aliis statutis determinatis.

De modo procedendi contra absentes, & de tenutis dandis. Rub. IX.

IN Ciuilibus causis in quibus ordinariè procedi debet, secundum formam statutorũ nostrorum, talis ordo seruetur, quòd citato reo secundum formã statutorũ de citationibus loquentium, si quidem reus non comparuerit, uel nihil exceperit, iterum citetur pro secunda, & si in secunda citatione non comparuerit, contumax pronuncietur: Deinde iterum pro tertia citetur, & contra eum non comparentem, executio committatur pro sorte, & expensis in libello, seu petitione contentis, præstito tamen pro parte actoris iuramento, quòd ea, quæ in libello continentur uera sunt, & pronunciet actorem, uel eius Procuratorem, fore, & esse mittendum in tenutam, & corporalem possessionem bonorum, & rerum, rei sic contumacis, ex primo decreto, primo de mobilibus, secundo

de immobilibus,& tertio de nominibus debitorum,secundum mẽsuram debiti in libello, seu petitione expresi,& declarati,& pro expeñ. legitimis,& executio,seu missio in possessionem rerum prædictarum fiat per bayulum Cõis,& stetur relationi ipsius,&successiuè executione facta,in uno genere rerum, uel bonorum non sufficientium ualeat,& possit fieri executio in alio,nec alia solennitas requiratur. Et præmissa intelligi uolumus cum fuerit actum actione personali, uel ea quæ sapiat ipsius naturam, sed si reali actione, uel mixta actum sit,tunc Iudex in termino reo, ut supra non compareñ. eum contumacem pronunciet,& actorem fore mittendum in possessionem,&tenutam rei petitæ ex primo decreto,uerum ad purgandum prædictam contumaciam, post Iudicis decretum,&datam talem tenutam,cum fuerit actione personali expertum, uel ea quæ naturam eius sapiat, reus comparere possit,& ualeat infra uiginti dies continuos,coram Rectore parte præsente,uel legitimè citata,& tenutam huiusmodi, seu possessionem corporalem petere, reuocari ualeat quolibet die, præterq̃ feriata in honorem Dei,uel Sanctorum,qua petitione præcedente,refectis per ipsum comparentem expensis legitimis actori, & dato idoneo fideiussore iudicio sisti,& iudicatum solui,Rector ipse teneatur,& debeat reuocare tenutam,& possessionem captam,& in pristinum statum reum reponere. Si uerò reus talis infra dictum tempus quindecim dierum non comparuerit, neq; prædicta omnia fecerit, tunc Iudex ad actoris petitionem super adiudicatione,& datione ex secundo decreto rei,uel rerum prædictarum pro dictis debitis,& expeñ. hoc modo procedere debeat,uidelicet quòd actori terminum statuat quinq; dierum ad docendum, & liquidandum in iudicio de suo credito petito parte citata, uel monita, personaliter,uel domi: quo credito probato,& liquidato,citetur reus,ut supra ad ponendum,& nominandum extimatorem talis rei, uel rerum pro parte sua: qui si comparuerit anteq̃ a Palatio discedat,per Rectorem cogatur ad hoc, aut si recusauerit Rector ipse pro parte eiusdem extimatorem ualeat nominare,& eligere,qui sit de uicinis idoneus talis rei,uel rerum,& ipse actor ponat alium extimatorem pro parte sua. Quos quidem extimatores Rector compellere,& cogere possit,realiter,& personaliter captis pignoribus,& mulcta in dicta rem,uel res huiusmodi extimare,& de extimatione tali, sibi medio eorum iuramento fideliter,& sine fraude referre: qua extimatione facta,& in iudicio relata,Iudex ad actoris petitionem talem rem, aut res pro dicto credito,& expensis reo ad hoc personaliter, uel domi citato per suam interlocutoriam sententiam,det,& adiudicet pleno iure, reo comparente,uel non,reseruata nihilominus eidem reo,& suis hæredibus facultate, & iure recuperandi,& recipiendi eandẽ rem, uel res post adiudicationem,uel dationem prędictarum rerũ infra sex menses, soluto primo actori credito,& expensis legitimis taxatis,per Iudicem. Dictis autem sex mensibus elapsis, reus ad hoc nullatenus audiatur, fructus uerò interim infra dictos sex menses ab actore perceptos, ex tenuta possessione,& adiudicatione prædicta lucri faciat omnino,sic tamen Iudex in prędictis,& circa ea se habeat, & procedat,quòd intra triginta dies continuos post primum decretum,& tenutam exinde captam, numerandos ad secundum decretum perueniat nisi tertius superuenerit per se,uel alium eius nomine uolens impedire præmissam adiudicationẽ ex secundo decreto,aliquo iure, quo superueniente, Rector eidem statuat terminum decem dierum continuorum peremptoriè,& præcisè ad doceñ.& probañ.& probatum habeñ. per omnem modum,& genus probationis, de iuribus suis, quarè ad talem adiudicationẽ non debeat, nec possit deueniri Iudex autẽ possit si uidebitur dictum terminum ad alios quinq; dies prorogare. Quibus decem, seu quinq; diebus elapsis, talem causam contradictionis debeat terminare infra quinq; dies imponẽdo tali contradictori silentium, uel eum admitteñ. prout sibi uidebitur. Post autem datam ex primo decreto tenutam, & executionẽ factã in actione reali,uel mixta modo,& forma quibus supra, si quidẽ reus intra.xxx.dies cõtinuos,tũc inmediatè sequẽtes corã Iudice cõparuerit per se,uel aliũ eius nomine,ac ipsius cõtumaciã purgare,&possessionẽ,& tenutã talis rei,uel rerũ recuperare uoluerit,

uoluerit tunc Iudex refectis legitimis expenſis actori, & præſtito eidem, uel alteri pro eo recipienti, idoneo fideiuſſore de iudicio ſiſti, & iudicatum ſoluendo, parte præſente, uel perſonaliter, uel domi citata, qualibet die feriata præterq̃ in honorem Dei, uel Sanctorũ tenutam, & poſſeſsionem reuocet, & reum in priſtinum ſtatum reponat, quibus triginta diebus elapſis, talis reus ſuper poſſeſsione, & tenuta huiuſmodi nullatenus audiatur, ſed intra annum continuum poſt prædictos triginta dies immediate inchoandũ, de, & ſuper tali proprietate rei, uel rerum uolens agere audiatur, ulterius nõ, ſed talis actor cui adiudicatio facta fuerit, probato, & iudici fide facta intra decẽ dies poſt elapſum talis anni ſpatium, citata parte uel non, q̃ talis res ad eum pertineat, ex cauſa in libello ipſius expreſſa, ſit aduerſus talem reum, eiuſq; hæredes, & ſucceſſores pleno iure ſuper dicta re in agendo, & excipiendo tutus, & munitus ſit: ſi uerò actor prædicta non fecerit infra dictos decem dies, tunc reus audiatur ſuper proprietate, donec antedictam fidem Iudici fecerit; ſi quidem intra prædictos triginta dies, uel poſtea intra dictum annum aliquis comparuerit coram Iudice, per ſe, uel alium, & in eadem re dixerit aliquod ius habere, & propterea talem tenutam reuocari petat, quatenus ad ſe ſpectet, aut ſibi pro ſuo iure reſtitui, uel aſſignari, ſeu tali in tenutam exiſtenti ſuper dicta re ſilentium imponi, Iudex talia proponenti terminum ſtatuat decem dierum proximè futurorum peremptorie, & præciſe ad probandum, probatum haben̄. per omnem modũ, & genus probationis, etiam per inſtrumenta, quicquid uoluerit, & potuerit, quem terminum Iudex ſi ſibi uidebitur, ad quinq; dies alios prorogare poſsit, quibus elapſis, intra tres alios dies ſecundum ſibi allegata, & probata cauſam decidat, & dirimat per interlocutoriam pronunciationem, ſeu ſententiam, etiam ſine ſcriptis, ſub pœna uigintiquinq; lib. den̄. de ſuo ſalario retinen̄. Cum autem Iudex primum decretum interpoſuerit, modo, & forma quibus ſupra traditis in actione perſonali, uel quæ eius naturã ſapiat, ſi quidem executor, uel bayulus in executorem datus, retulerit non inuenire bona mobilia, uel immobilia, aut nomina debitorum, de bonis talis rei conuenti, de quibus actori ualeat dari tenuta, ſine controuerſia, ſiue retulerit quòd per tertiam perſonam poſsidentur talia bona, tunc Iudex tali relatione facta, inmediatè committat executori, uel bayulo, ut de bonis talis rei conuenti, mobilibus, ſtabilibus, & nominibus debitorum, executionem faciat, quæ in controuerſia non ſit, & per tertiam perſonam non detineantur, ad quod facien̄. terminum præfigat trium dierum, qui executor, uel bayulus intra terminum duorũ dierum, ſi qua talia bona inuenerit, uel non, referat, & Iudex citatis poſſeſſoribus inmediate pronunciet executionem legitimè factam, & uiam eſſe apertam ipſi actori contra bonorum, & pignorum poſſeſſores, ſuper hipothecaria actione, & hoc caſu actor contra talium bonorum, ſeu pignorum poſſeſſores ſuper hipotecaria actione, libellum exhibeat, & alia proſequatur, & ſeruet prout ſuperius ordinate dictum eſt. Quæ quidem hipothecaria intra terminos ſupra præfixos decidi ualeat, & debeat, & per ſententiam terminari. Cum autem quis contra hæredes ſuam uelit intentare actionem, ſi quidem actor hæredes ſciuerit, nominatos, libellum porrigat, & cætera proſequatur, ut ſupra, ſin autem hæredes nominatos ignorauerit, tunc ad petitionem talis actoris Iudex faciat generalia proclamata, quòd ſi quis uult eſſe hęres talis defuncti, contra cuius hæredes, ſeu bona agi intenditur, & eius bona defendere uelit, compareat in iudicio intra duos dies reſponſurus, de iure tali actori, ſeu petitori, & tale proclama in ſcriptis in hoſtio habitationis talis defuncti per Bayulũ affigatur, hæredibus autem dicti defuncti cõparentibus contra eos procedatur ſecundũ formam in comparendo, traditam quibus non cõparentibus per ſe, uel alium, ſeruetur forma ſuperius tradita contra cõtumaces; Cum autẽ contra pupillos, aut adultos, furioſos, uel alios qui ſub aliena cura, uel tutela ſunt, uel regũtur aliquis agere intẽdat, Si quidẽ pupilli, adulti, uel aliç perſonę prędictę legitimos habeant defenſores; tunc ſi cõpareant procedatur ſecundum formam ſupradictam in comparentibus, ſin autem defenſores prædicti non appareant, uel non exiſtant poſt inquiſitionem a Iudice factam, tunc Iudex defenſore

non apparente, saltem post primam citationem, per tres dies expectato ex suo officio possit, & debeat tali personæ indefensæ ad illam causam duntaxat prouidere de defensore, qui ad hoc assumptus a Iudice defensionem talis indefensæ personæ subire cogatur, & causam prosequi secundum formam supradictam, usq; ad sententiam inclusiuè, & a die qua talis defensor pro tali persona in iudicio fuerit, termini causarum, & instantiarum præfixi currere incipiant, & non ante: Talis autem sic assumptus, & nominatus ipso iure habeatur, & sit talis personæ defensor legitimus, & pro legitimo habeatur, nec ad satisdationem aliquam, seu confectionem inuentarii astringi possit, quoquomodo, si autem talis nominatus, & assumptus eandem defensionem suscipere recusauerit, aut neglexerit quoquo modo, contra mandatum Iudicis, ipso facto exercitium, seu officium procurationis, uel notariatus, siuè tabellionatus, de cætero non ualeat exercere, & si exercere præsumpserit in uigintiquinque lib. denariorum de facto uicequalibet puniatur, & eodem modo prouideatur de Aduocato tali personæ per Iudicem, & idem per omnia statutum intelligatur, & sit contra Aduocatum sic nominatum, si recusaret, seu negligeret aduocationem assumere, & exequi prout supra de Procuratore dictum est, & prædicta omnia, & singula in hoc statuto contenta locum habeant in causis summam decem librarum excedentibus, in causis uerò ab inde infra seruetur statutum infra positum.

De positionibus in iudicio faciendis, & de responsionibus. Rub. X.

QVIA Per positiones, & responsiones factas ad illas, plerumq; a partibus absq; aliarum probationum onere obtinetur, ex quo lites abbreuiantur, & citius dirimuntur, & a probandi onere, & laboribus, & expensis partes subleuantur, & propter id ipsarum materia utilis, & quotidiana est, & in iudiciis frequentatur; statuimus, & ordinamus q; positiones omnes ad causam pertinentes, & ex quarum probatione partis ponentis intentio instrui possit, seu quomodolibet adiuuari, parte ponente iurante ad sacra Dei Euangelia manu tactis scripturis illas calumniosè non ponere, sed illas si de facto ponentis fuerint esse ueras, & si de alieno illas credere ueras esse, Iudex admittat, & admittere teneatur, & donec ipsis legitimè responsum non fuerit, etiam absq; Iudicis pronuncia terminus probatorius non currat, ipso iure, & partem aduersam principalem si ponens per ipsam, ac eius sacramentum tamq̃ de ueritate melius informatam responderi poterit, nulla ipsarum copia, ante partis responsionem parti respondere debẽti facta, respondere compellat, moneat, atq; iubeat, anteq̃ pars comparens discedat a bãcho, saluo iure duplicium, captiosarum, impertinentium, & non admittendarum, & ad causam non facientium, & aliarum quibus de iure respondere, non deberet, neq; pars teneretur. Quibus si responderi contingat, pro non responso habeatur, ipso iure authoritate pręsentis statuti, absq; alia pronunciatione, & si pars præsens, & monita respondere recusauerit, pro confessa, seu negante quo ad ipsius præiudicium, & ponentis partis commodum ipso iure habeatur, prout affirmatiuè, uel negatiuè positum est. possit tamen Iudex si uiderit positionem manifestè impertinentem, captiosam, & non facientem ad causam, reicere, & partem ab illius responsione releuare, a cuius quidem repulsione, pro tunc appellari non possit, sed Iudex appellationis interponendæ, a diffinitiua si uiderit partem ponentem, ex eius repulsione fuisse grauatam, grauamen remouere, & ipsam admittere, & partem quæ illi respondere debeat iuris remediis facere respondere, quæ si recusauerit, quo ad illam pro confessa, seu negante, quo ad eius incommodum habeatur ut supra, & pars omnibus positionibus de facto suo, seu etiam alieno, de quo uerisimiliter habere notitiam possit, respõdere teneatur, & debeat, & si pars ex aliqua iusta causa, & rationabili Iudicis arbitrio, quam exprimere teneatur, coram Iudice se dubitare dixerit, ac etiã proprio

sacramento

sacramento iurauerit super aliqua positione, & contentis in ea, eidem terminus congruus arbitrio Iudicis, ad deliberandum, & deliberarè respondendum præfigatur, infra quem deliberare possit, & ualeat, & in ipso deliberarè respondere, quod si non fecerit pro confesso, seu negante habeatur ut supra, ac si in prima monitione respondere negasset, & teneatur pars positionibus, etiam si forent duplices, respondere de parte ad partem singulariter, & particulariter, ac si particulariter, & singulariter, & diuisim positæ forent, quas Iudex ex eius officio, parti diuidere teneatur, intelligibiliter, ita q; pars respondens illam intelligat, & in responsione non capiatur, & non ostendantur positiones, antequam sic illis responsum parti respondere debenti, Procuratoribus, nec Aduocatis eius, sed dum pars illis responderit, repellat Iudex, Procuratores, Aduocatos partis respondere debentis, longe, & seorsum à parte, quæ respondere debet, itaq; respondentem minime possint audire, & q; ipsi respondenti nutum, seu signum aliquod facere non possint, ex quo respondentis animus respondendo à ueritate quomodolibet retrahatur, sed solum coram Iudice præsente Notario, & parte ponente, seu eius Procuratore, & Aduocato, si adesse uoluerit, positionibus respondeatur, semotis cæteris prout Iudici uidebitur, & si contingerit partem respondentem contrarias responsiones facere, seu sibi inuicem in respondendo aduersari, ultimæ responsioni stetur eiusdē, & certum, & clarū pars respondere teneatur, & debeat simpliciter, per uerbum credit, uel non credit, & sine additione clausulę, ut ponitur, uel in quantū appareat, uel similium ut sit pars ponens certa, an ex responsione à probandi onere releuetur, & si pars obscure responderit, & parte instante, & iubēre declarare recusauerit pro nō respondēte habeatur; si uero pars respondere debens, præsens in iudicio nō fuerit, & citata personaliter bis diuersis temporibus, & diebus per literas Iudicis, seu cedulas continentes q; cōpareat positionibus responsura, quarum ultima citatoria contineat cōminationē, q; si non uenerit positiones ipse pro confessatis, uel negatis ad cōmodum ponentis habeantur, absq; aliqua pronunciatione facienda, & contumax fuerit in cōparendo, pro recusante, & nolente respondere habeatur, & pro confesso, seu negante, quo ad eius incōmodum prout de præsenti monito superius est expressum: nisi iustam causā habuerit, non cōparendi, seu fuerit Iudicis arbitrio declarañ. iusto impedimēto detentus de quo si in terra fuerit, uel locis circumstantibus infra unum miliariū, infra unum d ē, & si ultra infra biduum fidē facere teneatur, & de impedimēto stetur eo casu proprio sacramento, uel dicto unius testis cum iuramento, prout Iudici uidebitur, inspecta qualitate personę & eo casu pars impedimentū infra dictum terminū probans, & allegans, ut supra respondere positionibus teneatur, ut superius est expressū, saluo, & reseruato q; si pars ponēs probare uoluerit partē impeditā nō fuisse, & contumacē nō respōdendo fuisse, audiatur, & eo probato pars ipsa quę cōtumax fuerit, in respoñ. ut supra minime audiatur, sed pro contumace habeatur, non obstañ. q; se impeditā fuisse iurauerit, & de periurio secundum formam statutorum Cōis nostræ Terræ puniatur, & parti aduersæ in expēsis factis occasione prędicta condemnetur, si uero existens in Terra nostra, uel eius districtu nō permittat se personaliter inueniri, per nuncium, de quo stetur relationi nuncii, ad domum habitationis suæ trina citatione fuerit citatus, per literas, seu cedulam (ut supra dictum est) & non comparuerit pro contumace, & nolente respondere habeatur, perinde, ac si præsens respondere monitus recusasset, & nisi infra terminum supradictum comparuerit & iustum impedimentum allegauerit, & per se, uel aliū, ut supra probauerit, quo casu fiat & seruetur pro ut superius de personaliter inuēto expressum est, absens uero à Terra, & districtu de quo nuncii relationi stetur, citatus domi, uel aliter per edictum, & in citationis termino non comparens pro confesso non habeatur, sed procedatur contra ipsum taliter, ut tedio affectus ueniat responsurus. Et si quis Procurator generalis, uel specialis in causa, uel alius quilibet cum satisdatione tamē de rato, pro citato ad responden. positionibus comparetet infra terminum ad comparendum citato præfixum, allegans citati absentiam, à Terra, & districtu, eidem terminus præfigatur congruus arbitrio Iudicis, infra quem

absenti citationem de ipso factam denunciet, infra quem terminum, citatus ipse expectetur, & contra ipsum aliter non procedatur, eo uero elapso, citato non comparente, nec aliter à contumacia se excusante, pro confesso habeatur, & si quis citatus foret ad respondeñ. positionibus, & comparere non posset, uel non auderet propter debita publica, uel priuata, seu inimicitias, uel quia timeret capi, seu detineri ab aliquo officiali, seu alia iusta causa, Iudex ipse coram quo, & cæteri officiales Communis ad petitionem ipsius citati, uel alterius pro eo petentis securitatem facere teneatur, & ea habita, uel non habita citatus ipse non possit pro ea hora in ueniendo, & in recedendo pro aliquo debito publico, uel priuato, etiam si pecunialiter de crimine condemnatus, in personam aliqualiter molestari, capi, uel grauari, & si captus fuerit, ipso facto relaxetur; In exbanditis autem pro crimine capitali, seu ex quo pœna corporalis ueniret imponeñ. quæ de securitate proxime dicta sunt, sibi locum non uendicent, sed eo casu nisi Procurator cum sufficienti mandato ad respondendum positionibus sufficienter instructum miserit, pro contumace habeatur, & confesso, & conuicto, ac si personaliter monitus fuisset, ut supra, & non possit aliquis per Procuratorem etiam specialiter constitutum, seu ad aliter respondendum generaliter, uel specialiter quouis modo positionibus respondere, nec talis procurator pro citato ad respondendum admittatur, nec eius responsio constituentem in aliquo habeat releuare, nec à respondendo excusare, nisi de ponentis procederet uoluntate, quo casu procurator teneatur respondere, & nisi qui procuratorem miserit, per se ipsum uenire nõ posset, & de eius impotentia Iudici constet, & fiat fides legitima per probationes idoneas, seu saltem unum testem, & iuramentum partis, quo casu Procurator prædictus admittatur, seu ad ipsum per se ipsum ad respondendum comparere non ualentem, partis ponentis expensis Notarius cum positionibus mittatur ad eius responsiones suscipiendas, si parti ponenti magis placuerit, per talem principalem responderi q̃ per Procuratorem missum admittere, uel ipsum pro tunc comparere non ualentem, expectare, sed si principalis per quem responderi petitur, fuerit forensis, uel de alia, aut in alia iurisdictione manens; Iudex ad instantiam ponentis assignet terminum Procuratori absentis infra quẽ debeat suum principalem præsentare ad respondendũ positionibus, quod onus præsentandi si dictus procurator suscipere noluerit, sed maluerit transmitti positiones ad locum, tunc expensis absentis, & respondere debentis positiones literis inclusæ ad ius dicentem in loco illo transmittatur, qui habeat recipere responsiones, & remittere sub sigillo monendo partem ponentem ad interessendum dictis responsionibus, pro singulis diebus, & horis in loco, & si qua partium fuerit in ponẽdo, uel respondẽdo deprehensa ueritatem non deposuisse, seu respondisse, ex eo quod per testes, uel instrumenta probaretur contrariũ eius, ꝙ depositum, seu responsum foret, in eo quod esset ex facto partis ponentis, uel respondere debentis, uel in eo de quo contrarium eius ꝙ positum, seu respõsum foret, esset, seu esse probaretur publica uox, & fama, de periurio condemnetur, secundum formam Statutorum nostræ Terræ, & idẽ fiat, & obseruetur si pars deierauerit, seu deierasse deprehensa fuerit in aliquo supradictorum, & positione negata in totum, uel in partem non possit respondens, ex eo ꝙ positum foret à ponente, uel ab ipso respondente negatum, se quouis modo iuuare, & ne ex subita, seu improuisa responsione pars respondens quouis modo sibi præiudicium possit afferre. Addicimus ꝙ pars ipsa respondens, responsiones suas mutare possit, absq; alia probatione erroris allegandi, anteq̃ à cõspectu Iudicis recedat, etiam si prima eius responsio scripta foret, & ut pars super responsionibus factis certa discedat, & deliberare ante eius discessum possit an alias uelit mutare, uel in ipsis perseuerare: statuimus, & uolumus ꝙ Iudex auditis responsionibus factis à parte, illas eidem legi faciat per Notarium particulariter, & singulariter, quibus lectis, si pars ab aliqua eius responsione discedere uoluerit, anteq̃ Iudex discedat, & loquatur cum Procuratore, uel Aduocato, uel alia persona circumstante asserens cum iuramento se errasse, & per errorem respondisse alicui ex eis audiatur absq; alia probatione; si uero pars in ipsis perseuerauerit, ultre

rius ad earum reuocationem, uel alicuius, seu partis earum non audiatur, nisi ut cõmunia iura disponunt, seu nisi ad partis ponentis cõmodum, responsionem mutare uellet, qui semel positionibus responderit, quam eo casu mutare possit quandocunq; ab q; pœna periurii, anteq̃ per testes, uel instrumenta responsionis contrarium probatum fuerit.

De exceptionibus impedientibus litis ingressum. Rub. XI.

QVIA Non nunq̃ immo plerumq; ad processum dilatandum, & litis ingressum impediendum, magisq̃ prætextu defensionis exceptiones opponi contingit, ne ex cuiuslibet exceptionis obiectu, lites retardentur, & protrahantur in lõgum. Statuimus, q; nulla exceptio dilatoria seu declinatoria, litis ingressum habeat impedire, nisi opponatur exceptio rei iudicatæ, seu litis finitæ iuris iurandi, transactionis pacti de non agendo expoliationis, contra inuasorem obiectæ, excomunicationis, incõpotentię Iudicis, & falsi, seu minus legitimi procuratoris, quas quidem exceptiones si opponi contingat, opponi debeant in termino ad respondendum libello præfixo, & probari debeant infra octo dies & plus, & minus arbitrio Iudicis, secundum distantiam loci, & qualitatem facti, & habilitatem personarum. à die obiectionis earũ, ipsa die obiectionis in termino minime computata, & opponens illas, & non probans infra terminum dictum in ipsis minimè ulterius audiatur, & parti aduersæ in expensis condemnetur in doplum, & opponẽs aliquam ex dictis exceptionibus ad processum, quas nixus, & conatus fuerit probare, & non probauerit, illas ulterius probare non possit, nec etiã ad merita causæ opponi & postq̃ aliquę ex dictis exceptionibus oppositæ fuerint, Iudex infra dictum terminum supersedere teneatur, quo ad processum causæ, sed solum examinationi, & discussioni dictarũ exceptionum intendat, & si illas repererit esse ueras, opponentem ab ea iurisdictione, & examine, seu instantia iudicii absoluat, & partem aduersam in expensis condemnet, nisi ex iusta causa in eius sententia exprimenda, illam duxerit absoluendam; si illas autem non repererit esse ueras ad ulteriora procedat secundum formam statutorum nostræ Terræ, & opponentem ut supra in expensis condemnet.

De confessis in ciuilibus causis. Rub. XII.

SI Aliquis pure in iudicio confessus fuerit, se aliquid debere, seu intentionem partis aduersæ, nullæ sint partes Iudicis, nisi in faciendo eidem præceptum de soluẽ. intra. x. dies proximos, aut etiam condemnando confitentem, uel contra ipsum pronunciando, prout dicto Rectori, uel Iudici uidebitur cõuenire; si quis uero cum aliquo admixto, aut sub aliqua exceptione, uel cum aliquo adiuncto confessus fuerit in iudicio; Rector prædictus eidem præceptum faciat de soluendo in termino prædicto, uel ipsum condemnet seu contra ipsum pronunciet, ut præfertur, reseruata eidem potestate probandi, & probatum habendi conditionem admixtam, exceptionem, seu adiunctum intra iam dictũ terminum, præcisè, & peremptoriè, & si ex parte dicti confitentis conditio, exceptio, uel adiunctum, seu admixtum probatum fuerit præceptum, condemnatio, uel pronunciatio dicti Iudicis nullius ualoris existat, & nullũ sortiatur effectum, sed perinde sit, ac si factũ non fuisset, q; si pro parte dicti confitentis tale quid nõ fuerit probatum, tale præceptum, condemnatio, uel sententia firma permaneat, & per Iudicem ex ipsius officio ad requisitione n partis realiter, & personaliter elapso dicto termino executioni mandetur.

De probationibus. Rub. XIII.

QVONIAM Probationis facultas angustari non debet, malitiis improborum qui interdum ex pacto conuento probandi subtrahunt facultatem, cuius defectu

plerunq; iustitia opprimitur, & ueritas occultatur, ut ueritati semper locus sit statuimus q in quibuscunq; causis probationes fieri possint per testes, instrumenta, & omne probationis genus, secundum q iura cōmunia permittunt, non obstante q ex pacto in instrumento tempore celebrati contractus conuentum foret, non probare solutiones debitorum, nisi per publica instrumenta, quod quidem pactum auctoritate præsentis statuti tanq̄ fraudolentum, & contra bonos mores factum, penitus improbamus, & nullum esse ipso iure decernimus, etiam si fuerit iuramento firmatum, & hoc statutum sit præcisum, & renunciari non possit eidem, & renunciatio facta non ualeat ipso iure.

De testibus, & eorum examine. Rub. XIIII.

QVONIAM Per testium dicta in iudiciis ut plurimum ueritas comprobatur, ne igitur probationū defectu, ueritas ipsa occultetur, & iustitia ministrari nequeat, & partes in eorum iuribus lædantur; statuimus & ordinamus, q in causis ciuilibus omnes passim, & indistincte qui à iure communi non repeniuntur expresse exclusi, ad perhibendum ueritatis testimonium admittatur; & teneatur testium examen Iudex ipse, uel Rector personaliter facere, & non alius, ubi causa super qua examinantur, fuerit .xxv. lib. uel ab inde supra, ab inde uero infra ipse idem faciat uel legitime impeditus committat, & committere possit Notario actuario. & ita dicta examinatio fiat q testes sui dicti rationem reddat, & eorum attestationes cum redditione causæ prædictæ redigātur in scriptis, ac eorum dicta scribantur longe, clare, & extense, atq; seriatim prout se scire dixerint, & testificati fuerint, non autem per hæc uerba, uel similia, dixit uera esse contenta in articulo positione, petitione, seu libello, pœna contrafacienti .x. lib. qualibet uice, & nihilominus eorum dicta, & attestationes non ualeant nec aliquam fidem faciant, & Iudex ante publicationem attestationum super hoc animaduertat, & si testes in eorum testimonio deprehensi fuerint uacillare examinator scribi faciat uacillationes eorum per Notarium, & in quibus partibus reperti fuerint uacillasse.

De Testibus cogendis. Rub. XV.

AD Compescendum testium malitiam, & negligentiam, sancimus q noster Rector uel Iudex in ciuilibus, & criminalibus causis, seu mixtis, autoritatem habeat, & potestatem cogendi, & cohibendi omnes, & quoscunq; realiter, & personaliter, & aliis iuris remediis mulcta indicta, ad testimonium perhibēn. si quis igitur testis semel citatus non comparuerit, compellatur per impositionem mulctæ, & captis pignoribus, qui si nō comparuerit, iterum citetur, & formetur contra ipsum inquisitio, tanq̄ contra testem in iudicio legitime iuratum, occultantem ueritatem, nisi iustum habuerit impedimentum, q arbitrio iudicis relinquimus, & nihilominus condemnetur ad interesse & damnū illius ad cuius petitionem producebatur, de quibus iuramento producentis stetur Iudicis taxatione præcedente.

Quòd in causis ciuilibus sufficiant duo testes legitimi. Rub. XVI.

DIVINA Attestante scriptura, in ore duorum, uel trium stat omne uerbum, Ideo statuimus, & ordinamus in omnibus, & singulis causis ciuilibus duos testes legitimos sufficere, exceptis causis à .x. sol. infra, in quibus credatur sacramento partis dignioris & quæ nam sit dignior, Iudicis arbitrio relinquatur à decem usq; ad uiginti solidos sufficiat unus testis cum iuramento producentis, quocunq; non obstante.

Quòd

Quòd ſuper paternitate, filiatione, & ſimilibus notoriis non ſit opus probatione. Rub. XVII.

AD Excludendas calumnias, & cauilloſas exceptiones, quæ plerunq; magis litis protrahendæ cauſa, q̃ zelo iuſtitiæ in iudicio opponi conſueuerunt, ſtatuimus, q; patrẽ, filium, Præsbiterum, agnatum, cognatum, affinem, Iudicem, Bayulum, Tubicenam, uel Præconem, uel aliquem officialem, Epiſcopum, Abbatem, Diaconum, Rectorem, Doctorem, uel alium habentem aliam dignitatem, Notarium, uel moterem alicuius, aut his ſimilia, negans in lib. xxv. deñ. de facto puniatur, niſi negãs, eo die qua negauit, præſente, uel abſente parte ſe correxerit, quo caſu ad pœnam aliquam nõ teneatur, & ad plenam probationem prædictorum, uel alicuius ipſorum ſufficiat probatio publicæ uocis, & famæ, q; pro talibus habiti, tractati, & nominati fuerint, niſi negãs, uel opponens infra biduum poſt negationem contrarium probauerit, & ſi in probatione defecerit, incurrat pœnam prædictam.

De ſequeſtrationibus faciendis. Rub. XVIII.

STATVIMVS. Et ordinamus q; in cauſis ciuilibus contra perſonas ſuſpectas de quarum fuga, ſeu receſſu dubitatur, ſeu quoties de rei alicuius mobilis, ſeu fructuũ in aliqua poſſeſſione exiſtentium colligendorum dilapidatione, ſeu conſumptione dubitaretur, & aliquis ſe timere, & dubitare affirmauerit iuramento, q; quolibet tempore etiam feriato, etiam in honorem Dei ſequeſtrationes, & deſcriptiones dictarum rerum, ad inſtantiam cuiuſlibet petentis, & iurantis ut ſupra, fiant, & fieri debeant penes perſonam idoneam, & q; quilibet cui, & penes quem Iudicis mandato, res aliqua fuerit ſequeſtrata, ſeu in ſequeſtrum, & depoſitum aſsignatam, illam penes ſe, uel in eius cuſtodia recipere teneatur, & dictum ſequeſtrum cuſtodire, & de ipſo diſponere, prout ipſe Iudex mandauerit, & non aliter, ſub pœna. x. lib. deñ. & plus, & minus arbitrio Iudicis, inſpecta qualitate facti, & conditione perſonarum, & quodlibet ſequeſtrum, ſeu mandatum de ſequeſtrando, & relatio ſequeſtri facti redigatur per Notarium in actis curiæ, cum anno, menſe, & die dicti ſequeſtri, commiſsi, & relationis cum nomine, & pronomine, illud fieri petentis, & eius ad cuius incomodum factum fuerit, & cum ſpecificatione rerum ſequeſtratarum, & cauſæ, & quantitatis pro qua ſequeſtrum factum fuerit, & ante non relaxetur dictum ſequeſtrum ei contra quem legitimè propter ſuſpitionem de fuga, uel receſſu, uel propter dilapidationem fructuum, uel rei mobilis, ut ſupra factum fuerit priusq̃ cauſa, & negocium pro quo factum fuerit, terminatum extiterit, ſeu alter partes fuerint in concordia; poſsit tamen, & teneatur Iudex, quoties a parte contra quam factum fuerit, oblata fuerit, & præſtita ſatiſdatio de iudicio ſiſti, & promiſsio, & ſatiſdatio de ipſis rebus ſequeſtratis, ſeruandis, cuſtodiendis, & repræſentandis ad mandatum Iudicis, relaxare præſtita ſatiſdatione prædicta. Quę quidem relaxatio quoties fieri contigerit, redigatur in actis per Notarium de ſequeſtro rogatum, ſi eius copia haberi potuerit, aliàs per alium Notarium ad bancum Ciuilium Domini Poteſtatis. Addimus tamen, quod ille penes quem ſequeſtrum factum fuerit, illud reſtituere non teneatur, niſi primo eidem ſatisfactũ fuerit de competenti mercede arbitrio Iudicis declarãda, pro cuſtodia dicti ſequeſtri, & in dictis ſequeſtris faciẽdis, & reuocañ. & in ſupradictis oĩbus, & ſingulis cognoſci, & procedi poſsit quolibet tẽpore, etiã feriato, & nemo cõpellatur ad recipieñ. ſequeſtrum, habens cauſam iuſtę excuſationis, de qua infra duos dies a die pręcepti ſibi facti de cuſtodiendo fidem facere teneatur, in cœteris autem caſibus in præſenti ſtatuto non expreſsis, ſequeſtrationem fieri prohibemus, deſcriptionem autem fructuum, uel alterius rei mobilis, ubicunq; pars iurauerit habere intereſſe, fieri poſſe concedimus, ſi ita Iudici uiſum fuerit.

De Tenutis, & pignoribus captis, & contradictionibus. Rub. XIX.

QVIA Plerunque in acceptione tenutarum, & pignorum, contradictiones insurgere solent, quarum [illegible] datur, propterea sancimus, ut si quando in dubium reuocatur an res in tenutam, & pignus accepta, commissa, uel data sit ipsius rei, uel alterius, si quidem ipsa res penes [illegible], uel in domo, uel possessione ipsius rei fuerit reperta, uel ipse reus esse dictæ rei p[illegible], uel detentor, tã ipsa repertio, & Bayuli relatio inducant, & obtineant [illegible] quod sit propria ipsius rei, adeoque contra dictiones ipsi pignori, uel tenutæ [illegible] ad dominium, uel hipothecam, uel aliud ius, ipsorum onus probandi [illegible]. Vbi uerò non esset penes reum, uel aliis modis prædictis res aliqua in tenutam, uel pignus data, uel accepta, sed reperta fuerit penes contradictorem, uel in ipsius domo, uel possessione, uel ipsum esse detentorem, uel possessorem dictæ rei in tenutam, uel pignus datæ, uel acceptæ; tunc non obstante relatione Bayuli aliter facta, præsumatur [illegible] illorum, in quorum domo, uel possessione, uel apud uel penes quos, uel aliis modis reperta fuerit, nisi per confessionem possessoris, uel detentoris, aut per aliam probationem, uel æqualem præsumptionem, aut etiam per facti euidentiam, uel per alia indicia manifesta, contrarium probaretur; si uerò dicta res in tenutam, uel pignus data, uel accepta non esset penes debitorem, uel contradictorem, sed penes tertium dicentem non habere ius in re, tàm creditori, quàm contradictoribus incumbat onus probandi, de iuribus ipsorum contradicentium, uel rei, decernentes insuper quod in huiusmodi contradictionibus, litigiis, uel aliis impedimentis quæ occurrerent circa aliquam tenutã, uel pignus summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, ac sola facti ueritate inspecta, causę expediãtur: & terminẽtur, & si cõtradictor adimpleuerit, uel obtinuerit, Iudex procedat ad captionem, uel tenutã alterius rei iuxta formã statutorũ.

De modo, & forma adipiscendæ possessionis rei immobilis, infra certum tempus permutatæ, uenditæ, uel donatæ. Rub. XX.

HOC Vtili edicto publico in perpetuũ ualituro ad excludendas simulationes, & fraudes, quæ plerunque contra tertiam personam excogitantur, statuimus, & firmiter ordinamus, quod si qua, uel si quæ personę ab aliquibus in futurum instrumentum recipient, uel fuerint stipulatæ, uenditionem emptionem, permutationem, seu donationem rerum aliquarum, immobilium, earumque infra annum a die celebrationis huiusmodi cõtractus computan. possessionem non fuerint assequutæ corporalem, & actualem per se, uel eius procuratorem legitimum, aut eius laboratorem, quod ipsa instrumenta sint, & esse debeant, & præsumantur auctoritate præsentis statuti, & omnia, & singula in eis contenta, & subsecuta in eis ficta, & simulata, & pro fictis, & simulatis totaliter, censeantur, & nullius penitus sint momenti, etiam si in instrumento, seu contractu prædicto alienans constituerit se rem talem tenere, & possidere nomine acquirentis, ita quod illorum, uel alicuius ipsorũ pretextu nulla talia habe[illegible] umẽta, actio, seu pr[illegible]io competat, uidelicet quo ad preiudicium creditorum [illegible]us uendantis, alienantis, seu permutantis, uel personarum extranearum; Quo ad præiudicium tamen donantis, permutantis, seu uendentis, & eius a quo causam quis haberet contractus prædicti, in sui roboris maneat firmitate, nisi talis acquirẽs sit usurarius, quod probari sufficiat per quatuor testes, de publica uoce, & fama deponentes, quo casu cõtractus fictitius, & simulatus præsumatur etiam in præiudiciũ usurarii acquirentis. Liceat tamen, & licitum sit ipsi contrahenti simulationem probare aliter, & aliis modis a præsentibus statutis, & a iure Communi, seu Prouincialibus Constitutionibus permissis. Si autem ipse, cui res alienata fuerit, passus fuerit per quinqueniũ, ipsum uenditorem, uel distractorem possidere, fructus colligere, & percipere, contractus ipse, etiam quo ad ipsos, simulatus præsumatur, & sit auctoritate præsentis statuti, non obstante

obstante, q instrumentum appareat de locatione facta dictæ rei, ipsi uendenti, uel aliter distrahenti per publicum instrumentum, in quo confiteretur ipse emptor, uel aliter acquirens pensionem totius temporis locationis, sibi fuisse solutam: Si autem appareat legitimè de pensione singulis annis, & tẽporibus debitis persoluta, contractus ipsi simulati non præsumantur, nec auctoritate præsentis statuti intelligantur inualidi.

Quòd possesio personæ defunctæ in hæredes intelligatur continuata absque corporali apprehensione. Rub. XXI.

QVONIAM Hæres cum defuncto eadem persona censetur, & in congruum sit, eos, qui unum a iure reputantur diuerso iure censeri: Ideo statuimus, & ordinamus, q adita, seu agnita hæreditate defuncti per hæredem quemcunque suum, uel extraneũ uerbo, uel facto, de qua aditione, seu agnitione hæreditatis probari posit per legitimas probationes, seu etiam per responsionem factam in iudicio præparatorio, seu interogatorio ad quam faciendam cogatur per Iudicem iuris remediis oportunis, infra dies quatuor ad plus, unusquisque ad instantiam cuiuscunque agere uolentis, nisi ille, qui interogatur afferet uelle adire cum beneficio inuentarii: quo casu præstito iuramento calumniæ ipsi taliter asserenti, præfigatur, & ipso iure præfixus intelligatur a iure cõmuni statutus terminus ad incohañ. & perficiendum inuentarium. Et a tempore agnitionis prædictæ omnium rerum, & bonorum defuncti, per ipsum possessorem tempore mortis eius, hæredes, & successores defuncti quicunque ex testamento, uel ab intestato, ipso iure, auctoritate præsentis statuti per solam hæreditatis agnitionem, seu apprehensionem, absque alia corporali apprehensione intelligantur adepti possesionem, & ipso iure adiisse hæreditatem defuncti, & per solam agnitionem hæreditatis sint, & esse intelligantur hæreditatis domini, & possessores, & habere omne ius proprietatis, seu quasi, & possesionis, seu quasi quod penes defunctum tempore eius mortis erat: In qua quidem possesione tueri, & defendere se posint, ac per officiales Communis nostri manuteneri debeant, ac si realiter possesionem bonorum apprehendissent.

Qualiter tenuta, uel pignus recuperetur. Rub. XXII.

TENVTAM Captam, & notificatam liceat reo recuperare, & reuocari facere, refectis actori, uel depositatis expensis pro actore, infra uiginti dies, a die notificationis tenutæ computañ. si summa, uel res petita ascendit ad summam, uel ualorem. xxv. lib. uel abinde supra: si uerò ab inde infrà, infrà decem dies quibus terminis elapsis, dicto reo non liceat amplius dictam tenutam recuperare, & suam contumaciam purgare, nisi integre dicto actori satisfecerit, tàm de petitis, q̃ de expeñ. legitimis. Ad executionem uerò dictæ tenutæ hoc ordine procedatur, uidelicet, q elapsis dictis quindecim, uel decem diebus, secundum dictam distintionem, citato reo, licentia concedatur actori uendendi dictam tenutam, cum auctoritate, & mandato Iudicis captam, plus offerenti ad dictum banchum, præcedentibus tribus bãdimentis, & subhastationibus quolibet bandimentorum diuersa die facto ad dictum banchum cum interuallo duorum dierum pro quolibet bandimento: & si in dictis tribus bandimentis, emptor comparuerit, plus offerenti elapsis dictis terminis bandimentorum per actorem iure creditoris, cum dictis auctoritate, & decreto uendatur, & alienetur: Vbi uerò tempore dictorum bandimentorũ nullus comparuerit, emptor facta extimatione per duos extimatores eligendos per actorem & reum, quibus, uel altero eorum non eligente, Iudex ex officio eligat pro parte non eligentis, dicta tenuta detur, & adiudicetur per Iudicem, secundum dictam extimationem pleno iure, ex secũdo decreto pro concurrenti debiti quãtitate, iure tertii semper saluo. Et dictus reus ipso iure, & facto sit priuatus omni suo iure, quod haberet in dicta re uendita,

uel ex secundo decreto adiudicata. Et si aliquid ultra debitũ, & expensas remanserit, uel superfuerit, restituatur debitori, uel pro ipso deponatur: ubi uero dicta tenuta non sufficeret pro debito, & expensis, alia tenuta toties capiatur, uendatur, uel adiudicetur, donec de petitis, & expensis legitimis fuerit actori satisfactum. Si autẽ dicta tenuta esset capta, uel facta pro actione reali, ciuili, uel praetoria, negatoria, uel mixta, uel in rescripta, aut possessorio, siue pro aliqua re debita, elapsis dictis terminis, ad recuperañ. ipsam, secundum dictam distinctionem declaretur, & adiudicetur eidem actori, ex secundo decreto, secundũ illud ius, quod per dictum actorem in sua prima petitione, uel libello petitum fuerit, iure tertii semper saluo: & hoc si aliquid praedictorum esset penes reum, alioquin uẽdatur, & adiudicetur tenuta, ut supra in principio huius statuti: Qua adiudicatione facta, dictus reus in dictis rebus, pro dicta tenuta captis, non possit amplius habere regressum pro illo iure, pro quo facta esset dicta adiudicatio: imo omni iure, quod dictus reus in dicta re haberet, sit priuatus ipso iure. Ad executionem uero pignoris, uel tenutae uoluntariae datae procedatur ad notificationem ipsius, & ad alia acta, & ad uenditionem, & adiudicationem, prout supra tenuta non uoluntariè data, dictum est, statuto aliquo in contrarium disponente non obstante.

De rebus super quibus tenuta capi non possit. Rub. XXIII.

ORDINAMVS ꝙ pro executione ciuili, officiales, executores, uel baiuli, uel alter ipsorum, non possint aliquo modo capere, uel accipere pro executione debiti alicuius priuati, pannos de lecto, cuiuscũq; generis indumenta mulebria, siue uirilia, nec arma defensibilia, uel offensibilia, boues aratorios, asinos, & libros, & instrumenta ruralia, hostia domus, & cuppos, poena. xxv. sol. deñ. pro quolibet cõtrafaciente, de facto exigenda, & nihilominus prędicta pignora cõtra formã pręsentis capituli accepta, illico restituantur eidẽ, nisi deficientibus aliis rebus, super quibus executio fieri nõ possit: nullusq; bayulus, uel officialis audeat causa pignorandi, camerã alicuius introire, quando in alia parte domus pignora idonea reperiũtur, sub praedicta poena, in pignoribus autẽ capiẽdis hũc ordinẽ seruari mãdamus, uidelicet primo mobilia, quibus nõ existentibus stabilia, & ipsis non existentibus nomina debitorũ, capi nolumus, & de ipsorum non existentia, secundum ordinẽ prędictũ stari uolumus relationi nũcii, seu bayuli, nec possit debitor, inuito creditore cõtra dictũ ordinem pignora assignare, & si contigerit capi in pignus nomen debitoris, Iudex eidẽ obligato praeceptũ de soluendo faciat, sub poena per ipsum taxanda, inspecta qualitate negocii, & successiuè facta solutione, similiter praecipiat Notario qui de obligatione, & debito q̃d soluerit, fuerit rogatus, ut cãcellet instrumentũ, debiti, & obligationis hoc casu cõtumacia, uel absentia, aut resistentia principalis debitoris nõ obstante.

De reuocatione tenutae acceptae de bonis alterius, q̃ debitoris. Rub. XXIIII.

CVM Cautum sit spoliatũ ante omnia restituendũ, Ideo statuimus, & ordinamus ꝙ si qua tenuta, uel possessio de bonis alterius q̃ debitoris praecẽs, uel etiã non seruata forma statutorũ accepta, tradita, uel obtenta fuerit, Iudex ad petitionẽ postulantis teneatur, & debeat talẽ tenutam, seu possessionẽ cassare, reuocare, & annullare, & eũ qui talẽ tenutã scienter, seu possessionẽ acceperit de facto in lib. x. punire, pro medietate Cõmuni, & pro altera illi cuius tenuta, uel possessio sic fuerit capta, & ad cassationem, reuocationem, & annullationem huius tenutae, & ad restitutionem, & reintegrationem in pristinum statum sufficiat petitori, seu quaerelanti probare possessionem, uel rem sic acceptam tempore talis acceptionis, se possedisse, uel saltem de facto tenuisse, uel iure dominii, uel quasi suam esse, & praedicta exequantur per rectorem, summariè, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicii, quibuscunq; solennitatibus omissis.

De impe-

De impediente de facto tenutam captam Iudicis auctoritate. Rub. XXV.

NEMINI licere ius sibi dicere manifesti iuris est,& iustè possidere,qui Prætore au thore possident. Ideò ordinamus,q; si data alicui fuerit tenuta de re mobili, seù im mobili,& debitor,uel alius ei molestiam inferat ex quacunque causa, uia, iure, uel facto, possit,& debeat debitor,uel alius molestiam inferens,creditore petente,capi personaliter, & detineri,donec satisfecerit,& ille,contra quem tenuta data est,si se intromiserit, uel non sineret illum,cui data est,elapso termino statuti,ea uti,& possidere, soluat nomine pœnæ libras decem,& q; ille, cui data esset tenuta, non debeat eam deuastare, aliàs emendet in duplum ; & si aliqui fructus fuerint in tenuta de re immobili data creditori,fructus credi tor accipiat, si uoluerit, & in sortem computentur.Si autē ille, contra quem data est te nuta,uoluerit,habeat potestatē recolligēdi, & de fructibus ad sui libitū disponendi, ita q; fructus non pereant,cum uoluntate creditoris : salua semper tenuta illi,cui concessa est.

De litibus, & causis Potentiorum. Rub. XXVI.

NE Potentiores alterius ius lædāt,statuimus,q; si quis de dicta Terra S. Elpidii, uel eius territorio ab aliquo potētiori clerico,uel layco in eius possessionibus,rebus,uel iuribus uexatus,uel turbatus fuerit iniustè,Mag. D. Priores,ac etiam Rector teneantur, & debeant talem molestatum, uel uexatum,modis,& remediis omnibus opportunis de- fendere,& gubernare,seu manutenere in iuribus suis,& tali potentię obstare,pœna dicto Rectori,et Prioribus,si hoc neglexerint,uigintiquinque librarum pro quolibet ipsorum.

De in integrum restitutione concedenda. Rub. XXVII.

STATVIMVS, & ordinamus,q; minor xxv. annis, & quicunq;, quibus de iure communi aduersus læsiones eorum beneficium restitutionis in integrum est conces- sum aduersus gesta,& administrata per eorum tutores,curatores,seù quosuis alios admi- nistratores,si in iudicio,uel extra lædi contingerit facto, seu culpa,uel negligentia, seu de fectu Procuratorum,seu Actorū suorum,possint aduersus gesta,neglecta,seu omissa per eos (quatenus lęsos fore cōstiterit) restitutionē in integrū postulare,& in integrū restitui debeant,si de lęsione docuerint,nō obstante q; cōtra eorū procuratores, seu actores prędi ctos agere possent pro eorū damno,& interesse,si mallēt cōtra eos agere, q̄ in integrū resti tutionē postulare,& etiā nō obstañ,q; dicti eorū procuratores,seu actores soluēdo forēt.

De instantia causæ principalis. Rub. XXVIII.

CAVSARVM Ciuilium instantia, ne lites in infinitum protrahantur, & fiant immortales, duret, & durare debeat spatio, & tempore sex mensium utilium com putandorum à die porrecti libelli, infra quos causę ipsę ciuiles expediri debeant, & ipsas Iudex expedire teneatur, sub pœna centū lib. deñ. eidem de facto auferen. tempore syn dicatus, & Cōmuni applican. actore, & reo instantibus, seu altero ipsorū instante, cau sam ipsam, uel causas ipsas expediri, si ipsas, uel earum aliquam tempore prędicto non expedierit, aut adeò se gesserit, ut de instantia superfint dies quindecim, uel pauciores, eo tamen casu Iudex successor infra dies quindecim continuos, & dies decem utiles im- mediatè sequentes, qui ipsi instantiæ superadditi ipso iure intelligantur, causam, seu causas ipsas (sub pœna dicta) expedire teneatur. Quam quidem pœnam Syndicatores tempore syndicatus auferre teneantur ab Officiali prædicto, & in Communi facere de- uenire, aliàs de eorum proprio Communi tantundem soluere teneantur, ac etiam te- neatur dictus Officialis, seu Iudex, qui causam ipsam non expedierit, ad damnum, &

interesse partis in eo, quod læsa fuerit ratione causæ infra tempus dictæ instantiæ non expedite: & instantia perempta, quæ ipso iure perempta intelligatur post lapsum dictorum temporum, & pars deserens in expensis condemnetur, & nihilominus omnia, & singula acta probatoria uires obtineant, & fidem faciant, tàm coràm eodem Iudice, q̃ coràm alio inter easdem personas, hoc solo non obstante, q̃ acta ipsa probatoria, seù attestationes in ipsa prima instantia perempta inter partes à Iudice non fuerint publicatæ, & refectis expensis per ipsum deserentem, possit ipse deserens causam cum eisdem actis, & in terminis, in quibus reperitur, prosequi, & finire, ipsa desertione non obstante. In tempore autem instantiæ prędictæ computari nolumus ferias nundinarũ, nec repentinas, quę ex aliqua causa de nouo indicerentur, neque etiam tempora appellationis ab interlocutoria expediendæ præfixa per statuta nostrę Terrę, ubi in principali causa ab interlocutoria debitè secundum formam statutorum contigerit appellari, quousque dicta appellatio ab interlocutoria interposita fuerit expedita, seù fuerit renunciatum eidem, uel appellatio ipsa deserta. nec etiam tempora de communi partium principalium, seù tutorum, curatorum, syndicorum, & aliorum legitimorum administratorum, seù etiam procuratorum, si ob id procuratores ipsi mandatum habuerint speciale, uoluntate, & consensu expresso fuerit instantia causæ suspensa, & demùm per Iudicem de ipsarum partium consensu pronunciatum, instantiæ tempora non currere, de quo consensu, & pronunciatione per acta Notarii constare debeat: neque etiam tempora uacationis officii Iudicis, seu Rectoris: neque etiam tempora, in quibus de consensu omnium procuratorum præsentium, & ad bancum existentium, quacunque de causa feriæ indicerentur. Quæ omnia tempora de tempore prædicto instantię ipso iure subduci uolumus, & in illo nullatenus computari. In causis uerò à decem florenis, & ab inde infra usque ad dictam quãtitatem instantia causæ duret, & durare debeat per duos menses continuos, aliter instantia causæ sit ipso iure deserta. In quibus quidem causis decem florenorum, & ab inde infra procedi possit, & debeat quolibet tempore, etiam feriato, exceptis diebus in honorem Dei feriatis. & omnia, quę ad cursum, & suspensionem instantiæ dicta sunt superius in alus causis, seruentur in instantiis decem florenorum, de quibus superius est expressum.

Quòd libris Mercatorum detur fides usque ad certam quantitatem. Rub. XXIX.

QVONIAM Mercandi, & negociandi frequens usus est, & utilis, & Mercatoribus sæpe contingat, & necesse sit, pro eorum mercantiis expediendis, credentias facere, & merces eorum ad minutum uendere, quas etiam emen tibus utile est habere, cùm non semper præ manibus pecunias habeãt, & interdum hora, seù tempus non patitur, ut in omnibus, quæ ad minutum ad credentiã dãtur, adhiberi testes possint, ne quod in cõe utile est, ad particulare Mercatorũ dispendium uergat, statuimus, & ordinamus, q̃ Mercatoribus Terræ nostrę S. Elpidii pro credentiis per eos factis exigeñ. fiat, & fieri debeat ius summarium sine strepitu, & figura iudicii, ac de plano, sola facti ueritate inspecta, & ad illas persoluendas debitores eorũ compellantur, pignoribus captis, & mulcta indicta, & ubi pignora haberi nõ poterunt, per personalẽ etiã detẽtionem, si opus fuerit, & credatur, & credi debeat de credentiis per eos factis concernentibus eorũ mercantias dumtaxat libris Mercatorũ dictę Terrę manu ipsorũ scriptis, bene intitulatis, & ordinatis, omni suspitione carentibus eorũ, qui artẽ, & mercantiã publice exercuerint in dicta Terra, & in eorũ arte, & mercantia fuerint bonę opinionis, & famę, & uitæ, & qui in nulla fuerint prauitate uitę depræhensi, seu publice diffamati, dumtaxat usque ad quantitatem quinque librarũ deñ. cum eorũ sacramẽto pręstañ. in totum, omnibus partitis, & postis simul computatis, ab inde uerò supra eorũ libris credatur cũ duobus testibus dũtaxat, et dicti eorũ libri, & postę in eis descriptę, quę ad quãtitates prędictas in eis descriptas, & contra debitores in p̃dictis descriptos, & eorũ hęredes executioni mãdentur, ac si forẽt instrumẽta publica ad uoluntatem mercatorũ secundũ formã statuti de executione instrumentorũ. & prędicta

locum

locum habeant in Mercatoribus, qui in Communi dictæ Terræ satisdationes præstiterint de eorum arte, & ministerio benè, & legaliter exercendo, quas fideiussiones dare teneantur in Communi singulis annis de mense Ianuarii. & quilibet Mercator, & Artifex, qui in fraude aliqua deprehensus fuerit in prædictis eorum libris, priuetur, & priuatus intelligatur arte prædicta, & eorum scripturis, & libris nulla perpetuò fides adhibeatur, & à iure sui crediti cadat ipso iure, & condemnetur in centum libris denariorum Communi, & inter cæteras fraudes connumeretur, si quid ex causa debiti in libro descripti creditori per debitorem datum fuerit, quod in dicto libro minimè descriptũ reperiatur. Mercatores autem esse intelligantur in prædictis duntaxat infrascripti, uidelicet tenentes fundicum pannorum, mercium, qui uulgari sermone Merciarii dicuntur. Item Aromatarii. Item tenentes fundicum, & apothecam lignaminum, ferri, coriorum, & ceræ. & si contingerit principalem Mercatorem, qui scripsit libros, & habet prçstare sacramentũ ut supra, præmori ante exactionẽ credentiarum, nolumus eorum hęredes admitti ad dictũ sacramentum, & exactionem, nisi prius fuerint ad illud habilitati per Concilium dictæ Terrę.

Quòd non suppositi iurisdictioni Communis Terræ S. Elpidii contra Ciues non audiantur, nisi cauto prius de stando iuri, & iudicatum soluẽ. Rub. XXX.

NE Ciues, & Incolæ, nel suppositi Iurisdictioni nostræ Terræ à forensibus, & aliis personis Iurisdictioni prædictæ non subiectis indebitè uexentur laboribus, & expensis litium, statuimus, & ordinamus, quòd nullus Iurisdictioni nostræ non suppositus, & qui ordinariè conueniri coràm Iudice Communis non posset, & qui in Terra prædicta, uel eius districtu bona immobilia non haberet ualoris centum librarum denariorum supposita Iurisdictioni Communis, & plurium, & pauciorum arbitrio iudicare debentis, attenta quantitate, & qualitate petitionis, seu reconuentionis contra Ciuem, Incolam, seu Habitatorem non audiatur in aliquo, nec eidem per Officiales Communis nostri ius reddatur, nisi primò præstita idonea satisdatione, seu fideiussore dato, qui possit conueniri sub Iudicibus Communis, & qui sit facilis ad conueniendum, inspecta qualitate personarum, tàm eius cui dari debebit, q̃ ipsius fideiussoris dandi, & rei qualitate, & quantitate de reficiendis expensis, & lite prosequenda, & stando iuri, tàm in lite, quam incohare uoluerit, & tàm primo Iudice, q̃ coràm quibùscunque aliis qualitercunque sequentibus, usque ad ultimam sententiam, quæ transeat in rem iudicatam, q̃ etiam in qua liber causa conuentionis mutuæ, seu reconuentionis de ipso agente faciendæ coràm Iudicibus antedictis, lite per ipsum mota pendente, nisi à satisdatione prædicta fuerit releuatus de conuenti uoluntate. & quicquid factum fuerit in fauorem ipsius non subiecti agentis, dicta satisdatione petita non præstita, non ualeat ipso iure, neè in prædictis sufficiat iuratoria cautio ipsius non subditi agentis, sed solùm propter paupertatem, & inopiam ipsius, de qua legitimè per Testes idoneos constet, à dicta satisdatione præstanda excusetur usque ad summam librarum decem denariorum. & eo casu iuratoriam cautionem de stando iuri, & de reficiendis expensis (ut superius est expressum) præstare teneatur. & ne forenses, seu non subditi prædicti à subditis plus debito in satisdatione præstanda grauentur de stando iuri in causa reconuentionis, ita demùm teneri uolumus, si reus ipse conuentus satisdationem prædictam postulans causam, & quantitatem, pro qua ipsum reconuenire uelit expresserit, ac iurauerit esse ueram, & se pro tunc in promptu eius intẽ non habere, & calumniosè dictam satisdationem non petere, & si dicta satisdatio calumniosè petita fuerit, & præstita per agentem, & demùm qui illam petierit, agentem non conuenerit, seu reconuenerit durante iudicio supradicto, condemnetur ipsi, qui illam præstiterit, in expensis, & interesse factis occasione prædicta, nisi concordia inter eos facta fuerit post dictam satisdationem præstitam, quo casu qui satisdationem illam petierit minimè condemnetur, & quod supra dictum est de satisdatione præstanda à non

subdito, contra subditum, agente locum sibi uendicet, etiam si subditus non subditũ reconuenerit, seu mutuò conueniret: quo casu quæ superius sunt expressa per omnia obseruentur, & eo casu, quo forensis, seu subditus dicti Cõis per procuratorem cõtingeret subditum conuenire, uel reconuenire idem per omnia obseruetur, nec ad excusandũ à dicta satisdatione præstauda sufficiat: si Dominus in mandato procurationis releuauerit Procuratorem, nisi forte in mandato ipso, & releuatione prædicta fideiussor subditus iurisdictioni dicti Cõis, & idoneus, ut supra ascriptus fuerit: Ciuis uerò seu subditus iurisdictioni Cõis, agens contra ciuem, seu subditum dicti Cõmunis ad dictam satisdationem præstandam minimè teneatur, sed inter eos sola iuratoria cautio sufficiat, si à parte satisdatio fuerit postulata.

Quod uictus uictori in expensis condemnetur. Rub. XXXI.

STATVIMVS q; in qualibet causa tàm ciuili, q; criminali, siue mixta, uictus uictori in expensis per Iudicem, seu alium de eius commissione taxandis condemnetur, & per Iudicem debeat condemnari in sententia diffinitiua, siue interlocutoria, in qua partem succumbere contigerit condemnatoria, siue absolutoria à petitione, seu ab obseruatione iudicii, seu etiam alia sententia declaratoria, quæ super aliquo causæ articulo fieri cõtingeret, non obstante q; in causa fuerit de calumnia iuratum, nisi ex aliqua iusta causa litigandi, uictus ipse absolui meruerit, & de iure debuerit: quo casu Iudex uictum ab expensis absoluere possit ex causa præmissa, causa tamen inserta in sententia, aliàs Iudex ipse uictori ad expensas, in quibus uictus debuerit condemnari, seu à quibus minus legitimè fuerit absolutus, uictori teneatur, & facta condemnatione expensarum ad ipsarum raxationem, seu declarationem procedi possit summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, & illis declaratis ad ipsarum solutionem, in pecunia numerata tantum, de facto iuris remediis per pignorum captionem, seu mulctæ impositionem, uel etiam personalem detentionem, & aliis iuris remediis procedatur, prout Iudici uisum fuerit, nulla Iudiciorum solemnitate seruata, temporibus etiam feriatis, feriis in honorem Dei duntaxat exceptis, nisi ab ipsarũ condẽnatione, seu declaratione fuerit appellatũ, seu de nullitate oppositũ, seu propositũ qua pendente quo ad id super quo fuerit appellatũ, seu de nullitate propositum, officium iudicis conquiescat. Addimus tamen, q; ubi uictus in aliquo causæ articulo fuerit in expensis condemnatus, si ab expensarum condemnatione eo casu fuerit appellatum: Iudex principalis causæ non obstante appellatione prædicta in principali causa procedat, si uerò ab expensis eo casu fuerit appellatum, uictus ipse expensas in quibus extiterit condemnatus, si ab earum condemnatione, seu declaratione non fuerit appellatum, soluere compellatur, & donec illas soluerit in principali causa nullatenus audiatur, & prædicta tam in principalibus, q̃ appellationibus uendicent sibi locum.

De debitore suspecto capiendo. Rub. XXXII.

VOLENTES Quantum possumus subiectorum utilitati intendere, ne creditoribus in eorum creditis damnum aliquod inferatur, propterea statuto hoc ordinamus, q; si quis in iudicio, uel extra diebus omnibus, etiã in Dei honorem feriatis corã Iudice, uel Rectore compareat, dicens se debitorẽ aliquem habere suspectũ, bona immobilia sufficieñ. pro debiti quantitate in Terra S. Elpidii, & eius districtu nõ habentẽ, seu possidentẽ, uel aliter de fuga, & recessu suspectũ, quę quidem suspitio superuenerit post obligationẽ contractã, si talis creditor ꝓpriè, uel impropriè iurauerit scripturis tactis, talẽ eius debitorẽ, ut supra, fore, & esse suspectũ de fuga, & cõditionis deterioris ẽẽ nũc, q̃ tẽpore initi cõtractus debiti, uel quasi, & de debito ipso sũmariã aliquã fidẽ fecerit ꝑ publicũ instrumẽtum, uel

tum,uel adminus per unum testem,si instrumentum,seu copia testium, & facultas exhibitionis haberi poterit in promptu,uel si iurauerit se dictas probationes in promptu non habere,& suspitionem adeo urgere,ꝙ in mora temporis periculum esset, adminus facta fide de debito per iuramentum partis,parte etiam non citata,uel præsente, in absentia dicti debitoris sine iuris,&iudicii solennitate: Rector,uel Iudex teneatur dictum debitorē capi facere,& coram se duci sub fida custodia,anteꝗ mittatur ad carceres, qui si fideiussores de iudicio sisti,& iudicatū soluen. uel pignora dederit, non mittatur ad carceres: sed si fideiussores tales,seu pignora date nequiuerit,carceretur, ibidemq; detineri faciat ad petitionem talis creditoris,donec dictus debitor de iudicio sisti,& iudicatum soluendo,idoneę cauerit,seu creditori suo satisfecerit, aut donec dicta causa inter ipsos fuerit terminata. Interim tamen talis debitor detentus in sua andiatur defensione: & si talis creditor, seu petitor compertus fuerit esse periurus,quia sciebat,aut publice notum erat,talem debitorem captum tempore talis capturę posside re bona stabilia, seu mobilia sufficientia ad debitum prætensum, teneatur parti ad damna, expensas, & interesse,Iudicis arbitrio resarcienda: & nihilominus pœna.xxv. lib. de facto puniatur per Rectorem, uel Iudicem. Teneatur insuper qui aliquem uoluerit facere detineri ex causa superius allegata, eadem die in scriptis apud acta petitionem qualem qualem porrigere, in qua ad minus causam obligationis,& debiti quantitatem,& suspitionis causam, cuius occasione fecerit debitorem detineri, exprimere, & de ipsis fidem facere, prout supra est expressum: hoc autem locum non habeat in muliere,quæ pro debito ciuili capi non possit,dummodo sic honesta,bonæ conditionis,& famæ: inhonesta autem,& malæ conditionis,& famæ capi possit. Et non possit aliquis detineri ex forma præsentis statuti,qui tempore obligationis contractæ,uel postea fideiussorem,creditori dederit,seu ubi creditor correum par ter insolidum habuerit obligatum pręsentem,idoneum,& non suspectum. Declarantes,ꝙ in commissione huiusmodi executionis,uel capturæ, capita solidorū soluantur per actorem iuxta formam superius traditam,in capitulo, seu Rub. de capitibus solidorum.

De Assessore,seu consultore dando. Rub. XXXIII.

VT Causæ,& lites prorsus sine suspitione,& debito sine terminari ualeant. Statuimus, & ordinamus, ꝙ Rector, siue Iudex nostræ Terræ,cuilibet petenti teneatur dare Assessorem,uel consultorem,datis suspectis,& confidatis,in qualibet sententia proferenda diffinitiua, siue interlocutoria,in casibus, in quibus de iure ciuili prouocare permittitur,qui suspecti, & confidati prius dentur pro parte eius contra quem petitur consultor,& postea per eum qui petit consultorem: & assessor,siue consultor dandus sit confidatus utriq; parti, & quotiescunq; Rector,uel Iudex processerit ad prolationem alicuius sententiæ, consultore, uel assessore petito, & non dato: talis sententia ipso iure sit nulla,& Iudex qui tulerit illam ipso facto incurrat pœnam quinquaginta librarum,applicandarum Cameræ nostri Communis, soluen. tempore eius syndicatus de suo salario. Insuper talis Iudex,ne eius præsumptione glorietur,teneatur reficere damna, interesse,& litis sumptus,ei qui assessorem petierit. Præterea Iudex, qui assessorem concesserit sub uinculo præstiti iuramenti teneatur secretè processum utriusq; partis assessori dato destinare,& nemini pandere,discusso primo per procuratores, utrum processus fuerint concordes, qui processus transmitti debeant sigillati Iudicis sigillo, in una pera, siue sacculo clauso,& sigillato in præsentia procuratorum partium,& cum literis scriptis nomine Iudicis per Notarium Banchæ: in qua fiat mentio de omnibus, sed dictarum literarum, inscriptio fiat per Iudicem in secreto, ne nomen consultoris innotescat Notario, uel partibus. Et habito consilio assessoris, lectis literis assessoris, in quibus fiat fides de

dictis literis receptis cum dicto sigillo, & subscriptione Notarii, & de receptione scripturarum clausarum sub dicto sigillo, in præsentia Procuratorum, uel saltem monitorũ, siue ad hoc citatorum ad Tribunal aperiatur, & legatur consilium prędictum, cuius formam sequi teneatur Rector, seu Iudex in qualibet sententia ferenda diffinitiua, siue interlocutoria, ut supra. Qui Consultor, siue Assessor peti possit usq; ad prolationem sententiæ exclusiuæ, sumptibus petentis, qui tamen refici debeant immediate à uicto, casu quo petens, uictoriam reportauerit. Et Iudex teneatur dubia elicere, super quibus dissensio, & quæstio inter partes uertatur: quibus elicitis unà cum actis, & allegationibus transmittat consultori, ut supra dictũ est: quod consilium reddi debeat infrà tempus ordinatũ, & prescriptum in statuto, supra de causis, & casibus in quibus ordinariè procedi possit.

De compromissis inter coiunctos, & uicinos faciendis. Rub. XXXIIII.

DESIDERANTES inter coniunctos, & uicinos, prout fieri poterit, mutuũ amorem, & charitatẽ conseruare, & ne ex litibus, inter ipsos, odia, & inimicitię orian tur. Hac nostra salubri lege sancimus, q; si quando aliqua quæstio, uel controuersia inter agnatos, cognatos, uel affinitate coniunctos, durante affinitate usq; ad tertium gradum inclusiuè, de iure canonico computañ. fuerit orta, quacunq; de causa, & occasione, uel uicinos usq; ad tres domos inclusiuè circum circa domum uicini, uel socios, de quacunq; controuersia, differentia, seu lite, uel etiam inter alias personas occasione finiũ terminationis, mercaturę, calculi, rationis, muri fabricandi, uel reficiendi, alicuius uiæ, fenestrę stillicidii, uel alterius seruitutis, & maxime de inmittendo lignum, uel diuisionis, seu occasione cuiuscunq; rei spectantis ad peritiam artis, uel ad peritiam alicuius personæ. Prætor, uel Iudex teneatur, & debeat ad requisitionem cuiuscunq; petentis, partes sic con iunctas, seu uicinas iuris remediis opportunis cogere ad eligendum duos probos uiros, partibus non suspectos, artifices, uel in arte peritos, seu mercatores secundum differentiam uertentem inter ipsas partes, quomodolibet cum omnibus suis dependentibus, & emergentibus: quibus utraq; pars pro se, & eorum hæredibus, & successoribus dent licentiam, arbitrium, & auctoritatem procedendi de iure, & de facto, ubiq;, omnibusq; diebus etiam feriatis in honorem Dei, & cognoscendi, & terminandi summariè, simpliciter, & de plano extra iudicialiter, sine strepitu, & figura iudicii, etiam omissis omnibus iuris solemnitatibus, & definiendi cum scripturis, & sine scripturis, partibus præsentibus, uel absentibus, tamen citatis, uel monitis: ad deduceñ. omnia iura, & ad ostendẽdum quicquid uolunt, & possunt in eorum fauorem, & terminañ. etiam per inspectionem loci, per euidentiam facti, seu per coniecturas, præsumptiones, & indicia cum amplissima facultate auferendi de iure suo, uni parti, & alteri concedendi, prout eis uidebitur, & placebit, dummodo partes ipsas nimium non lædant, & malus dolus ab eis absit: & non solum semel laudare, sed pluries ubi aliquid esset omissum laudare, & declarare. Quos homines sic electos, & deputatos, Rector, & Iudex ipse teneatur sub pœna.xxv.lib. realiter, & personaliter prout sibi uidebitur, cogere, & compellere ad prædicta intra quatuor dies proximos postq̃ superinde fuerit requisitus. Quod quidem compromissum, tales arbitratores, & amicabiles compositores teneantur intra tres dies proximos, à die qua electi, deputati, & assumpti fuerint acceptare. Quod compromissum, menses duos durare uolumus, & dicti arbitri, ita se habeant diligenter, q; dictas causas, & differentias infra duos menses à die acceptationis numerandos expediant, pœna.xxv.lib. pro quolibet ipsorum de facto exigeñ. Et nihilominus iterum partes cogantur, in alios comprromittere, donec causa fuerit terminata, & casu quo insimul discordes essent in laudando, tunc, & eo casu Iudex cogat partes ad eligendum tertium de communi concordia. Sin autem de tertio eligendo discordauerint, tunc per Iudicem, seu Rectorem compellantur eligere quem ipse uoluerit, uel etiã ipse Iudex eligat eum. Qui quidem tertius, aliquo ex dictis modis

assumptus,

assumptus, seu electus, habeat potestatem unà cum primis arbitris sententiandi, laudandi, & arbitrandi, ac si ab ipsis partibus de communi consensu esset electus, uel nominatus: & habeant, & habere intelligantur auctoritate præsentis statuti. Arbitri, & arbitratores prędicti inter coniunctos, consanguineos, uel affines, ut supra assumpti, potestatem, arbitrium, & baliam citandi, & monendi tàm testes, q̄ etiam partes, & alias personas necessarias pro expeditione negocii: & inobedientes, & contumaces mulctādi, & pignorari faciendi, & in omnibus necessariis, & incumbentibus faciendis pro expeditione negocii in eos commissi, habeant, & habere intelligantur à Cōmuni nostræ Terræ omnimodā ordinariam potestatem, arbitriū, & baliam, & eisdem quoties opus fuerit, & necesse. Iudex, uel Rector per eos, uel eorum maiorem requisitus, teneatur auxilium opportunū, & bracchium præstare, & familiam pro eorum officio exercendo exhibere, pœna .xxv. lib. deñ. Cōmuni applicañ. Adicientes insuper præsenti statuto, ꝙ si intra dictos duos menses non expedierint, per sententiam, causam eis compromissam, quomodocunq; instantia compromissi sit perempta, & super dicta causa non possint ulterius aliquid facere, nisi de uolūtate partium aliud maius tempus esset in compromisso appositum: quo elapso, sit dicta instantia perempta, ut supra. Et prædicta quæ de compromissis dicuntur, locum non habeant in rebus finitis, uel ubi apparet publicum instrumentum, uel scriptura liquida manu propria debitoris facta, uel testamentum, seu codicillum in publicā formam redactum, seu super exceptionibus, quæ opponerentur contra dictas scripturas, quæ tangerent principaliter instrumentum prædictum: secus uerò si alia causa ex dictis instrumentis orta, ut inter Dominum, & colonum locantem, & conducentem, uel alia, quæ omnia diudicanda iudicis arbitrio relinquimus. Nemo insuper assumptus in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compositorem inter dictas personas, dictam assumptionem recusare possit, seu ualeat: sed ad illam acceptandam officio Iudicis iuris remediis. Et si opus fuerit personali detentione, nisi iusta, & uera excusationis causa, & à iudice approbata meruerit excusari, omnimodè cōpellatur, & Iudex teneatur ad petitionem partis toties, quoties requisitus fuerit compellere, & cogere prædictos assumptos, ad expeditionem negocii, causæ, & litis captis pignoribus, & mulcta indicta, etiam personaliter illos detinendo in palatio, sub iam dicta pœna, ut supra applicanda.

De terminandis litibus per sequentem Rectorem intrā mensem, & debitoribus exigeñ. Rub. XXXV.

STATVIMVS, Vt si qua causa ciuilis, uel criminalis fuerit corā Rectore proposita, & tempore sui Regiminis non terminata, uolumus per sequentem Rectorem terminari infra mēsem continuum, postq̄ ab aliqua partiū fuerit requisitus, excepto tempore feriarum, & nisi iustum habuerit impedimentum: salua tamen litis instantia in omnibus prædictis. Item si quis, uel si qua fuerit debitor alicuius, & res mobiles, uel stabiles non possideret, ex quibus possit suis creditoribus satisfacere, habeat tamen alios debitores, ex aliqua causa obligatos. Quod Rector, uel Iudex possit, ac teneatur ipsos debitores compellere ad satisfaciendum creditoribus debitorum non possidentium, ut supra, de quorum debitis, & nominibus debitorum. Rector præfatus ex officio ueritatē inquirat, tam per modum iuramenti, q̄ alio quocunq; modo sibi uidebitur pro reperienda ueritate, pœna iudici si neglexerit. xxv. librarum deñ. de suo salario retinendarum.

Quę probatio requiratur super pignoribus subpignoratis, usurariis, & aliis. Rubrica. XXXVI.

AD Compescendam usurariorum uoraginem, uel aliorum mutuantium: statuimus, ꝙ si quis dederit in pignus res mobiles alicui usurario, seu alii, qui mutuans, uel

xerit distantiam, & uiarũ discrimina, seu qualitate moderañ. Et si in dicto termino reus factas probationes produxerit, & expresse, & euidenter appareat, q dictũ terminum longinquum calumniose petierit, ipso facto condemnetur in lib. xxv. deñ. Cõi, & parti in expensis, ad hoc ut malitiis eorum obuietur, reo autem citato ut supra in dicto termino nõ comparente, Rector, seu Iudex ad dationem, & concessionem tenutę eiusdem instrumenti uigore procedat secundum formam superius traditã, dilatio tamen primo eo casu parti petenti sacramento corporali, q animo calumniæ nõ petit executionem prædictam, & q ei particulariter, uel in totum non est, nec fuit in aliquo satisfactum, de quantitate, uel re petita, & per ipsum, uel eius Procuratorem ad id mandatum habentem legitimum, pręstito dicto sacramento executioni mandetur ut supra. Si quis autem priuatam scripturam, seu apocam, uel apodissam manu debitoris scriptã, uel subscriptam aliquid purum, seu purificatũ continentem, coram Iudice produxerit, ipsiusq; executionem petierit procedatur tali ordine, uidelicet q reus citetur intra terminum duorum dierum ad recognoscendam scripturam, seu apocam sic scriptam, uel subscriptam ut supra, personaliter compareat, quo comparente, Rector eidem pręcipiat, q recognoscat apocam ante recessum à banco. Cui si confiteatur, fiat præceptum à Iudice, q soluisse, & satisfecisse debeat creditori infra terminum quinq; dierum, reseruato eidem iure opponendi, & probandi infra eundem terminum unã, uel plures de exceptionibus prædictis, quam sibi asseruerit competere, qui si probauerit, & probatam habuerit, tale præceptum sit inefficax, & nullius ualoris: quo termino elapso, intra quem non fuerit opposita, seu etiam probata exceptio, tale præceptum firmum remaneat, & ad ulteriorem executionem realem, uel personalem creditoris arbitrio procedatur iuxta formam superius traditam, super executione instrumentorum ipso interim detẽto ut supra. Si uero reus negauerit apodixam, seu apocam præmissam manu eius scriptam, uel subscriptam fuisse: tunc Rector, seu Iudex intra terminum duorum dierum post talem negationem fieri faciat comparationem literarum cum scripturis dicti debitoris, & etiam faciendo ipsum reum scribere, seu etiam quocũq; alio modo a iure tradito, ut superinde ueritas elucescat, & si Iudici constiterit debitorem dixisse mendacium, eum cogat realiter, & personaliter arbitrio ut supra, ad soluendũ, seu satisfaciendum actori non auditis aliquibus iuribus, exceptionibus, uel defensionibus eiusdem rei, quibus propter suum mendacium, uolumus esse priuatum: & nihilominus Iudex talem reum mendacem in lib. xxv. deñ. de facto, & sine aliquo processu puniat, & sit ipso iure infamis. Si autem reus non per se, sed per alium comparuerit, tunc Iudex tali comparenti statuat terminum ad primam ad faciendum comparere principalem suum ad recognoscendum ut supra: qui si comparuerit secum procedatur ut supra: si uero nõ comparuerit in dicto termino, Iudex interlocutorie pronunciet scripturam, seu apocam prædictam pro recognita, & confessata habendam fuisse, & esse, deinde contra reũ procedat ad executionem ut supra, sin autem scriptura, uel apoca priuata quis uti uoluerit contra hæredes debitoris, uel rei seu aliam tertiam personã, tunc non procedatur prędicta uia, sed ordinaria prout in capitulo de modo procedendi in Ciuilibus. Et supradicta de priuata scriptura locũ sibi uendicet, siue sit subscripta à testibus, siue nõ. Insuper adiicientes, q scriptura manu propria debitoris facta, bino teste subscripta, recognitione facta ut supra, executionem paratam habeat in omnibus, & per omnia, ac si esset Instrumentum in forma Cameræ celebratum, & eodem modo procedatur, si petatur executio alicuius præcepti, sententiæ, uel laudi, prout supra scriptum est de executione instrumentorum &c. Vbi uero peteretur executio alicuius ultimæ uoluntatis pure, uel liquide conditionalis, uel indiem, quæ essent impletæ, & in publicam formam redactæ ut supra, producto prius per legatarium, uel alium, cui ex tali ultima uoluntate debeat satisfieri pręparatorio, si est heres uniuersalis, uel pro quota parte personæ defunctæ, cuius esset ultima uoluntas, & confesso, uel habito pro confesso, q est reus, & est hæres, uel alius, qui debet dictam ultimam uoluntatem satisfacere, & q condens dictam ultimã uoluntatem

est mortuus in dicta executione, procedatur ut supra dictũ est in executione instrumentorum. Addentes, q̄ ad probandum exceptionem solutionis sufficiat iuramentum debitoris cum cursu temporis uiginti annorum, in quo non fuerit facta aliqua petitio de dicto debito, uel relicto iurantis q̄ de aliquo prædictorum, de quo est petita executio, fuisset per dictum debitorem tali petenti, uel illi, cuius est petitor, hæres solutum, uel satisfactum. Si uero dicta executio peteretur contra hæredem debitoris, principalis, uel hæredem hæredis, tunc ad probandum dictam solutionem, uel satisfactionem sufficiat cursus dicti temporis non interruptus cum iuramento dicti hæredis iurantis se credere petenti prædicto executionem esse de prædictis solutum, & satisfactum. cursus autem dicti temporis non interruptus sufficiat probari per inspectionem præcepti, laudi, sententię, priuatæ scripturæ, uel ultimæ uoluntatis, nisi contrarium per petentem executionem probaretur, & dicta probatio etiam per iuramentum locum non habeat contra furiosos, mente captos, minores uigintiquinque annis, & mutos. prædicta tamen omnia non uendicent sibi locum in contractibus Iudęorum, & usurariorum, ac forensium: in quibus uia ordinaria procedatur. & ad demonstrandum aliquem esse usurarium, sufficiat publica uox, & fama per quatuor testes fide dignos, bonæ opinionis, & famæ probata. & hoc statutũ seruetur in præteritis, præsentibus, & futuris, & Mag. D. Priores omni opere curent, ut ad unguem seruetur; pœna uigintiquinque librarum deñ. de eorum salario retineñ. uinculo præstiti iuramenti. Addentes pro executione facta secundum formam præsentis statuti, & decreti satisfacto de eius credito, & expensis, non obstante executione prædicta, & termino primitus assignato, quandocunque debitor comparuerit probare uolens indebitè se soluisse, & executionem indebitè petitam fuisse, audiatur ad repetitionẽ eius, quod indebitè soluerit, & eo probante indebitè se soluisse, & executionem indebitè petitam fuisse, ille, pro quo executio facta fuerit, ad restitutionem totius, quod ad eum peruenerit occasione executionis prędictæ, tàm occasione debiti petiti, q̄ expensarum factarum ipsi, contra quem executio petita fuerit, compellatur in duplum, iuris remediis opportunis, ac etiam expensas, quas occasione huiusmodi repetitionis fieri contigerit, reficere cogatur.

De noui operis nunciatione. Rub. XXXVIII.

NOVI operis facta nunciatione Rectoris mandato, uel aliter, laboratores, operarii, artifices, domini, possessores, coloni, uel inquilini, magistri, uel aliæ personę nouũ opus fabricantes omnino ab opere cessent, & non operentur, laborent, uel ędificent, seù aliquod prædictorum faciant sine Rectoris licentia: pœna pro quolibet contrafaciente uigintiquinque librarum deñ. de facto exigeñ. & nihilominus omne ædificium, seù opus factum demoliatur, & in pristinum reducatur, nisi nunciatus citata parte coràm Iudice, etiam facta loci designatione, idoneè satisdederit de opere ędificando, & designando demoliendo, ut discerni possit ædificatum ab ædificando, si demoliri contigerit, uel nisi saltẽ dictam satisdationem cum effectu in iudicio coràm Rectore obtulerit, in qua causa, seu differentia ita procedatur, uidelicet q̄ per Prętorem, uel Iudicem, etiam ex officio extraiudicialiter utriq; parti dilatio octo dierum statuatur ad producendum omnia ipsorum iura, & ad probandum, & probatum habendum per omne genus, & speciem probationis, etiam per instrumenta. Quo termino elapso, publicetur processus, & partibus trium dierum ad opponendum, probandum, & probatum habendum (ut supra) terminus præfigatur. Quę quidem dilationes, uel aliquę ipsarum prorogari, uel denuò dari non possint ultra duos alios dies, etiam si subsisteret impedimentum. Demùm dilatio duorum dierum utrique parti statuatur ad allegandũ sine alia conclusione in causa, mox feratur sententia, prout iuris.

De cessione bonorum. Rub. XXXIX.

BENEFICIVM Iuris nemini auferendum esse iura disponunt. Ad tollendum ergo fraudis, & doli suspitionem, statuimus, q; omnes, & singuli uolentes ad miserabile cessionis beneficium confugere, teneantur, & debeant citari facere omnes, & singulos creditores nominatim, & seruatis de iure seruandis, ad bancum iuris, Iudice pro tribunali sedente, hora iuris faciant dictam cessionem, & iterum eo instante, per publicum Præconem, uel Bayulum Communis ad fenestras Palatii citentur omnes creditores prędicti ad audiendam dictam admissionem cessionis: neque hoc expediri possit per Procuratorem: quibus non seruatis, dictum beneficiũ, impetrantibus minimè prosit. Postq̃ uerò fuerint admissi ad tale beneficium, iterum per prædictum Præconem, uel Bayulum per loca dictæ Terræ notificetur, & ad ueram notitiam, & scientiam omnibus deducatur, talem cessisse bonis, ut omnes in posterum caueant à contrahendo cum eo. Et si forte cõtingeret, aliquẽ sub nostro districtu degentem, uel subiectum quęrere cum rescripto Superioris admissionem huiusmodi, prædictis minimè completis, uel seruatis, Mag. D. Priores pro tempore residentes prouideant, faciendo recurrere ad Superiorem per publicum Oratorem, seu Ambasciatorem, & omni studio curent obseruantiam dictæ solennitatis, ne homines dolosè ita facile ad id confugiant. Decernentes tamen, ad prædicta minimè teneri contrahentes, uel qui contraxerint cum Hebręis, uel usurariis; in quibus iuris ordinem seruandum fore statuimus.

De forma in alienationibus, & contractibus Minorum, & Mulierum seruanda. Rub. XXXX.

VT Minorum, & Mulierum utilitatibus, & indemnitatibus modis omnibus conuenientibus, & expedientibus succurratur, ne in eorum contractibus, et negociis facilè damnificari ualeant, sicut in plerisque factum esse comperimus, hac præsenti lege firmamus, q; donationes, uenditiones, alienationes, remissiones, cessiones, & quietationes quarumcunque rerum, actionum, & iurium sub quacunque forma contractuum, uel uerborum à puberibus, seu adultis factæ sine iuramento corporaliter præstito, & absque conscientia tutoris, uel curatoris eorum, & consensu duorum, uel trium consanguineorum, si extant, uel saltem affinium: & si consanguinei, uel affines non extant, absque consciencia, & consensu duorum, uel trium uicinorum proximiorum, & sine competentis Iudicis decreto, ac insinuatione facienda in actis cum quibuscunque personis, & hominibus, uniuersitatibus, collegiis, communitatibus, ac aliis personis, etiam spiritualibus, & priuilegiatis, non seruatis solennitatibus præmissis, præsumantur, & fingantur dolosè extortæ, & nullam obtineant iuris firmitatem, & nihilominus contrahens cum prædictis contra supradictam formam in uigintiquinque libris den. de facto puniatur, nec Tutor, uel Curator prædictorum possit facere aliquem contractum, alienationem, obligationem, remissionem, uel quietationem, nec quouis modo, seu quæsito colore de pecunia, uel rebus mobilibus, uel immobilibus supradictorum disponere, quę ascenderent ad quantitatem centum solidorum, nisi forma superius tradita seruata, nisi pro uictu, & uestimentis quotidianis supradictorum Pupillorum, seu Minorum, ac etiam nisi de fructibus, qui annuatim colliguntur, & seruari non possunt, eandem formã seruari uolumus, & mandamus in contractibus Mulierum, etiam maiorum, quarumcunque rerum, iurium, & actionum, ad obuiandum fraudibus, quæ quotidie fieri solent. Declarantes, prædicta locum non habere in minore uigintiquinque annis, maiore tamen uiginti, mercatore, & apothecas, merciarias habente, & artem publicam exercente etiam q; esset filius familias, quocunque in contrarium non obstante. Nec prædicta locũ sibi uendicent in muliere maiore: quæ tradi speratur nuptui, etiam si nondum sit nupta, siue sit nupta, tamen renun-

ciauerit, & iurauerit non petere, nec recursum habere ipsa, uel sui successores ex ea descẽdentes, ad bona paterna, uel materna, uel etiam augumẽta, uel fratrũ dotantium, uel alterius, immò dicta renunciatio ualeat, & teneat. Si uerò Mulier fuerit maior decem annis, minor tamen uigintiquinque, dicta renunciatio fiat cum præsentia, consensu, & uoluntate Patris, & Aui paterni, si ambos habeat, aliàs cũ consensu alterius eorũ, quẽ habet, & cum consensu Matris, si habet: aliàs loco Matris cum consensu, & uoluntate duorum, uel trium consanguineorum uel attinentium. Si uerò Patrem, uel Auum paternum non habet, tunc fiat cum consensu, & auctoritate tutoris, uel curatoris, & & duorum, uel trium consanguineorum, uel attinentium, & decreto Iudicis. & prædictæ solennitates etiam locum non habeant in minoribus ingredientibus religionem, uel monasterium, uel se quomodocunque Deo dicantibus. Eandem etiam formam, & solennitates seruari uolumus in contractibus, & alienationibus furiosorum, mentecaptorum, & prodigorum: quibuscunque non obstantibus.

Quòd processus factus in causis Ciuilibus ualeat, omisso iuris ordine. Rub. XXXXI.

AD hoc, ut litibus finis aliquis imponatur, ordinamus, q; processus factus in causis ciuilibus inter homines nostræ Terræ, dummodo personas habiles habeant, iuris solennitatibus, & substantialitatibus omissis, ualeant, & teneant, & nemo cogatur reddere actionem in aliqua petitione, seu libello, sed tantùm factum competens proponere teneatur, & propter ineptitudinem petitionis, seu ineptam petitionem non succumbat.

De diuisione rerum communium. Rub. XXXXII.

QVONIAM res communes inter aliquos solent rixas, & scandala multoties generare, ideò huic morbo medelam inuenire uolentes, statuimus, & præsenti lege ordinamus, q; si quis in cõmuni hæreditate, uel alicuius alterius rei communione, uel societate stare noluerit, & diuisionem petierit, q; Rector, uel Iudex ad petitionem cuiuscunq; hæredis, uel socii requisitus teneatur, & debeat realiter, & personaliter cohæredem, uel sociũ unum, uel plures ad diuisionem faciẽdam cogere summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, sine libello, & litis contestatione, sola simplici petitione præcedente in actis, & ita Rector, & Iudex se in præmissis diligenter gerat, q; dictã causam diuisionis intra quindecim dies continuos à die f[illegible]ctæ petitionis terminet, & decidat, postq̃ sibi constiterit per solam informationem, rem e[illegible]e hæreditariam, uel aliàs communem. Pupilli uerò, & adulti dictam diuisionem petere nõ possint, nisi cum auctoritate tutorum, uel curatorũ. Similiter fratres maiores, fratres suos minores quatuordecim annis ad diuisionem aliquam prouocare nequeant, nisi impetrata, & obtenta licentia à Iudice, uel Rectore, quam concedere possit, causa cognita, si ei uidebitur. Et in quolibet casu diuisionis faciendæ maior tempore teneatur diuidere bona stabilia extra Terram: secundus uerò filius teneatur diuidere domos: tertius uerò animalia, & alia mobilia, & unusquisque facere congruas partes: aliàs si quis ipsorum dolo malo, & in fraudem fecerit partem non æquam, & iustam, tunc liceat ipsi querelanti, seu grauato facere partem æquam, & iustam, si uelit, & ille accipiat.

Quomodo præsumatur contractus usuratius, uel fictitius. Rub. XXXXIII.

AD reprimendam usurariorum malitiam, & aliorum, qui usurarios, & fictitios contractus, & in fraudem canonis contra usurarios editi facere cõsueuerunt, statuimus, q; omnes contractus, cuiuscunque generis sint, præsumantur usurarii, & fictitii, illorũ uidelicet,

delicet qui per uocem, & famã publicam probati fuerinť per quatuor testes fide dignos, & omni exceptione maiores, usuras exercere, & contractus fictitios facere; & tunc de sor te, & usura stetur sacramento illius, qui contraxerit cum usurario tali, uel eius hærede, si inuenitur, dumodo sit bonæ famæ, & probatio prædictæ famę pro plena probatione habeatur, tam contra usurarium prędictum, q̃ contractum. Quibus quidem contractibus celebratis cum præfatis usurariis, & fictitios contractus facere solitis nulla pęnitus fides adhibeatur, imò sint, & esse intelligantur ipso iure nulli, & nullius ualoris, & contrahentes cum talibus scienter, amittant omnia sua iura, & nihilominus pœna uigintiquinque librarum denariorum mulctentur: quibuscunque in contrarium non obstantibus.

De inuentario conficiendo. Rub. XLIIII.

HAERES ex testamento, siue ab intestato, ne hæreditas sibi damnum afferat, inuentarium conficiat de bonis, & rebus, creditis hæreditariis, & legatis relictis, quæ ad eius notitiam peruenerint, nocatis, & non uocatis creditoribus infra mensem continuum à die hęreditatis aditæ, uel quo se inmiscuerit eidem, etiam sine ministerio cuiuscunque Rectoris, seu Iudicis: & hoc de bonis existentibus in Terra Sancti Elpidii, & eius districtu: de bonis uerò, & rebus alibi sitis infra duos menses à die (ut præfertur) aditæ hæreditatis. Elapsis autem dictis terminis, hæres teneatur, & cogatur respondere de iure creditoribus, legatariis, aliisq̃ uolentibus eum conuenire, seu inuentarium confecerit, siue non, intra dictos terminos: non obstantibus legibus, seu constitutionibus maius tempus ad inuentarii confectionem indulgentibus, seu de dilatione inuentarii loquentibus. Tale autem inuentarium si fiat coràm Iudice per unum Notarium, præsentibus saltem duobus testibus, plenissimè ualeat, & teneat. Sin autem alibi, q̃ coràm Iudice, duo Notarii tali confectioni interesse debeant, & ad minus tres testes. Et tale inuentarium auctoritate præsentis statuti plenam obtineat firmitatem: non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

De præscriptionibus. Rub. XLV.

CVM Reipublicæ intersit, ne dominia rerum in incerto sint, ob quod lites quotidie oriuntur: tutissimum fuit inuentum usucapionis, & præscriptionis remedium: ut domini uigilantiores sint ad recuperandum eorum bona ab alio indebità possessa: uigilantibus enim, & non dormientibus iura subueniunt. Ideò hac lege perpetuò ualitura statuimus, & ordinamus, (ut Ciues, & habitatores huius nostræ Terræ solertiores sint ad perquirendum bona sua) q͂ possidens, seu detinens rem mobilem bona fide, & iusto titulo per triennium, præsente eo, qui postmodum se dominum fuisse asserit, illius dominium firmiter quærat. Si uerò absens fuisset, spatio decem annorum. Si uerò rem immobilem, spatio decem annorum inter pręsentes: inter absentes uerò, uiginti annorum, concurrente bona fide, & iusto titulo. Si autem bona fide, sine tamẽ titulo, pacificè, & quietè, publicè, & palàm per triginta annos possederit, liberũ esse uolumus ab omni molestia: exceptis rebus minorũ, & dotibus, & bonis eorũ, qui toto tempore absentes fuere, uel maiori parte dicti temporis: adeò q͂ iusta ignorantia excusari posset. Naturalis enim ratio nõ permittit, ut non ualenti agere currat præscriptio. Iura uerò, & actiones spatio uiginti annorum pręscribantur: uolumus enim, q͂ habens aliquã actionem realem, uel personalem contra aliũ conterrigenam, & ipsam personã realiter, & personaliter obligatã, debeat infra dictũ tempus deduxisse, à die celebrati instrumenti, seu apocę computañ. alioquin transacto dicto tempore, absque legitima interruptione cadat ab omni iure, & actione: quæ exceptio in qualibet parte iudicii obstet, & allegari possit: exceptis illis, qui docuerint rationabili impedimẽto fuisse impeditos, uel coactionis metu, & uiolentię, aut ob aliã manife-

ftam prauitatem. Et hæc non uendiceot sibi locum in actionibus prouenientibus ex instrumentis, & etiam descendentibus ex ultimis uoluntatibus, quæ non intelligantur remissæ, nisi cum lapsu uiginti aonorum, alias dictis instrumentis de cætero in iudicio, uel extra uti non possint, & ex eis, & eorum prætextu nulla possit probatio, seu exactio fieri, sed pro fictis, & non ueris habeantur, & creditores ipsi à iure crediti ipso iure cadant, & cecidisse intelligantur, & instrumenta prædicta, & omnia in eis contenta ex lapsu temporis antedicti auctoritate præsentis statuti soluta fuisse, seu fictitia, fraudolenta, & simulata intelligâtur, & pro talibus habeantur: non obstante aliquo iuramento in eis apposito, quod simili modo per fraudem, & simulationem appositum præsumatur, & praesumi uolumus, & pro ipsis exigendis ultra dictum tempus minimè audiantur. Et prædicta non intelligantur locum habere in rebus Ecclesiasticis, uel ad Ecclesiam pertinêtibus, aut contra Ecclesiasticas personas, aut alios in præscriptionibus de iure priuilegiatos, aut contra furiosos, uel mentecaptos, prodigos, aut contra pupillos, uel probabili, uel necessaria causa absentes à Terra nostra, & eius districtu: imò totum tempus minoris ætatis, uel absentiæ prædictæ de præscriptionibus dictis detrahatur, & non locum tenere intelligatur. Præsens tamen statutum non prosit forensibus contra Ciues, incolas, & habitatores nostræ Terræ. Etiam ab his excipimus contractus, uel alias obligationes Hebræorum, & aliorum usurariorum, qui tantùm spatio quinque annorum præscribantur, cùm non sit credendum, q tanto steterint tempore, nisi eis esset facta uera solutio, cùm (ut experientia docet) etiam q debitores satisfecerint, nihilominus contractus aliter non cassant; ideò plena liberatio ex lapsu dicti temporis inducatur ex ista præsumpta solutione, ueluti, ut ex uera, induceretur: etiam q in omnibus dictis casibus in contractibus iuramenta essent præstita; qui intelligantur (transactis dictis temporibus) cassi, nulli, aboliti, per uim, metum, ac dolum ab initio celebrati, & extorti, & per ueram solutionem penitus sublati, & uirtute præsentis statuti de uoluntate partium à iuramenti nexu protinus liberati: ita ut nullum ius, nullaq; actio quo quo modo competat: qua cunque dispositione in contrarium faciente non obstante. Itemq; operarii, & mercenarii, qui ad diem, & diurnam operam conducuntur, debeant infra terminum sex mensium eorum mercedem petere, à die operæ factæ, & præstitæ per eosdem operarios: & similiter famuli, qui conducuntur per mensem, uel per maius tempus, teneantur, & debeant petere, & exigere mercedem, & salarium ipsorum infra eundem terminum, post finitum tempus eorum côductæ: & elapso dicto tempore, ut supra præfixo, dictis operariis, mercenariis, & famulis ex nunc auctoritate præsentis nostri statuti præscribatur, & præscriptum sit ipso iure: & sic de cętero nullo modo, uel uia contra eorum patronos, & conductores agere, & petere possint: sed penitus sit illis præclusa, & interdicta uia amplius petendi, & agendi. Adiicientes insuper huic eodem statuto, q patrocinia Aduocatorum, & Procuratorum intra biennium peti, & exigi possint, & debeant: elapso enim dicto tempore, præscribantur, & petentes non audiantur modo aliquo.

De adoptione, arrogatione, & emancipatione. Rub. XLVI.

ADOPTIONEM de eo, qui sub potestate aliena est, & arrogationem de eo, qui sui iuris est, ita fieri uolumus, uidelicet q adoptans, uel arrogans, coràm Recto re, uel Iudice dictæ Terræ constitutus, per Notarium publicè rogandum de adoptione, uel arrogatione interrogetur, an uelit, quem adoptaturus, uel arrogaturus est, iustum suũ filium esse, & adoptatus, uel arrogatus, siue adoptandus, uel arrogandus interrogetur, an id fieri patiatur: & si responderit q sic, tunc per dictum Rectorem, uel Iudicem, causa cognita, sua auctoritas interponatur. Simili modo fiat, & obseruetur, si quis uoluerit adoptare, uel arrogare aliquem nepotem, seu neptem in filium, uel filiam: quibus obseruatis, personæ adoptatæ, uel arrogatæ habeantur pro legitimè adoptatis, uel arrogatis.

Insuper

Insuper adoptans, uel arrogans teneatur infra decem dies à die factæ adoptionis uel arrogationis computandos inuentarium de bonis adoptati, uel arrogati solenniter conficere, & idoneè cauere de restituendo res, uel bona ad se peruentura ipso iure, uel ad quos peruentura sint, si arrogatus, uel adoptatus in pristinum statum redirect. Et omnia iura loquentia, uel disponentia de adoptionibus, uel arrogationibus, adoptatis, uel arrogatis locum habeant in prædictis modo, & ordine iam dictis adoptantibus, uel arrogantibus, adoptatis, uel arrogatis: quæ non habeant locum in minoribus uigintiquinque annis, nisi interuenerint solennitates requisitæ in statuto de alienatione Minorum. Emancipatio uerò coràm Rectore, uel Iudice fieri possit hoc modo, uidelicet capiendo filium familias ab eo, sub cuius nexibus est, cum manu, eumque à paterna potestate, seu nexibus paternis relaxando, & libertando auctoritate dicti Rectoris, uel Iudicis, etiam nihil dato in præmium emancipationis: qua emancipatione sequuta, emancipatus legitimam habeat personam contrahendi, testandi, in iudicio standi, & omnia faciendi, quæ facere minimè potuisset, obstante paterna potestate. Si uerò persona emancipans post dictam factam emancipationem possideret bona, uel res datas in præmium emancipationis personæ emancipatæ; tunc prædicta emancipatio præsumatur ficta, & fraudolenta, & de iure non teneat, nec ualeat, nec per talem emancipationem aliquod præiudiciũ fieri uolumus filio emancipato, quio minus ab intestato cum alijs filijs in potestate non succedat, facta collatione de bonis sibi in præmium datis, & habita consideratione eorum, quæ filii in potestate lucrari potuissent labore, & industria. Dictæque adoptiones, arrogationes, & emancipationes fieri possint quibuscunque diebus, etiam feriatis in honorem Dei, & ubique auctoritate præsentis statuti. Addentes, quod si quis ex quacunque causa se alicui obligauerit, & postea in præmium emancipationis filio, aut nepoti, uel deinceps sua bona contulerit, quod talis, ad quem bona dicti iam obligati peruenerint, teneatur satisfacere creditori dicti emancipantis, uel in præmium emancipationis concedentis sua bona. Insuper uolumus, quod si emancipatus non seruauerit pacta emancipanti, quod Rector, uel Iudex ad simplicem petitionem emancipantis teneatur cogere remedijs oportunis emancipatum ad obseruationem conuentorum inter eos: quibuscunque non obstantibus.

De Ciuibus deputandis in Terra Sancti Elpidii ad uidendum negocia Pupillorum. Rub. XLVII.

VT Pupillis, & eorum bonis modis omnibus prouidratur, uolumus, in confectione noui Regiminis deputentur quatuor ex Ciuibus, uidelicet unus pro quolibet quarterio, & sit de regimine idoneus, & fidelis, ad reuidendum negocia, & administrationem rerum pupillorum, & adultorum, unà cum tutoribus, & curatoribus eorundem, ita quod intelligatur quicquid fit in administrationibus ipsorum, & bonorum eorum, & tutores, & curatores sine præsentia dictorum ciuium nihil faciant, & aliter tutelæ non ualeant. Et hæc habeant locum in omnibus tutoribus, etiam Matre, Auia, uel quacunque consanguinitate coniunctis, etiam iam mortuis, pro tempore, quo administrauerint. Et præfati Ciues infra mensem à die notificationis eis factæ debeant curare ita, & taliter, quod pupillis, & adultis non habentibus tutores, uel curatores dentur, omni exceptione remota, cum confectione inuentarii, & cautione de gerendo utilia, & prætermittendo inutilia: secundum formam statutorum de materia loquentium. Et Potestas, seu Iudex sine præsentia dictorum Ciuium neminem in curatorem, uel tutorem admittat, nec illi se ingerant in administratione, nec rationem administrationis reddant sine præsentia, & uoluntate dictorum Ciuium: & aliter factum sit ipso iure nullum, & tutores, & curatores prędicti incidant in pœnam decem ducatorũ monetæ applicandorum Communi, coràm quibus Ciuibus Pupilli adulti, facti possint conuenire facere Tutores, & Curato-

res eorum ad reddendum rationem administratorum. Et Mag. D. Priores pro tempore existentes teneantur uinculo iuramenti,& pœna decem librarum denariorum pro quolibet prædicta obseruari facere.

De instrumentis iam solutis restituendis. Rub. XLVIII.

AEQVITAS suadet, ut facta solutione à debitore, instrumentum à creditore cassetur,& annulletur. Iccircò statuimus,quòd debitor cogi non possit ad debitum soluendum, nisi paratus sit creditor debitori eo ipso instrumentum abolitum, & cancellatum restituere: & insuper creditor teneatur facere quietationem debitori ad suum libitum. Item sancimus,quòd si debitor fideiussorem dederit,uel principalem pagatorem, teneatur creditor,facta sibi solutione,seu debiti satisfactione, ipsum intra quinque dies currentes absoluere,& liberare; pœna decem librarum denariorum. Et Iudex in prædictis procedere debeat summariè,sine strepitu,& figura iudicii; quo casu ualeant probationes, etiam lite non contestata. Item si quis usus fuerit contra aliquem coràm aliquo Iudice,uel arbitro aliquo instrumento post solutionem,& satisfactionem debiti in dicto instrumento contenti,uel post quietationem inde factam: si quidem de hoc per testes, uel instrumentum quietationis, seu remissionis constiterit, puniatur qui sic usus fuerit de facto in eo tanto, quod iam sibi solutum est, pro dimidia Communi,& pro alia dimidia illi, contra quem productum fuerit instrumentum. Et si quis partem debiti receperit, teneatur ad pœnam decem librarum denariorum ad requisitionem debitoris facere quietationem ipsi de recepto.

De fideiussoribus, & pro aliis obligatis conseruandis indemnibus per illos, pro quibus se obligauerint. Rub. XLIX.

CVM (secundum naturam) incommoda cuiusque rei eum sequi debeant, quem sequuntur & commoda; ideò præsenti statuto duximus ordinandum, quòd si quis fideiusserit,uel pro aliquo se qualitercunque obligauerit, Rector, uel Iudex ad petitionem fideiussoris, promissoris, uel alterius obligati pro alio teneatur, & debeat realiter,& personaliter cogere principalem, si fuerit soluendo, etiam non expectato aliquo tempore, uel conditione, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, etiam extraiudicialiter, sola facti ueritate inspecta, ad soluendum id,quod debeat, & conseruandum indemnem dictum fideiussorem, uel aliter obligatum, etiam si renunciauerit exceptioni de fideiussoribus, & de duobus reis, & aliis beneficiis: non obstante etiam si in eodem instrumento in solidum promiserit,& ut principalis se obligauerit. Et huic capitulo non possit modo aliquo renunciari, & una uia electa, nihilominus possit fideiussor aliam eligere, & super utraque procedere, donec, & quousque dictus fideiussor, uel aliter obligatus idoneè indemnis fuerit conseruatus. Et (ad superandam malitiam creditorum) quandocunque apparuerit, plures esse principales obligatos, & unus ipsorum asserat se principalem esse, & alios fideiussores, uolumus, quòd creditor teneatur, & debeat exigere à principali quousque esset, uel fuerit soluen. & non ab aliis, qui dicuntur esse fideiussores, nisi in eo, quod dictus principalis soluen. non esset, quantumcunque renunciauerit beneficio de fideiussoribus, etiam cum iuramento, donec principales sunt soluen. uel eorum hæredes. Et quis sit principalis, credatur sacramento asserentis se principalem esse. Et si fideiussor, uel aliter obligatus pro alio petierit à Rectore se extrahi,& liberari ab obligatione,uel promissione pro alio facta,elapso termino obligationis,seu promissionis factę,aut termino nõ apposito,elapso anno,à die promissionis, seu obligationis huiusmodi,teneatur Rector,citato reo,seu principali,eidem assignare terminum ad extrahẽdum, & liberãdum dictum fideiussorem, uel aliter obligatum,ab obligatione infra terminum

Iudicis

Iudicis arbitrio assignandum, aliàs elapso dicto termino, procedat contra dictum principalem realiter, & personaliter, ut supra. Et prædicta locum habeant in ciuilibus, & criminalibus, & in præteritis, præsentibus, & futuris. Quòd si Rector prædicta, uel aliquod prædictorum facere neglexerit, seu recusauerit, pœna quinquaginta librarum denariorum de suo salario retinendarum mulctetur.

Quòd fideiussores habeant bona principalium obligata. Rub. L.

FIDEIVSSORVM, & eorum, qui se pro aliis obligant, indemnitati prouidere uolentes, statuimus, quòd quicunque se obligauerit, seu fideiusserit pro aliquo, seu aliqua singulari persona, Communi, Collegio, uel Vniuersitate apud Commune nostræ Terræ, uel dicti Communis Officiales, uel aliquam aliam personam priuatam, Collegium, uel Vniuersitatem, & pro eo, pro quo fideiusserit, aliquid de suo soluerit, seu eius occasione damnum passus fuerit, habeat, & habere intelligatur auctoritate præsentis statuti principalem debitorem, pro quo se obligauerit, & eius bona eo modo, quo pro dicto debitore penès eiusdem creditorem se obligauit in instrumento fideiussionis, seu obligationis pro alio factę obligatū, ac si tempore fideiussionis, & obligationis factę pro alio, dictus principalis debitor eidem suo fideiussori de indemnitate promisisset, & eum indemnem conseruare promisisset, & pro eius indemnitate se, & eius bona expressè obligasset, ita quòd possit ipsum principalem debitorem realiter, & personaliter conuenire, & de bonis, & in bonis ipsius sibi iudiciali auctoritate solui, & satisfieri facere usque ad integram satisfactionē debiti, damnorū, & expensarū: de quibus damnis, & expensis credatur eidē fideiussori, facta summariè fide per eum Iudici per duos testes, uel saltem per unū testem bonæ famæ, & per iuramētum ipsius fideiussoris, ubi duo testes haberi non possent. Super quibus omnibus, uidelicet debito, seu sorte, damnis, & expēsis Iudex summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicii contra talem principalem ad petitionem ipsius fideiussoris omnimodo procedere teneatur, non obstante alio statuto facto, uel faciēdo, in contrarium loquente. Et si fideiussor occasione fideiussionis prædictæ pecuniam accepisset sub usuris, petatur usura in damno prędicto expēsis rei principalis. Et Iudex, seu Rector Terræ nostræ teneatur, & debeat omnes, & singulos, qui haberent, uel accepissent, uel acciperent in futurum aliqua bona supradictorum principalium in tenutam, seu in solutum occasione prędicta contra quascunque personas, eos in possessione dictorū bonorum manu tenere, & defendere, & huic statuto renūciari non possit: & hoc statutum intelligatur in fauorem fideiussorum, & qui pro alio se obligauerint: adeò quòd, licet ipsi pro alio se obligātes aliter, seu magis sibi prouiderint per aliquam prouisionem, seu conuentionem, quæ fieret inter principalem, & eum, qui se pro alio obligauerit, & cautelam, & securitatem maiorem, quā sit præsenti statuto ordinatum, nihilominus per illam beneficio huius statuti nō intelligatur in aliquo derogatum, siue renunciatum.

De bonis debitoris in fraudem creditoris alienatis. Rub. LI.

QVONIAM sępe debitores suos creditores fraudare nituntur, sua bona fictitiè uendēdo, & legitimè hęc probari non possunt, ad obuiandū eorum malitiis, & subterfugiis, statuimus, & ordinamus, quòd si per debitorem post contractū debitum bona aliqua, uel possessiones alicui alienarentur, quòd nihilominus creditor, non obstante dicta alienatione, possit petere executionem, & capere tenutam, seu possessionem in fraudem alienatorum, etiā contra recipientem, nisi is, in quē dicta alienatio facta fuerit, infra tres dies docuerit de iure suo, aliàs non audiatur, nec creditori obsit, sed procedatur ad tenutam, & adiudicationem factam creditori, tanquā si dicta tenuta, uel res non foret alienata. Et si res, uel bona per debitorem alienata tempore contracti debiti, uel tempore inmissionis in tenutam possiderentur, uel detinerentur per ipsum debitorem alienantem, uel penès ipsum essent, alienatio, siue contractus talium rerum, uel bonorum facta præsumatur

in fraudem creditororum,& nullius sit ualoris,tanq̃ dolosè facta,& Rector,seu Iudex teneatur,&debeat ipsum creditorem in ipsa tenuta contra debitorem, uel alium titulũ habentem manutenere,& defendere summariè,& sola facti ueritate inspecta : pœna,si neglexerit,uigintiquinque librarum denariorum de eius salario retinendarum. Et prędicta locum habeant in præteritis,præsentibus,& futuris.

De dando Aduocatos,uel Procuratores, & qui esse non possint. Rub. LII.

QVONIAM Reipublicæ interest neminem indefensum remanere, iccircò statuimus,q Rector,uel Iudex teneatur, & debeat ad petitionem cuiuscunq; dare eidem Aduocatos,& Procuratores,consuetos tamen, & qui talia officia exercent, recepta competenti mercede, nisi iusta causa,uel aliquo alio legitimo impedimento excusaretur. Et nullus ex Notariis actuariis,uel Notarius Massarii,nec Massarius,uel Syndicus Cõmunis, nec etiam Cancellarius possint(eorum durante officio)aliquam procurationem, uel defensionem pro alio facere, seu quomodolibet interuenire cotàm Rectore, uel eius Officialibus,uel aliquo alio Iudice. Et si contrafecerint, soluant pœnam uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet, ad petitionem cuiuscunque denunciantis,qui teneatur secretus ; & nihilominus talis procuratio,defensio,pręsentatio,uel interuentio sint ipso iure nullæ,nullius roboris, & efficacię.

Quòd nullus recipiat aduocationem,uel procurationem contra Communitatem. Rub. LIII.

ITEM statuimus,q nullus audeat facere,uel suscipere aliquam aduocationẽ, uel procurationem contra Communitatem dictæ Terræ sine uoluntate Mag. D. Priorum pro tempore existentium. Contrafaciens uerò incidat in pœnam centum librarum denariorum,& priuationis officii.

De cogendo facere instrumentum publicum de promissis,& de instrumento perdito à partibus reficiendo. Rub. LIIII.

CONTRAHENS, uel quasi paciscens,stipulans,transigens,liberans, soluens, uel satisfaciens,uendens,locans,& his similes,possit contra alteram partem de contractis,uel quasi distractis,uel de aliis promissionibus,seu gestis inter eos, aut aliis obligationibus, & his similibus,ut de his sibi publicum conficiat instrumentum,petere, & agere: & in prędictis procedatur sine petitione,libelli oblatione,simpliciter,summariè,de plano,sine strepitu,& figura iudicii,sola facti ueritate inspecta,hoc ordine,uidelicet q per Iudicem ad petitionem petentis sibi fieri dictum instrumentum,interrogetur pars aduersa cum iuramento,an uera sint narrata per petentem. Si confessus fuerit,fiat sibi præceptũ, q non recedat de Palatio,pœna decem librarum denariorum, donec petenti de conuentis,& confessis per eum cum rogatione Notarii publicum, & de iure ualidum confecerit instrumentum. Si uerò negauerit,statuatur petenti terminus quinque dierum ad probãdum, & probatum habendum : quo elapso,publicetur processus,& terminus trium dierum utrique parti detur ad opponendum, & probandum, & probatum habendum. Et si aliquod fuerit oppositum, & probatum,iterum publicetur processus, & dicti termini, uel aliquis ipsorum prorogari non possint,nec denuò alius dari,etiam si iustum fuerit impedimentum. Postea feratur sententia absolutoria, uel condemnatoria,ut iustum fuerit. Si uerò partem confessus fuerit, & partem negauerit,de cõfessatis fiat,ut dictum est ; sed de negatis procedatur ut supra dictum est, quando reus negauerit. Prædicta uerò omnia locum non habeant contra minores uigintiquinque annis, uel indigentes curatore, uel con-

uel contra mulieres. Insuper, si prorhocollum inde transumptum, uel copiatum esset per ditum, ad petitionem cuiuscunque partis compellatur altera pars ad faciẽdum aliud instrumentum pęna uigintiquinque librarum denatiorum: & de dicta amissione stetur dicto Notarii, qui fuerit rogatus, uel eius hęredibus cum iuramento.

De Tutoribus, & Curatoribus. Rub. LV.

IVRE communi constitutum est, tutores testamentarios cęteris omnibus pręferendos esse: cui (uti rationi congruum) non intendimus derogare, quin imò illud idẽ statuimus, existentibus illis, legitimos, & datiuos omninò cessare; quibus deficientibus, primo loco Matri, deinde Auiæ secundum ordinem, quæ legitimè censeantur, & cæteris pręferantur, & eis deferri uolumus, & per se tutelam administrare: & hoc, si bona pupilli, uel pupillorum ducentorum summam florenorum non excedant. Si autem supra ducentos florenos ualeant, tunc Mater, uel Auia secundum ordinem unà cum idoniore agnato pupilli, uel pupillorum, Mater, uel Auia tutrix existat, non attenta proximitate, sed idoneitate tantùm inspecta. Sin autem Mater, & Auia non extarent, hoc ordine ad legitimos perueniatur, uidelicet quod Iudex, facta inquisitione de legitimis, illum ex eis tutorem ordinet, qui idonior reperitur, proximitate non attenta: qui sic ordinatus tutelam per Iudicem suscipere cogatur remediis opportunis. Vbi uerò legitimi non existant, tunc Iudex cum consensu D. Priorum, de bonis, & idoneis hominibus inquisitione facta, unũ, uel plures idoneos, prout sibi uidebitur expedire, tutores decernat, & ordinet, cogatque eum, uel eos tutelam suscipere remediis oportunis. Et prædicta tam ex officio, quàm etiam ad cuiuscunque petitionem Iudex execurioni mandet: in omni tamen casu, siue testameatarii, siue legitimi, seu datiui, teneantur idoneam præstare satisdationem, rem pupilli saluam fore, prout à legibus dispositum est, quam omninò prçstandam esse disponimus, etiam quod à testatore, uel lege, aut consuetudine prædictis tutoribus, seu alicui eorum remissa foret huiusmodi satisdatio. Qui Tutores statim accepto officio, teneantur solenne, & legitimum inuentarium conficere infra decem dies currentes de omnibus, & singulis rebus, & bonis mobilibus, & immobilibus, iuribus, & actionibus, creditis, & debitis quomodolibet ad pupillos spectantibus, corã Iudice, & D. Prioribus, & in prçsentia duorum propinquorum, unius ex parte patris, & alterius ex parte matris, qui medio iuramento approbent, & exprefsè dicant, inuentarium legitimè fuisse confectum, & nihil dolosè omissum, nec excusentur ex eo, quod inuentarium inchoatum fuerit, nisi perfectè omnes res, & bona pupillorũ in eo descripta fuerint. Et iidem tutores administrantes teneantur addere, uel minuere inuentario prædicto, ut supra facto, quomodocunque, & qualitercunque hæreditas in posterum augeretur, uel minueretur. Et id, quod dictum est de inuentario conficiendo à tutoribus, seruetur pariter à Curatore maiorum quatuordecim, minorum autem uigintiquinque dato: pœna pro quolibet in prędictis contrafaciente quinquaginta librarum denariorum Communi applicandarum, & remotionis ab officio: & nihilominus quod ad omnia, & singula damna, & interesse dictæ personæ, cuius est tutor, uel curator, teneatur. Si autem Mater, uel Auia tutrix ad secunda uota transire uoluerit, tunc ad legitimos perueniatur, si extant; aliàs autem, ad datiuos, seruato modo, & forma superius traditis. Si quis autẽ à tutela se excusare uoluerit, huius rei facultatem habeat infra octo dies continuos à die nominationis, seu ordinationis computandos: intra quos peremptoriè, & præcisè suam excusationem probasse, & probatam habuisse debeat cum effectu. Quæ autem reputari debeant excusationes legitimæ, ipsius Iudicis conscientiæ, & dispositioni relinquatur; iure communi non obstante circa hæc quo quo modo. Addentes, quod nulli liceat pupillorum, seu adultorum Ciuium nostræ Terræ tutorem, uel curatorem esse, nec bonorum ipsorum administratorem existerę, nisi fuerit Ciuis continuus habitator dictę Terrę Sancti Elpidii.

De Furiosis, Mentecaptis, Mutis, & Surdis, & similibus, & eorum Curatoribus. Rub. LVI.

MVTI, & Surdi, qui aliàs sanæ mentis existant, Curatores habere debent dumtaxat ad causas. Eorum uerò negocia, & bona ipsi per se, non autem Curatores prædicti liberè per omnia administrent. Furiosis autem, & mentecaptis, & his, qui mentis imbecillitatem patiuntur, necnon & prodigis manifestis Iudex cum diligenti inquisitione constituat Curatores ad eorum negocia, & bona administranda, & negocia eorum facienda. Qui quidem Curatores, præstitis idoneis fideiussoribus, seu fideiussore, medio iuramento cauere debeant de negocijs prædictorum bene, fideliter, & legaliter exercendis, & faciendis utilibus, & inutilibus prætermittendis. Et si qua persona, etiam non coniuncta alicui, de prędictis sub curatore manentibus quærimoniam Iudici exposuerit, q curatores alicuius de prædictis fraudem, culpam, uel negligentiam in ipsa cura commiserint, Iudex summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, etiam omni solennitate, & substantialitate iuris omissa, super inde se informet, & sola rei fide, & ueritate habita, contra tales curatores de facto de cura debeat remouere. Talium autem Curatorum illud salarium sit, quod Iudici uisum fuerit fore æquum: & Iudex fieri faciat bannimentum generale per loca solita huius Terræ, q nemo alienationem bonorum à persona prodiga recipiat sine eius curatore, pœna uigintiquinque librarum denariorum, & nihilominus dicta alienatio ipso iure sit nulla: de quo bannimento, & eius relatione fiat mentio apud acta ciuilia.

Quòd omnibus liceat Tutores, uel Curatores accusare. Rub. LVII.

PVPILLORVM indemnitati consulere cupientes, ne eorum bona dilapidentur, hac præsenti lege statuimus, unicuiq liberam, & omnimodam potestatem, & arbitrium tutores, & curatores non bene se gerentes in eorum administratione accusandi, & suspectos dicendi concedimus, dummodo causam suspitionis exprimant, pręsertim de omissione inuentarii, & q fraudolenter, & dolosè omnia in eo non annotauerint, nec satisdationem idoneam præstiterint, fructusq, quos administrauerint, dilapidauerint, & alias causas inferere à iure communi traditas ad reddendum tutorem suspectum. Et Rector dictam causam infra uiginti dies terminet simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, & sola facti ueritate inspecta. Interim tamen tutores, uel curatores prædicti, dicta causa, & quæstione pendente, in officio, & administratione persistant, donec per sententiam fuerint remoti ob legitimam causam suspitionis deductam, & liquidò apparentem; & nihilominus præfati tutores, uel curatores Iudicis arbitrio puniantur, & pariter accusator, si calumniosè accusasse in fine causę legitimè constiterit, & ad expensas teneri, & ad pœnam Iudicis arbitrio infligendam.

Quòd Iudex teneatur prouidere de tutore, & curatore Pupillis. Rub. LVIII.

IVRI consonum esse uidetur, ut qui propter ætatis, & sensus imbecillitatem se regere nequeant, aliena sub cura regantur. Iccircò statuimus, & ordinamus, q Iudex teneatur, & debeat prouidere Pupillis, & Minoribus de tutore, uel curatore ad lites, & negotia, quotiens opus erit, & requisitus fuerit à quocunque consanguineo instante, dummodo iuret, id, quod petit, pro bono, & utilitate Minorum petere; mox nominetur tutor, uel curator, prout expedierit. Qui tutor, uel curator iuret, & legitimè satisdet, atque inuentarium conficiat, uel incipiat, prout de iure tenetur, non derogando statuto de tutoribus, & curatoribus, quod omninò seruari firmiter uolumus: aliquo in contrarium faciente non obstante.

Quòd

Quòd Tutor, uel Curator possit constituere procuratores. Rub. LIX.

HAC nostra dispositione ordinamus, (ad euitandũ expensas) q̃ liceat omni, & cuilibet Curatori, uel Tutrici, seu generaliter Curatori facere, creare, & constituere omnem, & quemlibet procuratorem, defensorem, & aduocatum, quoties uoluerit, & necessarium fuerit, siue ante litem contestatam, siue post, pro defensione, & recuperatione bonorum Pupillorum, & Minorum, quorum tutelam, & curam gerunt: & pro defensione personarum earundem. Et gesta per præfatos ualeant, & teneant, perinde ac si per ipsos Tutores, & Curatores gesta forent.

De ratione reddenda per Tutores, & Curatores. Rub. LX.

HAC nostra lege sancimus, quemlibet Tutorem, seu Tutricem, & Curatorem debere quolibet anno reddere rationẽ administrationis tutelæ, seu curæ, de mense Decembris, de omnibus, & singulis redditibus, fructibus, expensis, & existentibus patrimonii, quod administrauerit, coràm Iudice, seu Rectore, & duobus consanguineis pupillorum, seu minorum: sub pœna remotionis officii, & uigintiquinque librarum denariorũ pro quolibet, Communi applicandarum. Qua ratione legitimè, & fideliter reddita, & à dictis consanguineis approbata, non possit Tutor, uel Tutrix, seu Curator (uti suspectus) amplius remoueri. Si uerò dolo, uel fraude in administratione deliquisse apparebit, in pœnam prædictam uigintiquinque librarum denariorum prędicto Communi applicandarum condemnetur, & à tutela, & cura remoueatur. Si autem aliquali negligentia, in libris decem deñ. ut supra applicandarum, sine remissione mulctetur.

Quòd Famuli, durante seruitio, à dominis non recedant. Rub. LXI.

CVPIENTES Famulorum fraudem, & malitiam comprimere, ut pacta conuẽta omninò seruentur: ideircò statuimus, nulli famulo, seu famulę, cuiuscunque conditionis existat, licere (durante tempore seruitutis promissæ) à domino recedere, & operas suas alteri præstare, seu locare, nec etiam aliquis audeat illum, uel illam, inuito primo domino, retinere, & conducere. Et qui contrafecerit, incidat in pœnam decem librarum denariorum de facto exigendarum: & nihilominus dominus, siue patronus possit propria auctoritate famulum, uel famulam ad suum seruitium reducere, etiam uiolenter, libere, & impunè, & ipsum, uel ipsam spoliare, & res, quas secum habet, auferre. Et Rector, uel sui Officiales ad petitionem dominorum teneatur, uel teneantur famulum, uel famulam recedentem à seruitio, uel recedere uolentem capere, uel capi facere, & carcerare, prout domino placuerit, nisi propter nimiam dominorum sæuitiam, uel aliam iustam causam recessérint, de qua arbitrio D. Potestatis, & D. Priorum stetur: & famulus, seu famula ob recessum à domino absque licentia teneatur dare, seu resarcire domino pro quolibet die, quo nõ seruierit, solidos octo de suo salario, uel de propria pecunia: famula uerò solidos quatuor: & hoc intelligatur à calendis Martii per totum mensem Octobris. In aliis uerò temporibus famulus solidos quatuor: famula uerò duos. Et nullus famulus audeat furari semen, quod portaret ad seminandum, uel aliud domino, sed bene, & fideliter se gerere, aliàs incidat in pœnam furti: & in eandem pœnam incidat emptor, qui scienter emerit. Idem dicimus in famulabus, & damnum domino emendare teneantur, & q̃ nullus dominus, uel patronus audeat promittere famulo suo soluere pœnam, seu condemnationem damnorum datorum per ipsum famulum, uel per bestias illatorum. Quòd si secus fecerit, puniatur in libris decem denariorum de facto, & nihilominus talis promissio nullius sit ualoris, nullusq́ Notarius, nec testes tali promissioni interesse debeant, pęna contrafacienti supradicta. Addentes, q̃ contractus, & obligatio facta per famulũ, uel famu-

sam domino, siue patrono de stando, & seruiendo ualeat, & teneat, exceptione minoris aetatis, uel aliqua alia non obstante. Et si contigerit famulum percutere dominum, uel patronum, & eius domesticos, puniatur in duplum eius, quo alius puniretur: non obstantibus quibuscunque.

De emptione rerum stabilium. Rub. LXII.

SI Quis rem aliquam stabilem emerit, ipsamq; emptor, aut eius haeredes, uel successores per se, uel sui auctoris, uel praecessoris tempore unà simul computato tenuerit, uel possederit sine controuersia, pacificè, & quietè per decem annos continuos à tempore emptionis, & possessionis acceptae nnmerandos: talis res empta non possit à tali emptore, uel eius haeredibus, & successoribus peti, auferri, uel auocari eo praetextu, causa, uel colore, & occasione, q; de dicta re empta prius fuerit facta donatio, uenditio, cessio, seu alius contractus per eundem uenditorem alicui ciui habitatori dictae Terrae, uel forensi: non obstantibus uerbis in primo cōtractu appositis, uidelicet quam rem constituit se emptoris donatarii, uel contrahentis aliter precario nomine possidere, uel quibuscunq; uerbis, clausulis, uel actibus similibus, uel aequipollentibus. Et si quis eandē rem uni, uel pluribus primò, deinde alii, uel aliis uendiderit, donauerit, cesserit, uel alienauerit: ille, seu illi intelligantur, & sint in tali re potiores, qui prius ueram, & naturalem possessionem dictae rei adepti fuerint, non autē qui fictam, uel tantum precariā habuerint. Et huiusmodi dispositio praesentis statuti in omnibus, & singulis casibus locum habeat, obtineat, & etiam ius; & effectū tribuat, siue quis possideat, & se tueri uelit, siue à possessione quo quo modo, uel casu ceciderit, & ad ipsam possessionem, uel rem obtinendam agere uelit: & locū habeat in praesentibus, praeteritis, & futuris.

Quòd Laboratoribus, seu Operariis soluatur in sero. Rub. LXIII.

STATVIMVS, & ordinamus, (pro publica, & euidenti utilitate Laboratorum, & pauperum dictae Terrae, & districtus, ac quarumlibet aliarum personarum uenientium in eandem; cùm in Lege Domini sit scriptum, & praeceptum, NON tenebis mercedem Operarii à mane usque in sero) q; quilibet Ciuis, districtualis, & habitator dictae Terrae, & districtus, seu quiuis alius teneatur, & debeat soluere Laboratori, seu Laboratoribus per eum conductis ad laborādum in quolibet laborerio, mercedem conuentā, in sero diei operę impensae. Et si quis non soluerit in sero, & ipse, uel ipsi conquaesti fuerint apud Iudices, Officiales, & Curiam Communis nostrae Terrae: tunc dicti Officiales, & Iudices summariè, simpliciter, & de plano, omni strepitu, & figura iudicii cessantibus, & absque aliqua protelatione, & onere impensarum, ad uoluntatem ipsorum Laboratorū, tales conductores eis Laboratoribus soluere, omni exceptione remota, penitus compellantur, uel aliàs captis pignoribus, irremissibiliter coerceantur de omni eo, quod conuentum fuerit inter eos, satisfacere: dumodo mercedem à statutis taxatam non excedant, & de damnis, interesse, & expensis.

De Sponsalibus, & lucro Sponsi, & sub cuius administratione Sponsa, eiusq; bona regantur. Rub. LXIIII.

QVONIAM sponsalibus contractis nonnulla onera à Sponso sustinentur, statuimus, & ordinamus, q; quandocunque inter maiores septennio sponsalia contracta fuerint: si quidem Sponsa patre careat, Sponsus à die sponsaliū contractorū omnes, & singulos fructus dotis conuentae, seu constitutae lucretur omnino. Item q; si Spōsa patrem non habuerit, sed sub tutore regatur, aut tutore indigeat: si quidem Sponsus

patrem

patrem habeat,omnis tutela eiusdem Sponsæ ad eius socerum, patrem uidelicet Sponsi, omnino deuoluatur,& sibi res,& bona omnia,& singula dictæ Sponsæ sint huius legis auctoritate commissa,& in inuentarium redigantur conficiendum infra quindecim dies à die supradictorum sponsalium cõtractorum numerandos,sub pœna centum librarum dcñ. Ad cuius inuentarii confectionẽ Iudicis præsentia requiratur unà cum duobus proximioribus consanguinibus,uel affinibus (consanguineis non extantibus) dictę Sponsę, aut in defectu duorum proborum uicinorum. Si uerò Sponsus patre caruerit,bona eiusdem Sponsę per eius Sponsum,si maior uiginti annis extiterit confecto per eum inuentario,ut supra,administrentur. Et si contigerit,inter ipsos sponsalia, aut etiam matrimonium dissolui,neq; Pater Sponsi,neq; ipse Sponsus ad restitutionem fructuum, seu prouentuum doris prędictę teneatur,sed omnino eiusdem Sponsi lucro cędant propter onera,quæ(ut prædicitur)supportari contigerit.

Quòd dos reuertatur ad dotantem,& de lucro dotis deferendo uiro morte mulieris,& è contra. Rub. LXV.

CVM multoties prætextu ornamentorum mulierum,& nuptiarum homines expensas maximas,& grauia damna patiantur,spe lucri ad subeunda onera matrimonii inuitētur,& alliciantur: propterea hac nostra sanctione perpetuò ualitura statuimus, & firmamus,ut contracto matrimonio per uerba de præsenti, copula carnali consumato; si quidem mulieris morte matrimonium dissolutum fuerit, non extantibus filiis, uel filiabus communibus de eorũ corpore legitimè natis,maritus medietatem dotis,& augmenti dotis solutæ,promissæ,confessatæ, uel relictę, & cuncti lucretur, computata in ea doni medietate,quod fieret tempore sponsalium de pręsenti,& reliqua restituere teneatur doranti,de ipsius propriis bonis,& eius hæredibus. Et si dotans extraneus sit,& in casu soluti matrimonii morte mulieris sine liberis,sibi stipulatione restitui prouiderit,dos ad ipsum reuertatur,ut supra; aliàs de prędicta medietate uxor possit ad sui libitum disponere: de qua medietate uxoris detrahantur expensæ sepulturæ,& funeralium. Et prædicta locum sibi uendicent etiam in uxoribus undecunq; uenientibus ad hanc Terram,& quæ huc traducuntur per matrimonium ad maritum suum, non autem in illis mulieribus, quę hinc ad alium locum traducuntur; quo casu maritus nihil aliud lucrari possit,q̃ donum. Et huic capitulo renunciari nullo modo possit,& dicta renunciatio,si fieret,sit ipso iure nulla, & nullius ualoris. Insuper maritus lucrum prædictum minimè lucretur,si dictam coniugem maritali amore nõ tractauerit,sed male de ea meritus fuerit,& in eius infirmitate diligentem curam non pręstiterit,& alia necessaria subministrauerit. Vbi autem mulier decederet,ex altero matrimonio tantùm filios,uel filias,nepotes,uel neptes ex ipsis filiis reliquerit,uirum secundum nolumus in hoc casu lucrari plus,q̃ sit legitima unius ex filiis primi matrimonii,nec plus isto casu mulier prædicta possit secundo uiro in eius ultima uoluntate relinquere in præiudicium filiorum, nepotum,uel neptum primi matrimonii. Reliquum uerò dotis,& cuncti restituere pęnitus teneatur,nõ obstante quocunque pacto inter eos conuento. Et præsenti statuto nullatenus renunciari, seu contrafieri ualeat, etiam si iuramentum apponatur. Quod si secus fieret,non teneat ullo modo. Si autem uxor,relictis liberis communibus,prędecesserit,ipse uir de dote,& cuncto nil restituere teneatur,& sint,& esse debeant filiorum communium; quocunque pacto in instrumento dotali apposito non obstante,iuramento quoque uallato. Vbi uero mulier mortem obierit,relictis filiis ex utroque matrimonio, uidelicet priori,& posteriori,ipsius dos, & cuncium præcedentis, & sequentis matrimonii æqualiter inter filios masculos diuidatur,& distribuatur pro uirili, ita q; nepotes ex uno filio omnes subintrēt personam patris pro patris portione, nec mater possit filiis unius matrimonii plus relinquere, q̃ aliis alterius matrimonii. Filiæ autem fœminæ si fuerint dotatæ,uel habeant unde dotentur,stent

tacitæ & sua dote contentæ. De bonis autem non dotalibus, sed quæ aliunde prouene-runt, possit mulier disponere, seruata tamen forma super ultimis uoluntatibus testantiũ tradita. Liceat uerò eidem mulieri in dictis duobus casibus, uidelicet quando ex altero dumtaxat, uel utroque matrimonio liberi sibi supersint, de dicta dote, & cuncto de quarta parte pro ipsius anima disponere pro libito uoluntatis: non obstante quocunque pacto in dotali instrumento apposito, aut etiam donatione propter nuptias, quæ tali dispositio ni non ualeat præiudicare ullo modo. Dissoluto autem matrimonio morte uiri, mulier lu perlucretur libram unam denariorum de bonis mariti pro quolibet floreno dotis consti-tutæ, & solutæ, promissæ, uel confessatæ. Et si filii communes remanserint post mortem uiri, tunc mulier uigore donationis propter nuptias nil petere possit, sed remaneat penès præfatos filios; quibus non extantibus, præfatum pactum donationis locum habeat, & mulier petere possit. Et quando uxor nondum ducta ad domum uiri sui ante matrimo-nium per carnalem copulam consumatum decederet, ut supra: uestes, annuli, iocalia, & munera quæcunque, quæ maritus Sponsæ suæ, aut suæ futuræ uxori transmisisset, ea om nia quocunque titulo transmissa pro sponsalibus factis, uel faciendis commodata intelli-gantur ipsi Sponsæ, seu uxori per suum Sponsum gratia ipsius Sponsi auctoritate præ-sentis statuti: & ad omnia, & singula ea restituenda hæredes Sponsæ, quæ recepisset, res, (ut supra) uel rerum prædictarum possessores uel detentores sine strepitu, & figura iudi cii, facti ueritate inspecta, compellantur Sponso ipsius Sponsæ prædefunctæ restituere integraliter. Et si quid immobiliũ, uel rerũ dotalium per maritos, uel alios attinentes ma riti, & quascunque alias personas subpignoratum fuerit, penitus consumptum, uel quo-modolibet alienatum in præiudicium uxorum prædictarum, id totum integrum restitui debeat uxoribus prędictis, uel eius ualor. adeò quod uxores, & mulieres prędictę dotes suas rehabeant integras, & illæsas, præter id, quod usu consumaretur. Et quod dictæ mulieres, uel ius habentes teneantur ex forma pręsentis statuti recipere res immobiles, & res in dotem datas pro eadem extimatione, qua dictæ res fuerint extimatæ tempore datæ dotis; non obstante, quod per usum, aut alio modo fuerint in aliquo attritæ, uel deterioratæ.

De restitutione dotis. Rub. LXVI.

SOLVTO Matrimonio morte uiri, libera conceditur facultas mulieribus ad secũ da uota transire, Apostolo testante, Mortuo uiro, nubat in Domino: sanctius est enim nubere, quàm uri. Propterea, ne libertas prædicta tollatur ob difficilem dotis exactionem, de-cernimus, ut elapso anno à die mortis uiri computando, dos ab hęredibus uiri unà cum lucro sibi à statuto delato mulieri omninò restituatur, si in pecunia, mobilibus, uel se mo-uentibus: sin autem in immobilibus, in continenti restituatur, ad idque à Rectore, uel Iu dice simpliciter, & de plano compellantur. Quo anno durante, debeat ipsa mulier ali, seu nutriri de bonis uiri prędefuncti, ea existente in uiduitate: operas tamen suas pro perso-narum, & familiarum conditione communicando. Et si unà cum hęredibus in domo uiri ex aliqua rationabili causa moram trahere noluerit, uel cum honestate non potuerit, ali-menta sibi Iudicis arbitrio decernantur præstanda, donec restitutio dotis cum effectu fue rit facta. Si uerò alteri restitutio fieri deberet, hæredes mariti teneantur restituere eisdem terminis, quibus receperunt. Eodem iure, & priuilegio gaudeant, si filii communes hęre-des remanserint, & matri dos restitui deberet, ne propter dictam restitutionem depaupe-rentur. Et si pater per aliquod temporis spatium sine dote onera matrimonii sustinuerit, ęquum est, ut filii dote fruantur, & cum eorum commodo post mortem patris restituãr. Insuper uxor, uel alii, quibus fieri oportet dicta restitutio, possit, si uoluerit, accipere uestes pretiosas, & adornatum dictarum mulierum factas, pro pretio tempore restitutionis per duos probos uiros communiter eligendos declarãdo: nec possit dicta mulier lucrari, uel retinere aliquam uestem nuptialem, uel aliam quamcunque ad sui usum factam, quàm uiuente

uiro

uiro habuerit, uel in dorso portauerit, seu in morte, uel propter mortem uiri portauerit, uel lacerauerit. Teneantur autem hæredes mariti dictam uxorem ueste, et pannis lugubri bus condecentibus tempore quo remanserit uidua. Adiicientes, q; cunctum, quod ultra dotem deberet restitui, siue extimatum, siue inextimatum, non possit repeti, quo ad rem, uel extimationem, nisi dumtaxat illud, quod extabit tempore mortis uiri; non obstanti bus quibuscunque.

De donationibus. Rub. LXVII.

DONATIONES, & alienationes rerum immobilium dolo, & fraude animo delinquendi, & quandoq; à simplici, & rudi persona, ac per uim, & metum, uel blandis uerbis fieri sæpe sæpius compertum est. Volentes igitur huic morbo congruam adhibere medelam, statuimus, & ordinamus, ut nemo de dicta Terra Sancti Elpidii, uel in ea habitans possit quo quo modo, uel prætextu alicui donationem facere de re mobili, uel immobili absque licentia, & decreto Iudicis, uel Rectoris, ac interueniento duorum proximiorum consanguineorum, siue affinium, in defectum, & innouatione, si rerum mobilium fuerit cuiuscunque ualoris: immobilium uero excedentium summam quinquaginta florenorum. Et si eidem, uel patri, & filius fuerint plures donationes factæ sine solennitatibus præmissis, accumulentur infra dictam quantitatem, ad inducendum fraudem. Quòd si secus factum fuerit, donatio non ualeat ullo modo, & res donata remaneat pro ximioribus consanguineis usq; in tertium gradum; quibus deficientibus, remaneat Communi dictæ Terræ pleno iure.

De testamentis, & ultimis uoluntatibus. Rub. LXVIII.

NE tot, & tantæ ultimarum uoluntatum solennitates per Legumlatores excogitatę subuertantur, & ad obuiandũ fraudibus, quæ in huiusmodi ultimis dispositionibus committi solent: illorum igitur exemplo hominum malitiis obuiare cupiẽtes, hac perpetuò lege ualitura sancimus, q. in testamentis septẽ testes idonei adhibeantur saltẽ uocati, & à testatore ipso specialiter rogati, inter quos Religiosi quoq;, & Clerici adhiberi ualeãt. Et quoniam à sacris Canonibus adinuentũ reperitur, duos testes unà cũ Presbitero parochiali sufficere, & inter Doctores maxima fuit disputatio, an quatuor sufficerent, Nos hanc ambiguitatem de medio tollere cupientes, & eò præsertim, q; hodie Sacerdotes parochiales curam eisdem cõmissam ut plurimum derelinquere, uel saltem negligenter circa ea se habere solent, qua de re periculosum est testamenta cum iam dicta solennitate fieri: ideò statuimus, q; (etiam q; Parochialis interueniret) nihilominus septem testes requirantur. Volumus quoque, q; testator ipse cognoscat testes, & eorum quemlibet nomine proprio uocet: nec ualeat ultima dispositio, nec per testes possit releuari, nisi in continenti fiat examen, citatis uenientibus ab intestato, ne ipsi hæreditate indebitè priuentur, aliàs nullum sit, & res ab intestato deducatur. Item si quis filio suo, uel filiis, uel aliis descendentibus, seu etiam ascendentibus, quibus de iure communi institutionis iure relinquendum est, in dicto testamento relictum sit, quouis relicti titulo omisso iure institutionis, nihilominus tale testamentum ualeat, & teneat, nec eo prætextu irritari, aut inualidari ualeat quo quo modo, sed si minus legitima relictum sit, agi possit ad suplementum. In alia autem qualibet ultima uoluntate quinque testes requirantur, nec minor numerus sufficiat, & Notarius de ea rogetur, & ab ipso testatore omnia exprimantur, & ad interrogationem aliorum factam, nisi testator proprio ore expresserit, exequi nullo modo ualeant, nec debeant, nec satis erit, q; per uerba sic, uel non, seu q; nutu uoluntas ipsius testatoris demonstretur: cùm in mortis articulo constitutis alibi mentem habentibus, contra uerã eorum intentionem scriptum fuisse multoties compertum sit. Insuper statuimus, q. si quis

propria manu testamentum, codicillos, donationem causa mortis, uel aliam quamcunque ultimam uoluntatem scripserit, & trium testium subscriptione notari fecerit, quàmuis alias solennitates, neque etiam substantialitates legitimas habeat, neque hæredis institutionem contineat, plenissimè nihilominus ualeat, & teneat, & executioni mandetur secundum eius continentiam, & tenorem. Et tale testamentum præualeat cuilibet alteri prius facto, quantumcunque etiam solenni iuramento uallato, siue etiam derogatoria uerba continenti: dumodo Iudici constet uel per testes, seu per literarum comparationem, uel idoneam probationem, q; testamentum, codicillum, donatio causa mortis, uel quæcunque alia ultima uoluntas prædicta scriptum, uel scripta fuerit manu sic testantis, codicillantis, aut aliam quamcunque ultimam uoluntatem condentis; cuius quidem rei fidem, & probationem Iudex ex suo officio sine ordine, & alia solennitate recipere ualeat, sola ueritate attenta. Et quia à legibus concessa est parentibus pro masculis liberis in eorum potestate, & in pupillari ętate constitutis facultas testamenta condendi, sed diu dubitatum est, an per eam mater à luctuosa filii hæreditate excludatur, maximè in pupillari, in breuiloqua, seu compendiosè compræhensa: Nos uiam litibus adimere uolẽtes, hac in perpetuum ualitura lege sancimus, & ordinamus, q; si substituti sunt de aliis liberis, seu de fratribus defuncti ex fratre, seu alii de agnatione usque in tertium gradum, aut nepotibus, seu aliis personis, per quas ab intestato mater excluderetur, prout in sequenti statuto, q; per talem pupillarem compræhensam incompendiosa omninò mater exclusa fauore illorum de agnatione intelligatur, ut bona in ea conseruentur. Si autem alii fuerint substituti, eo casu legitima matri deferatur, à qua etiam expresse per testatorem priuari non possit. Addentes huic eodem statuto, q; in testamentis minorum uiginti annis necessaria sit pręsentia duorum consanguineorum, unius ex latere patris, alterius uerò ex latere matris existentium, seu saltem affinium, & in defectum, uicinorum proximiorum, aliàs testamentum sit nullum.

De legatis ad pias causas factis. Rub. LXIX.

VOLVNTAS Testatoris pro lege haberi debet. Statuimus ergo, ut Rector, uel Iudex legata, uel relicta Ecclesiis, uel aliis Piis locis, aut cuicunque personæ, de quibus constat manu notarii publici, uel relinquentis, seu disponentis in ultima uoluntate ad pias causas, ut præfertur, etiam si talis ultima uoluntas neque testibus subscriptis, neque aliis adminiculis fulta sit: dum tamen constet, talem scripturam manu relinquentis esse scriptam, & conditam eo modo, & forma, quibus supra in titulo de testamentis, & ultimis uoluntatibus, circa fidem adhibendam, q; ultima uoluntas sit manus ipsius testatoris ordinantis, seu condentis, teneatur, & debeat executioni demandare, & solui facere intra decem dies continuos à die producti instrumenti, & requisitionis factæ numerandos, nisi legitima defensio allegaretur, & probaretur infra quinque dies, & non ultra. Vbi uerò neque manu publici tabellionis, neque ipsius relinquentis, sed aliter de talibus legatis, uel relictis constet, seu constare dicatur, causa super inde mouenda intra quindecim dies continuos terminetur omninò, quibuscunque solennitatibus iuris, & statutis omissis. Idq; etiam in omnibus, & per omnia in relictis ad ædificationem, uel reparationem pontium seruari uolumus.

De adeunda, uel repudianda hæreditate, & de tempore dato ad repudiandum. Rub. LXX.

QVIA summopere sacratissimæ Leges prouiderunt, ut defunctorum uoluntates suũ effectum sortirẽtur, & ne diu in suspenso essent in creditorũ, & aliorum, quorũ interest, detrimentũ, hac nostra cõstitutione decreuimus, q; ubi alicui delata est hæreditas ex testa-

ex testamēto,& ille se institutū,& testatorem defunctū sciat, teneatur adire, uel repudiare eam infra annum,& interim sibi censeatur datū tempus ad deliberandū,nec possit,dicto tempore durante, aliquo pacto se in administratione bonorū hæreditatis prædictæ inmiscere,sed per D.Potestatem curator detur hęreditati iacēti, qui onus suscipere debeat administrationis,facto per eum inuentario. Elapso uerò anno,& non declarante animū adire nelle,& nō adeundo,iudicandū erit repudiasse. Et si alius nō erit scriptus hæres, uenienti ab intestato deferatur: saluis manentibus legatis,et aliis dispositionibus in testamēto factis. Et si quis adierit cum beneficio legis,& inuentarii,& confecerit inuentariū,& hęreditas damnosa sit ob legata,& alia in testamento relicta,& fideicommissa,liceat ei quartam trebelleanicam,uel falcidiam retinere,ac si in ipso testamento hæres esset scriptus,& sicuti dicto hæredi scripto retentio daretur,& durante anno dato ad deliberandum, nō possint hæreditaria bona ab aliquo creditore ex qualibet causa capi,& ex eis exequi. Si autē hęres fuerit ab intestato,annum eidem pariter indulgemus ad adeundum,uel deliberādum: & repudiasse intelligatur in dicto termino tacitè per inmissionē, uel expressè animū suum declarando,adiuisse manifestè constabit; & dicto anno elapso à die notitiæ,sibi esse delatam,& nō aditam,sequens in gradu admittatur. Si uerò sibi delatam fuisse hæreditatem ignorauerit,non excludatur,nisi spatio uiginti annorū; quo tempore elapso,omnis actio sibi quo quo modo competens intelligatur penitus sublata; & scientia præsumatur, ubi quis in hac Terra publicè,& palàm pro mortuo habetur,& ille,qui proximiorem se prętendebat, quasi continuò in dicta Terra permanserit: quocunque non obstante.

Quòd liceat fideicommissariis uendere bona defuncti pro executione testamenti. Rub. LXXI.

STATVIMVS insuper, ut defunctorum uoluntates executioni demandentur ab illis, quorum diligentiam, & fidem testator sequutus est: licere fideicommissariis pro exequenda uoluntate testant's uendere bona defuncti bona fide, & sine fraude, etiā inuito, & contradicente hærede, seu bonorum possessore, uel alia persona, quæ ab intestato succederet; dumodo (quando hæc fiunt contradicentibus,uel inuitis hæredibus, & successoribus prædictis) fiant de scientia,uoluntate,& licentia Rectoris,uel Iudicis,& requisitis consanguineis proximioribus personæ defunctæ,uel hęredum,saltim quatuor,si extiterint,si uelint emere talem rem uenalē iusto precio, & bona fide pro executione prædicta cum termino arbitrio Iudicis assignando. Qui Rector,& sui Officiales teneantur cogere Notarium ad exhibendum scripturam cuiuslibet ultimæ uoluntatis,& copiā tradere in totum,uel in partem,prout requirēti expedierit,soluta competenti mercede,iuxtà formam statutorum, & idem, si scriptura alicuius ultimæ uoluntatis penès aliam personam reperiretur,illam exhibere,& copiam facere, cuius interest, remediis oportunis, etiā mulcta indicta compellatur: contrariis non obstantibus quibuscunque.

De successionibus ab intestato. Rub. LXXII.

QVONIAM per masculinum sexum domus,& familiæ nominātur,hac nostra ędictali lege ppetuò ualitura sancimus, ꝙ si aliquis,uel aliqua decesserit ab intestato, superstitibus post se filio,uel filiis natis, uel in utero existentibus masculis legitimis,& naturalibus,ii superstites taliter defunctis uniuersaliter succedant,pęnitus exclusis filia,& filiabus natis,seu nascituris dotatis, & non dotatis, & etiam descendentibus ab ipsis, siue masculis,siue fœminis,etiam ꝙ fœminæ essent ex filio,uel filiis,nepote,& nepotibus,pronepotibus masculis, & in infinitum cuiuscunque numeri, gradus, conditionis, ordinis, & professionis fuerint,ab omni prorsus successione,& legitimę portione,debitis iure naturæ,pro uitæ subsidio,uel quocunque alio nomine,& titulo,durante generatione masculina,educandis tamen,alimentandis,& dotādis temporibus, & modis inferius descriptis. Et prædictarum fęminarum exclusionem eandē uolumus locum sibi uendicare,si super-

fuerint nepos, uel nepotes, pronepos, uel pronepotes quocumque ex nepote, & nepotibus ex filio, & filiis natis, & deinceps in infinitum: saluo tamē inter ipsos masculos iure subintrandi in loca, & partes prædefunctorum, & mortuorū, uel per stipites, uel per capita: in quibus casibus dispositio iuris cōis inmutata remaneat: & semper repetitis in quolibet gradu, & in qualibet persona antedictis masculinitatis, legitimitatis, & naturalitatis qualitatibus. Dictas autē fœminas dotatas, seu dotādas à patre, matre, auo, auia paterna, seu materna, fratre, uel fratribus, uel ab aliquo descendētium masculorum prædictorū inhabilitamus ab omniū, & singulorum, tam masculorū, q̄ fœminarum descendentiū, & ascendentiū successione, etiam decedentiū post mortem personarū, de quorum bonis dotatæ fuerunt, uel dotandę sunt, perinde ac si cuiuslibet personarū memoratarum bonis dotatę essent, donec superesit aliquis masculorū pręfatorum, non possit ad alicuius pręfatarū personarum successionē aspirare: dummodo in succedendo matri, quę plures habuerit uiros, in bonis, quę illi obuenerunt ab aliquo maritorū prędictorū, uel illius matrimonii occasione, siue per successionis, siue conuentionis modum, filii eiusdē matrimonii succedant, etiā si essēt solę filię ex illo matrimonio, & filii masculi ex aliis matrimoniis. Et prædicta dispositio habeat locū etiā in patribus, qui plures uxores habuerint. In bonorū dotaliū uerò diuisione, & successione masculis (ut supra) deferenda iura cōia obseruentur: cui matri decedenti sine descendentibus ex ea masculis, per masculos (ut supra) filia ex filio, & descendētes ex ipsis succedant, nulla habita consideratione præmissæ constitutionis. Filias autē, & descendentes fęminas, ut supra exclusas, uolumus honorificè, honestè, & condignè educari, alimentari, & de bonis personarum, è quarū hæreditate exclusimus, temporibus debitis per illos, qui excluserunt, & ipsorū successores secundū consuetudinē nostrę Terrę, ut qualitas familiarū, parentū gradus, patrimonii quantitas, consuetudo domus expostulāt, maritari, & dotari. Qui uiri si fuerint negligentes in maritādo, & dotando, & maritāda excesserit suę ętatis annū uigesimū innupta, possint duo proximiores, siue ex latere patris, siue matris, siue utrinque ipsam maritare de bonis, unde fuerunt exclusæ, iuxtà considerationes prædictas. Quę bona pręsentis statuti uigore censeantur ipso iure hypothecata, & oneri prædicto obnoxia. Non existēntibus autē prędictis in cōcordia, eligatur per D D. Priores tertius, qui cū duobus discordantibus cū omni diligenti consideratione citius, secretius, & modestius q̄ fieri poterit curēt, ut maritetur, & dotetur. Et quilibet coniunctus possit ad effectū prædictū comparere, donec dicta doranda, & maritāda fuerit maritata, & dotata. Descendentibus autē masculis prędictis, non extantibus, uel renuētibus pater, & auus paternus, & per lineā superiorem directā masculi ascendentes admittātur: salua gradus pręrogatiua sine pręiudicio dotationū faciendarū, ut supra. Deficientibus autē masculis prędictis, quorū fauore fęminas præfatas exclusimus, easdem, & ipsarū descendentes masculos, & fęminas in omnibus iuribus, & ad omnē successionē, unde fuerunt exclusæ, restituimus, & reintegramus: nulla temporis præscriptione, seu quietatione obstāte. Si uerò nec ascendentes, nec descendentes masculi de masculis, ut supra memorati superfuerint, sed filia, uel filię, uel neptes ex filiis masculis, & frater, uel fratres germani carnales utrinque, uel ex patre tantùm coniuncti defuncto cōcurrant ęqualiter per capita in successione, ultra dotes datas, seu dādas (ut supra) dictis filiabus, & neptibus, & filii fratrū prędictorū in loca, & partes patruū suorū, ipsis nō extantibus, admittantur. Reseruato semper iure reintegrationis prędictis filiabus, & neptibus, & descēdētibus, fęminis exclusis in portionibus antedictis, ad quas, & patrui, & filii patruorū suorū fuerunt admissi, etiā extantibus filiabus fœminis ex prędictis patruis, & filiis patruorū. Mater autē, cui pater deficientiū filiorū, seu filiarū aliquid testamento reliquit, illo debeat esse contenta, ab omni prorsus successione decedētium liberorū exclusa, si ad alia transierit uota, siue antea, siue post obitū filiorū. Si uerò uiduitatē seruauerit, succedat in medietate legitimę portionis sibi debitę, & in bonis defuncti filii ex dicto matrimonio, in quo uiduitatē seruauerit, cōputato tamen dicto credito mariti in dicta medietate legitimę. Et intelligatur intestatus, uel intestabilis decedere in omni-

Aduerte, quòd ista particula, quæ incipit, Si verò nec ascendentes, nec descendentes, *vsque ad versiculum,* Mater autem, *exclusiuè, est correcta per nouam reformationem, de qua videas in fine præsentis voluminis statutorū.*

in omnibus casibus pręmissis, siue minor, & intestabilis decedat, siue maior iure cōmuni: statutis, decretis, reformationibus, & aliis quibuscunq; in contrarium non obstantibus.

De modo, & forma contrahendi cum Hebræis, & solennitatibus adhibendis. Rub. LXXIII.

CVM satis compertum sit, multas familias huius nostræ Terræ, etiam opulentissimas Hebręorum uoragine paupertimas deuenisse: iccircò huic morbo medelam salubrem adhibere uolentes, & ne uersutia huic genti Christianę Religioni inimicæ quotidie Christiani fallantur, & decipiantur: Sancimus, q; nemo ex hac nostra Terra Sancti Elpidii cum pręfatis Hebręis aliquem contractum facere posit, tam nomine suo pro se, q̄ etiam se ipsum pro alio in solidum obligando, seu ut fideiussor, aut expromissor, & quocunque alio obligationis titulo cum Hebræo, uel alia quacunq; persona usuraria, nisi in dicto instrumento fuerint adhibitæ omnes solennitates requisitæ in contractibus Minorum à statuto suprascripto ędito, aliàs omnis contractus contra dispositionem pręsentis nostri statuti celebratus ipso iure nullus sit, & inualidus, & præsumatur per dolum, & fraudem extortus, & iuramentum in eo appositum reputetur dolosum, & per fallaciam, & circunuentionem ipsius Hebræi extortum. Et ideò declaramus, & uolumus, ei (tanquàm inualido) nullam adhiberi fidem, & Hebræum, uel personam usurariam ex eo non iuuari. Addentes, q; si aliquis fideiussionem fecerit alicui forensi pecunias accipienti ad usuram ab Hebræis, ultra nullitatem dictæ promissionis, sine solennitatibus præfatis, si sine consensu Concilii, incidat in pœnam centum librarum denariorum de facto ab eo exigendarum, nisi ex causa euidentissima pro aliquo consanguineo, seu affine usq; in secundum gradum consanguinitatis, uel affinitatis se obligauerit; quo casu sufficiat licentiam habere à Mag. D. Prioribus pro tempore existentibus: seruatis aliis solennitatibus, de quibus supra.

De precio statim soluendo, ubi non fuerit terminus statutus. Rub. LXXIIII.

STATVIMVS, & ordinamus, q; in emptione cuiuscunque rei, si non fuerit terminus constitutus de precio soluendo, intelligatur statim solutio facienda de precio per emptorem. Et Rector, siue Iudex teneatur eam statim fieri facere ab emptore, si alicui eorum à uenditore quærimonia moueretur. Si uerò emptor non solueret ad mandatum Iudicis precium debitum, rem ipsam emptam sine deterioratione aliqua restituere teneatur, si uenditor eam uoluerit. Quòd si res uendita tradita non fuerit, uenditor tunc possit eam alteri uendere, siue emptor sit soluendo, siue non, si uenditor ipse uoluerit; & nihilominus emptor teneatur uenditori ad damna, expensas, & interesse.

De precio Vini, & Olei soluendo infra uiginti dies ad plus à die datæ arrę numerandos. Rub. LXXV.

FIRMITER statuimus, & ordinamus, q; quilibet, qui ab aliquo Vinum, uel Oleum emerit, & arram dederit dicto uenditori, teneatur ipse emptor, & debeat, antequàm Vinum, uel Oleum detur eidem emptori, infra uiginti dies ad plus à die emptionis numerandos dicto uenditori precium soluere in pecunia numerata, nisi aliter conuentum fuerit inter partes: & elapso dicto termino, uenditor sua auctoritate, & sine requisitione facienda dicti emptoris Vinum, uel Oleum uendere possit alteri: necnon ipse emptor teneatur satisfacere, & resarcire dicto uenditori damna, expensas, & interesse, quæ, & quas sustinuerit dicta de causa, & arram datam uenditori reddere non teneatur auctoritate præsentis huius nostri statuti.

De credendo illis, qui conduxerint operarios, pro quota parte diei defecerint in laborando. Rub. LXXVI.

ORDINAMVS, (ad communem utilitatem Hominum dictę Terræ, districtus, & habitatorum: & ad corrigendum etiam malitiam Laborarorum, & Operariorum) q. si quis miserit, uel mitti fecerit aliquos Laboratores, & Operarios ad eius possessiones laborãdum, & prędicti Laboratores, & Operarii occasione pluuię, siue propter ludum inter eos factum, uel qualemcunque aliam causam perdiderint operam, credatur de perditione dictæ operę sacramento domini, famuli, & factoris, laboratoris uineę, uel alterius possessionis cuiuscunque, pro quota parte diei ipsius perdiderint operam, & non sit solutum eis, nec soluatur, nisi pro rata diei, qua laborauerint.

De rebus publicè emptis. Rub. LXXVII.

SI Quis publicè, & palàm de die, & in loco non suspecto rem aliquã mobilem ab aliquo emerit, & precium se soluisse eius sacramento asseruerit, atque probauerit, iurauerit q; ignorasse talẽ rem furto fuisse subtractã, si de hoc dubitetur: licèt talis res ab emptore euincatur, nihilominus precium non perdat, sed illud per euincentem restituatur sibi. Si quis uerò rem mobilem quamcunque ab armigeris, seu stipendiariis, pyratis, seu corsariis, uel aliis personis suspectis emerit, & compareret fortè aliquis, qui esset dominus, & patronus dictæ rei: tunc emptor dictę rei teneatur restituere dictam rem, non restituto sibi aliter precio soluto, nisi emptor fuerit uir probus, bonæ conditionis, & famæ. & coràm testibus protestatus fuerit, se dictam rem emere ad instantiam ueri domini, si quis fortè unquam reperiatur.

De arboribus stantibus in possesione aliena, & de arboribus impedimentum uicino præstantibus. Rub. LXXVIII.

STATVIMVS, q. si quis arborem in alieno solo habuerit, teneatur ipsam arborem uendere domino soli, seu possessionis, & ille è conuerso emere teneatur iusto precio per duos uicinos concorditer eligendos declarando. Item si quis arborem supra uicini solum umbram, seu impedimentum uicino præstantem habuerit, uel ramos pendentes supra dictum solum uicini, teneatur ipsam arborem remundare altius per quindecim pedes à solo, & ramos pendentes ut supra incidere, ne impedimentum uicino præstent, infra decẽ dies computandos à die requisitionis factæ coràm Iudice; quibus elapsis, possit uicinus recipiens impedimentum remundare, & incidere absque alicuius Iudicis licentia. Et idem intelligatur de arbore in confinio posita, uel supra uiam, uicino, uel alteri impedimentum præstante.

De muris communibus reficiendis. Rub. LXXIX.

AD euitandum periculum ignis, ordinamus, q. si quis iuxtà domum sui uicini habuerit domum suam clausam inter se, & uicinum prædictum, de assibus, uel cannis, uineis, & similibus, & aliquis ipsorum uoluerit facere murum inter ipsos, teneatur alter uicinus ad requisitionem cupientis murum facere intra mensem post requisitionem murum facere, seu fieri facere altum, quantum expedierit, expensis communibus. Quòd si uicinus requisitus neglexerit, uel noluerit murum facere: tunc cupiens murum facere si suis sumptibus propriis talem murum fecerit, seu fieri fecerit, & intra tres menses partem expensarum dictum negligentem, seu nolentem tangentem non refecerit idem negligens, tunc talis murus sit, & esse debeat proprius ipsius reficientis, nec alter cõuicinus aliquod ius ha-

ius habeat trabes in eo inmittendi,appodiandi, uel quicquam aliud faciendi,sed(ut præfertur) sit dicti reficientis pleno iure. Idem dicimus in omnibus, & per omnia in omnibus cōnicinis habentibus muros communes cum suis conuicinis refectione indigentes, nisi conuicinus requisitus esset adeò pauper,q; non posset contribuere: quo casu ad refectionem,ut supra,minimè teneatur. Et de paupertate huiusmodi Iudicis arbitrio stetur.

De redhibitoria actione. Rub. LXXX.

VT fallaciis ueditorum occurratur,& emptoribus succurratur,ordinamus,q; si quis emerit bouem, bubalum, uel aliud animal aratorium in Terra, & territorio nostro, uel alibi inter terrigenas emptores, liberum habeant arbitrium,& facultatem dicta animalia experiendi infra octo dies, si fuerint nec ne apta, & utilia ad arandum. Et si infra dictos octo dies dicta animalia,uel eorum aliquod morbosa, infirma, uel uitium aliquod habere apparuerint,uel non essent utilia,& perfecta ad arandum: liceat ipsi emptori dictum animal restituere uenditori,& precium, seu arram,quam dederit,recipere: & teneatur emptor infra eundem diem: uel sequentem,quo dictum animal morbosum,uitiosum,ad arandum inutile appareuerit,ipsi emptori si inueniri poterit,notificare,aliàs ad domum eius solitæ habitationis. Et hoc locum habeat,si contrahentes sint de hac Terra: si uerò alter,uel ambo forenses essent,tunc emptor prædictus teneatur notificare quàm citius potuerit,uel ipsum animal reducere ad uenditorem,uel eius habitationem, nisi iustè fuerit impeditus. Et si infra dictum tempus animal mori contigerit,nō teneatur emptor ad precii solutionem: quin imò uenditor,si precium sibi solutum fuerit in totum, uel in partem,restituere teneatur: non obstante aliqua renunciatione inter ipsos contrahentes facta quibuscunque uerbis, uel modis: & nihilominus uenditio aliter facta de prædictis nullo modo ualeat,& teneat,& uenditor insuper,qui deceptoriè animal uendiderit, in pœnam decem librarum deñ. condemnetur: & Rector,seu Iudex teneatur,& debeat summariè,de plano,sine strepitu,& figura iudicii lites,& controuersias in præmissis,& circa præmissa occurrentes decidere,& terminare,uinculo iuramenti,& pœna decem librarum denariorum de suo salario retinendarum. Declarantes,idem per omnia intelligi debere de Mulis,Equis,& Asinis,& his similibus.

De legitima petenda à Filiis. Rub. LXXXI.

NE Filii,& quibus legitima debetur,ea defraudari possint,hac lege firmamus,licere filiis,& nepotibus,& hæredibus ipsorum liberè petere legitimam eis debitam iure naturæ à parentibus,Auis,uel aliis,à quibus dicta legitima debetur; non obstantibus uenditione,donatione,alienatione,concessione, & aliis quibuscunque contractibus antea ab eis de bonis prædictorum factis in præiuditium dictorum filiorum,nepotum,uel aliorũ, quibus prædicta legitima(ut dictum est)debeatur. Et hæc locum habeant in præteritis, præsentibus,& futuris: contrariis non obstantiaus quibuscunque.

Quòd Mulier nō cogatur ire ad Palatiũ ꝓ testimonio perhibeñ. Rub. LXXXII.

HONESTAS non patitur, Mulieres in iudicio, uel in loco residentiæ publicorum Officialium, nec alibi,ubi infamia,uel sinistra suspitio contra ipsas oriri posset, comparere pro testimonio perhibendo. Sed ubi opus fuerit pro ueritatis testimonio perhibendo, solùm teneãtur se personaliter presentare in Ecclesia magis proxima domui dictæ mulieris sumptibus,& expensis producentis. Et Rector,& sui Officiales contrafacientes incidant in pœnam uigintiquinq; librarum denariorum pro quolibet,& uice qualibet de eorum salario retinendarum.

De excussionibus. Rub. LXXXIII.

SI in aliqua causa, differentia, uel controuersia de iure deberet, uel desideraretur fieri excussionem, modo hoc procedatur, uidelicet quod citato cuius interest secundum formam supra traditam de citationibus, Iudex, uel Rector ad requisitionem petentis excussionem fieri de bonis, uel personis committat Bayulo Communis, ut uadat, & diligenter inuestiget, & requirat pro dictis bonis, uel personis excutiendis per hanc Terram, & eius districtum: qui si retulerit, diligenter pro dictis bonis, & personis inuestigasse, & perquisiuisse in dicta Terra, & eius districtu, & ea, seu eas non inuenisse, dictæ relationi plena fides adhibeatur, & talis excussio habeatur pro uera, & legitima excussione: quibuscunque iuribus in contrarium disponentibus non obstantibus.

De administratione bonorum absentis, uel illius, qui diceretur esse mortuus. Rub. LXXXIIII.

ABSENTIS à dicta Terra Sancti Elpidii, & eius districtu, uel illius, qui diceretur mortuus esse, bona administrentur, & debita exigantur ab eis, quibus hęreditas prædictorum deberetur, si uere essent defuncti, uel mortui, præstita tamen prius idonea satisdatione cum solenni promissione coram Rectore dictæ Terræ de reddendo plenariam rationem cum reliquis dicto absenti, uel asserto mortuo, uel alii personæ, cuius interest, seu interesse quomodolibet in futurum poterit: & per tales administratores infra decem dies à die satisdationis, & promissionis computandos fiat solenne inuentarium de dictis bonis, & iuribus, aliàs ab administratione prædicta sint ipso iure remoti, & ad eandē amplius non admittantur: dictusq; administrator, qui confecerit inuentarium prędictū, possit exercere in iudicio, & extra quascunque actiones dicto absenti, uel pro mortuo habito competentes, sicut fieret per tutorem, uel curatorem. Declaramus insuper prædicta non habere locum in nō habentibus tutorem, curatorem, uel legitimū administratorem.

De Feriis, & diebus feriatis. Rub. LXXXV.

IVRE Ciuili cautum reperitur, diebus festiuis in honorem Dei, & Sāctorum, & aliis quibusdam certis temporibus ad hominum commoditates à Iudiciis, præsertim Ciuilibus Homines abstinere debere. Propterea statuimus, infrascriptis diebus ad iudiciū uenire neminem compellendum esse, sicuti in omnibus diebus Dominicis, & in diebus festiuitatum D. N. IESV CHRISTI, uidelicet die Natiuitatis Domini cum tribus diebus præcedentibus, & septem sequentibus, die calen. Ianuarii, die Epiphanię, in festo Paschatis Resurrectionis cum septem præcedentibus, & totidem sequentibus, die Ascensionis Domini, die Pentecostes cum duobus sequētibus, die Sacratissimi Corporis Christi, diebus festiuitatum Virginis, uidelicet Assumptionis, Natiuitatis, Cōceptionis, Purificationis, Annunciationis. Item omnium, & singulorum Apostolorum, & Euangelistarum, Sancti Ioannis Baptistæ, Sanctę Crucis, tam inuentionis, q̄ exaltationis, Sancti Michaelis Archangeli, Sancti Augustini, Sancti Francisci, Sancti Antonii, Sancti Elpidii de mense Maii, & Nouembris, quatuor Doctorum, Beati Laurentii, Sācti Nicholai, Sancti Martini, Sanctæ Catherinæ, Sanctæ Luciæ, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, die festi Omnium Sanctorum, & sequenti, quo celebratur officium Mortuorum, die Cinerū, diebus Rogationū, die Sancti Iosephi, & omnibus diebus, qui custodiri consueuerūt in hac nostra Terra, diebus Messium, & Vindemiarum, qui sint, & durent, ac incipiant, sicut, & prout Mag. D. Prioribus uidebitur, & placebit: diebus Nundinarum, uidelicet à Vigilia Diui Marci de mense Aprilis usque ad Vigiliam Ascensionis D. N. inclusiuè: die Emporii, siue Mercati, uidelicet die Mercurii: quocunque die, quo Concilium celebratur. Item omnibus

omnibus diebus,quibus ex probabili,& necessaria causa Feriæ repentinæ indicerētur:qui dies omnes sint feriati. In quibus quidem diebus, & temporibus, ut supra feriatis,nullus actus iudiciarius exerceri possit quo quo modo. Et si secus fieret, nullius sit roboris, uel momenti, & acta facta dictis temporibus sint ipso iure nulla, nisi de consensu partium aliud actum fuerit: exceptis casibus, & causis, in quibus expresse disponitur uigore statutorum posse procedi diebus feriatis,etiam in honorem Dei. Item exceptis causis,negociisq; criminalibus, super quibus procedi possit, ac sententiari,& diffiniri ualeat quibuscunque diebus, etiam feriatis in honorem Dei, nec possit contra processus cognitiones, uel sententias criminales occasione prædicta obiici, uel aliquid opponi, nec reclamari, uel de nullitate dici:exceptis etiam causis miserabilium personarum, Pupillorum, Viduarum, & Pauperum. Item de mercede famulorum, & mercenariorum,& aliarum personarum pro precio seruientium. Item causis forensium, siue lis foret inter eos, siue cum Ciuibus, & habitatoribus dictæ Terræ. Item de precio panis,& uini,uel alterius rei uenditæ pro cibo,& potu,siue in Hospitio, siue alibi. Item de alimentis præstandis cuicunq; personæ alimentandæ. Item relictorum ad pias causas, & omnium ad fauorem animæ tendentium, ac etiam ut Tutores, & Curatores dentur, uel remoueantur; & omnia,& singula permittantur, quæ a sacris Canonibus permissa reperiuntur. Quæ omnia a Rectore, uel Iudice, & eorum Officialibus obseruentur, ac obseruari debeant omnino,sub pœna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet ipsorum de facto auferendarũ in casu contrauentionis. Addentes,q; si ultima dies alicuius dilationis in causa ciuili esset feriata,cadat in proximã sequentem diem non feriatam; quibuscunq; non obstantibus.

De Procuratoribus in Ciuilibus admittendis. Rub. LXXXVI.

STATVIMVS, & ordinamus,q; in ciuilibus pro persona extranea, uel coniuncta quilibet agere possit cum mandato, dum tamen sit maior uiginti annis. Pro coniunctis autem usque ad quartum gradum ad agendum admittatur etiam mandatum non habens, cum cautione de rato; ad defendendum autem,cum mandato, & sine quilibet admittatur, ut iuris est,maior tamen quatuordecim annis: & nemo admittatur pro curator ad procurandum,qui non sit matriculatus; & acta, & agitata per procuratorem non matriculatum ipso iure sint, & intelligantur nulla, & procurator pro alio interueniens cum mandato speciali, uel generali ad causas, de quo facta fuerit fides per notariũ inde rogatum, qui dixerit se de illo esse rogatum, uel de quo constet per publicũ instrumentum scriptum manu publici notarii, mandatum idoneum, & sufficiens intelligatur habere quo ad causas, in quibus interuenerit, & constitutus fuerit, & in causis conuentionis, seu reconuentionis, & connexis, & dependentibus ab eisdem liberum,& generale cum plena, libera, & generali potestate, & administratione agendi, uel defendendi, & alia pertinentia ad agendũ,& defendendũ faciendum. his dumtaxat exceptis, ad quæ de iure expressum, & speciale mandatum requireretur; ad quæ dictum mandatum generale non se expressim extenderet, nisi in dicto mandato aliquæ ex prædictis, quæ mandatum exigerent speciale, forent expressa cum adiectione clausulæ generalis, post enumerationem certorum ex casibus specialibus appositis; quæ quidem clausula ad similia tãtum expressis porrigatur, & porrigi intelligatur: & qui mandatum idoneum(ut supra) habuerit, admittatur absque aliqua ratificatione principalis, quæ per aduersarium peti contingeret, per quam petitionem, seu exceptionem non retardetur processus in dictis casibus:& teneatur procurator cum mandato pro alio agens, uolens ad agendum admitti,copiam sui mandati,si a parte petatur, facere eius expensis,pro quo interuenerit,si pars ipsa contenta non fuerit, fide de eo per notarium facta: exceptis causis a quinque ducatis auri infra inclusiue, in quibus sola fides facta per notarium publicum sufficiat, cum promissione simplici de rato procuratoris interuenientis. Tutores autem Pupillorum,&

Curatores minorum, seu maiorum prodigorum, furiosorum, Vniuersitatum Syndici, Procuratores echonomi, & alii quilibet legitimi administratores quorumcunq;, qui pro se interuenire non possent, admittantur, si de eorum mandato fidem fecerint per notarium, qui de illo dixerit se esse rogatum ad plenum, uel per publicum instrumētum scriptum manu publici notarii, ac etiam inuentarii administrationis eorum per eos facti: de quo quidem fidem facere teneatur per notarium, ut supra, uel per publicum instrumentum, tam ad agendum, q̄ etiam ad defendendum, & loco ipsorum ad causas, seu causam eorum, quorum administrationem gerunt, omnes legitimam administrationem habentes procuratorem constituere possint, & ualeant, tam ante litem contestatam, q̄ post. Quorum quidem administratorum mandati copiam, si petita fuerit, pars petens suis expensis tollere teneatur, si de fide facta per notarium inde rogatum contenta non fuerit. Tutrices autem, seu Curatrices per se ipsas pro his, quorum administrationem gerūt, in iudicio agendo, seu conueniendo interuenire nō possint, sed procuratorem constituere teneantur, nisi in casibus, quibus de iure communi fœminæ pro aliis interuenire possint. & pronunciatione facta per Iudicem super mandatis, non audiatur ulterius nolens impugnare mandatum, sed facta, & actitata in eo iudicio teneant, & sortiantur eius effectum, ac si mandatum realiter habuisset quò ad fauorem eius, pro quo talis procuratorio nomine, seu alio quouis nomine interuenisset: quò autem ad damnum domini, & eius, pro quo quis interuenerit, prædicta pronunciatio, & actitata cum non habente mandatum, nullum sortiatur effectum, sed semper licitum sit domino, & ei, pro quo alius interuenerit, impugnare mandatum: non obstante pronunciatione prædicta, nisi is, pro quo, & cuius nomine interuentum fuerit in iudicio, existens maior uigintiquinque annis, & sui iuris fuerit, per se, & eius nomine agi in iudicio, uel defendi, & agentem, seu defendentem nomine suo passus fuerit, & à prædicta pronunciatione non reclamauerit: quo casu non audiatur uolens impugnare mandatum sed eius nomine actitata ualeant, & teneant, & plenum sortiantur effectum. Et inter alia intelligatur hoc sciuisse, & passum esse, si talis principalis responderit positionibus productis per procuratores partis aduersæ cum suo procuratore, quem ipse principalis modò negat. Et legitimatio mandatorū facta etiam inter easdem personas in una causa non prosit in alia, sed dumtaxat in causa principali, in qua pronunciatio facta fuerit, & in causis appellationum eiusdem. Et filius familias pro alio agere, & defendere possit, ac si foret sui iuris, etiam sine eius consensu, in cuius existeret potestate. Addentes, q; ex gestis in iudicio, agendo, uel conueniendo per procuratorem alterius mandatum agentem generaliter, uel specialiter, dominus obligetur, perinde ac si per ipsum egisset, seu conuentus fuisset, & pro procuratore suo in iudicio fideiussisset, seu promisiset, pro quo auctoritate præsentis statuti semper ex solo mādato fideiussisse intelligatur: & procurator ipse ad satisdandum in iudicio, & satisdationes iudiciales præstandum minimè teneatur, sed ad solùm nuda cautione promittendum in casibus, in quibus de iure promittere, & satisdare tenentur, nisi ab eadem nuda promissio ne per dominos constituentes fuerint per eorum promissionem, & fideiussoris dationem in instrumento eorum mandati totaliter releuati: & non possit, nec sufficiat mandatum probari, nisi per publicum instrumentum, aut fidem factam per notarium de dicta Terra, qui de mandato dixerit se esse rogatum ad plenum, ut superius est expressum, & nisi quatenus aliter sit de iure permissum.

De solutionibus patrociniorū Aduocatorū, & Procuratorū. Rub. LXXXVII.

QVoniam OMNIS LABOR OPTAT PRAEMIVM, ideò præsenti Lege ordinamus, q; Aduocatis, & Procuratoribus in causis ciuilibus, criminalibus, uel mixtis salarium, seu patrociniū soluatur modo, & ordine infrascripto, uidelicet. Si ualor causæ fuerit usque ad quinquaginta libras, uel infra, salarium sit unius floreni. Si ualor

Si ualor fuerit maior, non tamen excedat summam centum librarum dcñ. floreni duo. Si fuerit maior, non tamen excedat ducentas libras, floreni quatuor. Si fuerit maior, non tamen excedat trecentas libras, floreni sex. Si uerò fuerit maior, non tamen excedat quadringentas libras, floreni octo. Si fuerit maior, non tamen excedat quingentas libras, floreni decem. Si fuerit maior, non tamen excedat mille libras, floreni duodecim. Si uerò fuerit maior, non tamen excedat duo millia librarum, floreni uiginti. Si uerò fuerit maior cuiuscunque quantitatis, salarium sit uiginti trium florenorum, & non ultra. In causis uerò criminalibus: si quidem causa sit capitalis, uidelicet pœna mortis: si bona rei non excedant ducentas libras dcñ. salarium sit florenorum octo, ab inde uerò supra, salarium sit duplũ, quod dictum est supra in ciuilibus causis. Si uerò non sit pęna mortis, sed membri amputationis, salarium sit quarto minus eius, quod dictum est in causa capitali. Si uerò pœna sit mera pecuniaria, salarium sit sicut dictum est in causis ciuilibus. In causis uerò appellationum: si quidem sit à diffinitiua, & idem fuerit Aduocatus, qui in prima causa, salarium sit medietas eius, quod dictum est in prima causa. Si uerò ab interlocutoria, & idem fuerit Aduocatus, non recipiat nouum salariũ. Si uerò nouus Aduocatus, tunc recipiat medietatem eius, quod si esset diffinitiua. Procuratores uerò recipiant in omnibus supradictis casibus, & causis dimidium, quod declaratum est supra pro salario Aduocatorũ. Declarantes, ꝙ si partes ad concordiam deuenerint ante terminum probatorium, non teneãtur soluere nisi medietatem eius, quod superius statutum est. Si uerò ante publicationem processus, à solutione tertiæ partis totius salarii releuetur. In causis uerò appellationum, si ante terminum iustificatorium partes ipsæ deuenerint ad concordiam, uel aliter appellationi renunciauerint, teneantur soluere tantũmodo quartam partem eius, quod supra extitit ordinatum. Si uerò post dictum terminum, seruetur quod supra declaratum est in aliis causis. Ad probandum autem, ꝙ quis fuerit Aduocatus, uel Procurator in causa, sufficiat probatio unius testis cum iuramento conducti, uel per attestationem Procuratoris, seu Notarii causæ, uel Iudicis, corãm quo causa agitata fuerit. Addentes, non licere Aduocatis, & Procuratoribus pro extraiudiciali intercesione quicquam exigere, uel petere ab illis, pro quibus intercesserunt, nisi de spontanea eorum uoluntate, pro quibus intercesserint, processerit. Aduocatus uerò, & Procurator succumbentis dimidium eius, quod supra dictum est, pro salario recipiat, & non ultra.

De matricula Notariorum. Rub. LXXXIII.

CVM (propter Notariorum ignauiam, ac imperitiam) multoties contrahentibus inferatur præiudicium, ideò statuimus, & ordinamus, ꝙ in communi nostræ Terræ de cætero esse, & fieri debeat liber, seu Matricula Notariorum dictæ Terræ. Qui liber, seu Matricula custodiri debeat, & teneri in custodia per Cãcellarium nostri Communis. In qua quidem matricula scribi debeant nomina omnium, & singulorum Notariorum Notariæ, & Tabellionatus officium, & artem exercentium, manu Cancellarii. In qua quidem Matricula, seu Matriculæ libro nemo inter Notarios describi posit, qui non sit Ciuis, uel districtualis origine propria paterna, seu Auita, uel qui domicilium intus Terram, uel in districtu dictæ Terræ non haberet, ac extimum in Commune nostro, & onera, & factiones dicto Communi pro dicto extimo non subiret, nemoq; minor uiginti annorum, & qui non adiuerit Notariam ad minus per unum annum, ac nisi primò per Iudicem, seu Rectorem dictæ Terræ, & unum ex Doctoribus legum eiusdem Terræ eligendum per Concilium Communis prædicti diligenter examinetur in arte Notarię, & Tabellionatus in materia contractuum, & ultimarum nolũtatum, in duabus, seu tribus formis contractuum, & ultimarum uoluntatum, tam in uulgarizando, q̃ etiam in legendo, seu notando literaliter. Qua quidem examinatione facta, & examinato reperto idoneo, nullum patiente defectum, relatione facta per dictos examinatores Concilio, de qua rela

tione constare debeat per publicum instrumentū manu alterius publici Notarii, seu Cancellarii Communitatis per Concilium approbetur, de cuius mandato in Matricula prędicta per Cancellarium scribi debeat: teneaturq́; & debeat quilibet uolens matriculari tempore introitus sui iurare ad Sacra Dei Euangelia, corporaliter tactis scripturis, se fore Ciuem, uel districtualem dictæ Terræ, seu domicilium in dicta Terra per decem annos habuisse, ac etiam promittere de bene, & legaliter exercendo artem prædictam Notariatus, & q; perpetuò fidelis, & propitius erit Communi nostro, & nihil unq̃ faciet uerbo, seu opere, quod cedere posit, seu esse ad damnum, uel detrimentum enorme, seu in subuersione status pacifici S. Rom. Ecclesiæ, & dicti Communis, neq; faciet, seu scribet, neq; se rogari permittet de aliquo instrumento, seu contractu fictitio, seu fraudolento, & quod cęderet ad fraudem tertii, uel ad fraudem, & damnum Communis, seu alterius priuatæ personæ, sub pęna periurii, & aliis pęnis contentis in statutis dictæ Terrę. Et si receptus, & descriptus fuerit contra, seu præter formam pręsentis statuti, pro non recepto habeatur, & receptio, & admissio, seu matriculatio non ualeat ipso iure, & nullius sit effectus, & eorum instrumenta, uel scripturæ non opitulentur in aliquo utentibus, & producentibus, & non ualeant ipso iure. Insuper, ut in negociis publicis Notarii dictæ Terræ matriculati exerceantur, & lucrum inde proueniens inter eos diuidatur æqualiter, ordinamus, q; omnes Notarii matriculati in publica Matricula describantur, & imbuxulentur in uno buxulo publico, qui seruetur in capsa, in qua seruantur palluctę Mag. DD. Priorum dictę Terrę, & duo ex dictis Notariis, ut supra imbuxulatis, singulis duobus mēsibus sorte extrahantur de dicto buxulo. Qui duo Notarii sic extracti intelligãtur, & sint Notarii causarum ciuilium ad bancum Mag. D. Potestatis: qui teneantur, & debeant stare ad banchum ciuilium causarum per duos menses continuos, & non ultra. Et qui quæsierit prærogationem dicti temporis quo quo modo uel à Concilio, uel ab aliquo Superiore, ipso iure sit, & habeatur pro casso, & amoto à Matricula, & à buxulo dictorum Notariorum, & non posit ullo tempore in perpetuum in dicta Terra, uel districtu artem Notariæ exercere. Et dicto tempore durante duorū mensium, non posit ullus alius Notarius se intromittere, aut scribere acta, & alia pertinentia ad causas ciuiles, sub pęna uigintiquinq; librarum den. pro quolibet, & uice qualibet Communi applicandarum. Qui Notarii ad banchum sic sedentes teneantur, & debeant habere, & facere libros, ubi omnia acta, & scripturas ad hæc pertinentes annotare extensè debeant, & tenere insilzas, & omnes alias scripturas asfoliatas, & numeratas, ac publicatas, & facere unum bastardellum pro quolibet, in quo sit repertorium omnium actorum, sub pœna uigintiquinque librarum den. de facto exigendarum, & applicandarum ut supra. Et Iudex, uel Rector, ut prædicta obseruentur, efficaciter teneatur, sub pœna quinquaginta librarum den. de suo salario retinendarum, finito tempore duorum mensium, pro qualibet muta Notariorum dictos libros, & scripturas, insilzas, bastardellos, & acta sibi præsentari facere infra decem dies à die finiti officii per quemliber Notarium, & illa inspicere, & obseruare. Et quicunque Notarius extractus, ut supra, teneatur stare per se ipsummet ad banchum, & exercere officium, & non per substitutum, & casu quo uoluerit, aut posuerit substitutum, sit, & habeatur pro remoto in perpetuum à Matricula dictorum Notariorum, & non posit amplius in buxulo poni, & nihilominus acta, quę scribi contigerit per ipsum Substitutum, non ualeant, neque teneant ipso iure, & talis sic scribens teneatur ad interesse partis. Itē q; quilibet Notarius, qui forte fuerit extractus, ut supra, nisi fuerit absens à territorio, uel infirmus infirmitate durabili, & impeditiua arbitrio, & iudicio Medicorum, uel nisi fuerit de Prioribus, uel de alio officio dictę Terrę impediente dictam extractionem, teneatur acceptare dictam extractionem, & officium exercere, & sedere ad banchum per se, ut supra. Et casu quo recusauerit, dictis impedimentis cessantibus, deleatur de Matricula, & pęnitus amoueatur de dicto buxulo, & loco ipsius alius extrahatur. Et talis, qui recusauerit, siue fuerit primò extractus, uel secundò, aut tertiò, & deletus fuerit, ut supra, non ponatur, neque describatur amplius

in dicto

in dicto buxulo usque ad nouam imbuxulationem faciendam. Item uolumus, q; dicti Notarii sic extracti non possint, nec debeant sub pœna quinque librarum denariorum qualibet uice, dum sedent ad banchum, & ius redditur, aliquid dicere de his, quę pertinent ad officium Procuratorum, sed solùm uacent, & uacare debeant officio scribendi diligenter, & tacitè.

De officio, & mercede Notariorum causarum ciuilium. Rub. LXXXIX.

OFFICIVM Notariorum causarum ciuilium sorte extrahendorum duret duobus mensibus. Qui Notarii sint, & esse debeant duo matriculati, & approbati iuxtà seriem statuti sub Rubrica, Quòd Notarii sint descripti in matricula, teneantq; in principio eorum officii diligenter, & bona fide eorum officium exercere, & scripturas quascunque per eos confectas, & conficiendas bene, & fideliter custodire. Teneanturq;, & obligati sint diebus iuridicis de mane hora iuris se ad banchum iuris conferre, & anteq̃ incipiant acta scribere, uel eorum officium exercere, pulsari facere Campanam more solito, & mox scribere, & annotare in libro, seu libris ad hoc specialiter deputatis omnia, & singula acta, & scripturas quarumcunque personarum. Qui libri, & scripturæ sint cartulati, & in fine eorum, & cuiuslibet ipsorum officii publicati relaxentur, & dimittantur in Archiuio publico, de illisq; inuentarium conficiant, successoribusq; assignent unà cum præfatis libris, & scripturis: pœna pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet quinquaginta librarum denariorum ipso facto applicandarum Communitati dictæ Terræ: & nihilominus quicquid per prædictos Notarios secus factum fuerit, sit ipso iure nullum, nec aliquem sortiatur effectum. Addentes, q; Notarii imbuxulati, & ad huiusmodi officium extracti debeāt personaliter, & non per substitutum prædictum officium exercere, alià s alter loco ipsius extrahatur. Et durante eorum officio, nō possit quisquàm ipsorum officium procuratoris exercere quo quo modo, uel quæsito colore, sub pœna iam dicta, ut supra auferenda. Et quia dignus est mercenarius mercede sua, & ne quis indebitè grauetur, eorum mercedem, & salarium modo, & ordine infrascripto solui eisdem uolumus, uidelicet. Pro qualibet simplici petitione, uel actu ciuili solidum unum. Pro pręsentatione libelli, & reintegratione soluantur solidi duo. Pro præsentatione literarum solidi duo. Pro copia petitionis, uel libelli solidi duo. Pro productione exceptionū, uel positionum solidi duo. Pro examine cuiuslibet testis absq; interrogatoriis solidi duo, cum interrogatoriis uerò solidi quatuor. Pro præceptis, uel sequestris in scriptis redactis solidi quatuor. Pro scripturarum reuocatione solidi duo. Pro iuramento dando, uel referendo solidi quatuor. Pro copiis dandis, pro qualibet pagina, quæ esse debeat quadraginta linearum, siue uersuum, & decem dictionibus pro qualibet linea: solidi quatuor. Pro lectura sententię diffinitiuę, si ualor non excedat summam centum solidorum, à qualibet parte soluantur solidi duo. Si uerò fuerit maioris summæ, non tamen excedat decē librarum, pro qualibet parte recipiat solidos tres. Si uerò sit maior quantitas, non tamen excedat summam uigintiquinque librarum, recipiat à qualibet parte solidos quatuor.. Si uerò fuerit maior quantitas, non tamen excedat summā quinquaginta librarum pro qualibet parte recipiat solidos octo. Si uerò sit maioris quantitatis, non tamen excedat summam ducentarum librarum, solidos decem à qualibet parte. Si uerò sit maioris summæ, nō tamen excedat quingentas libras, à qualibet parte solidos quindecim. Si uerò sit maioris summæ, non tamen excedat mille libras, à qualibet parte solidos uiginti. Si uerò excesserit mille libras, cuiuscunq; quantitatis, uel ualoris fuerit, à qualibet parte solidos quadraginta. Si autem aliqua partium esset contumax, nō propterea possit recipere à parte pręsenti, nisi portionem sibi tangentem. Et prędicta salaria de, & pro sententiis sufficiant, siue una persona, siue plures fuerint ex quacunque parte in causa illa. In causis uerò appellationum pro diffinitiua sententia scribenda, & registranda recipiat tantùm ad prędictam ra-

tionem, prout de sententia diffinitiua causę principalis. Pro simplici rogitu procurę, syndicatus, curæ, tutelæ, pacis, treguæ solidos duos. Pro rogitu uerò compromissi à qualibet parte solidos duos, & sic de singulis similibus. Si quis autem contra formam præsentis legis aliquid ultra acceperit, illud duplicatum restituat, & pœnam decem librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet incurrat ipso iure.

De solutionibus scripturarũ in publicam formam redactarũ. Rub. LXXXX.

CVPIENTES solutiones publicorum instrumentorum ad honestam, & congruam mercedem reducere, statuimus, & ordinamus, q̧ Notarii rogati de aliquo instrumento, pro ipsorum mercede pro extrahendo ipsum in publicam formam petere, & exigere possint, & ualeant eorum mercedem modo infrascripto, uidelicet. Vsque ad summam uigintiquinque florenorum, & infra, carlenos duos. Vsque ad summam quinquaginta florenorum, carlenos quatuor. Ab inde usq; ad centum, florenũ unum. Ab inde usq; ad florenos ducentos, florenum unum cum dimidio. Ab inde usq; ad tricentos florenos, florenos duos. Ab inde uerò supra, pro qnolibet centenario, florenum unum, & bononenos uiginti: ita tamen, q̧ non excedat summam quinque florenorum. Pro instrumento mandati, procurationis, compositionis, compromissi, & quietationis bononenos decem. Pro instrumento transactionis, concordiæ, & diuisionis bonorum, & pacis inter Communitates, & particulares, carlenos quinq; etiam si in eis fieret mentio de quacunque summa denariorum, Pro testamentis, & ultimis uoluntatibus, si hæreditas fuerit ualoris quinquaginta florenorum, carlenos quatuor: usque ad centum, carlenos quinque: usque ad ducentos, florenum. Ab inde uerò supra, florenos duos, quantæcunq; fuerit quantitatis. Pro particula testamenti, uidelicet legitimi, usq; ad summam centum florenorum, carlenos tres. Ab inde uerò supra, florenum unum. Pro quolibet codicillo, si res codicillata fuerit ualoris centum florenorum; & ab inde infra, carlenos quinque. Pro instrumento emptionis, & uenditionis fiat eisdem solutio modo, & forma supraſcriptis, ita tamen q̧ non excedat summam duorum florenorum. Pro instrumentis autem emptionis, & permutationis rerũ Ecclesiasticarũ, quia in eo examinantur testes, & inseruntur facultates Apostolicę, & multa alia, Notarii prędicti recipiant, & habeant duplũ eius, quod dictum est supra de instrumentis emptionum, & uenditionum. Volumus etiam, q̧ Notarii rogati de dictis instrumentis uenditionum, emptionum, permutationum, & de testamentis, codicillis, ac ultimis uoluntatibus teneantur, & debeant illa extrahere in publicam formam, & dare emptoribus, & hæredibus testatorum, & ipsos inuitos ad ad solutionem mercedis cogere, & compellere, prout uolumus per Rectorem nostrum, uel eius Officiales ad ipsorum Notariorum instantiam dictos emptores, & hæredes cogi, & compelli ad dictam solutionem faciendam, omni solennitate, & tela iudiciaria post posita. Pro rogitu uerò cuiuslibet instrumenti soluatur, & solui debeat Notario bononenos unus, cum decreto uerò Iudicis bononeni quatuor. Pro copia alicuius instrumenti: uel ultimæ uoluntatis sine publicatione habeant dicti Notarii bononenos duos pro qualibet carta. Pro ostensione alicuius instrumenti, uel ultimæ uoluntatis bononeñ. unũ. Pro labore inuestigationis, & perquisitionis alicuius instrumenti confecti per dictũ Notarium infra annum, nihil recipere possit: ab inde supra, bononenum unum: confecti uerò per alium Notarium, bononenos duos. Pro productione instrumenti coràm Iudice in prothocollo extraiudicialiter, bononenos quatuor. Pro inuẽtario rerum, & bonorum mulierum in publicam formam nõ excedentium summã centum librarum, bononenos octo: ab inde supra, bononenos uiginti. Et si Notarii, uel aliquis ipsorum prædicta omnia non obseruauerint, ultra mercedem sibi statutam aliquid extorquendo, duplum eius, quod indebitè extorserint, reddere per Rectorem, uel Iudicem parti de facto compellantur, & pœna uigintiquinque librarum denariorum mulctentur omninò.

De prothoꝛ

De prothocollis exemplandis, & abbreuiaturis Notariorum. Rub. LXXXX.

INSTRVMENTVM publicum, priuilegium, priuatã scripturam, seu quamcunque aliam publicam scripturam exemplari, uel copiari facere uolens, citato cuius interest secundum formam statuti superius de citationibus in ciuilibus causis, si est intus, aliàs citatis per Præconem in locis publicis, & consuetis dictæ Terrę Sancti Elpidii omnibus, quorum interest, uel interesse poterit, dicta exemplatio una die pro altera petatur coram Rectore, uel Iudice in termino citationis (ut præfertur) factæ, & præfatus Rector teneatur dare licentiam alicui Notario de dicta Terra illud exemplandi, uel copiandi, quod exemplari petitur, cum subscriptione duorum aliorum Notariorum dictę Terræ, & decreto Iudicis; in qua fiat mentio de auscultatione per eos facta, cum Notario exemplante, & concordatione exempli, siue copiæ cum exemplato, seu copiato: reseruatis tamen semper iuribus quibuscunque contradictoris, uel non contradictoris comparentis, uel non comparentis: & aliter facta exemplatio, uel copiatio non ualeat, nec teneat ipso iure. Cui quidem exemplo, uel copiato eadem fides, & non maior adhibeatur, q̃ matrici scripturæ, uel originali adhiberetur. Insuper quilibet Notarius dictę Terræ auctoritate, & decreto dicti Iudicis possit, & ualeat publicare, & in publicam formam redigere omnia, & singula prothocolla, acta, & abbreuiaturas cuiuscunque Notarii mortui, absentis, uel infirmi ad petitionem cuius interest: & si quidem in talibus abbreuiaturis, uel prothocollis hoc uerbum etc. reperiatur, possit talis Notarius prothocollum, seu abbreuiaturam extendere secundum quod Notarius, qui talia scripserat, consueuit in simili extendere. Sin autem tale quid simile non reperitur, tunc fiat extensio secundum communem consuetudinem aliorum Notariorum præfatę Terrę. Quicquid autem sic copiatum, seu publicatum fuerit plenissimam obtineat firmitatem. Statuimus quoque, q̃ si in aliquo prothocollo, uel instrumento reperiatur errore scriptum, abbreuiatum, uidelicet Anno Dñi M.CCCCC. eum scribi debuerit extensè, Millesimo quingentesimo, uel aliquid simile Iudici uideatur erroneè scriptum, quod rectè scripto concordet annus, seu millesimum cum indictione in instrumento, seu prothocollo contenta; talis error, seu obliuio instrumentum, prothocollum tale, uel aliam quamcunque scripturam non uiciet ullo modo, quin imò plenam probationem, & firmitatem faciat, & obtineat: non obstante tali errore, uel obliuione, neque statuto, uel iure aliquo obstante. Volumus insuper, si in prothocollis, uel abbreuiaturis alicuius Notarii defuncti, absentis, uel infirmi non reperiretur, Ego talis Notarius, etc. uel non reperiretur eius subscriptio, dumtamen Iudici constet, talem abbreuiaturam, seu prothocollum manu Notarii defuncti, absentis, uel infirmi prædicti scriptam fuisse; ad quod probandum sola assertio duorum Notariorum dictæ Terræ Sancti Elpidii cum iuramento per Iudicem eligendorum, talia prothocolla, seu abbreuiaturæ ualeant, & plenam obtineant firmitatem; dummodo alia substantialia non deficiant. Statuimus etiam, q̃ si in aliquo quinterno, seu bastardello alicuius Notarii in principio, uel alia parte reperiantur scripti Anni Dñi, scripturæ, & prothocolla sequentia manu eiusdem Notarii, in quibus anni scripti non reperiantur, q̃ dictæ scripturæ intelligantur factæ sub dicto anno, & millesimo præcedenti. Scripturæ uerò præcedentes dictum annum, & millesimum, nisi aliud millesimum præcedat, intelligantur factæ millesimo proximè præcedenti, & propterea nullatenus uitientur. Item statuimus, q̃ si in aliquo prothocollo, abbreuiatura, quinterno, bastardello, uel folio reperiretur aliquis contractus, testamentum, uel alia scriptura scripta manu dicti Notarii, uel non sua manu scripta, subscripta tamen manu dicti Notarii, q̃ dictus contractus, testamentum, uel scriptura perinde habeatur, ac si scripta fuisset manu Notarii scribentis, & ualeat, & plenissimum sortiatur effectum, nec propterea ualeat irritari. Et prędicta omnia locum habeant in præsentibus, præteritis, & futuris, nisi sententia, transactione, uel aliter decisis, uel scriptis. Volumus etiam, q̃ omnes, & singuli Notarii habentes protho-

colla Notarii iam defuncti teneantur, & debeant, pœna centum librarum denariorum pro quolibet eorum, & uice qualibet inuentarium omnium prothocollorum defuncti conficere, & illud Cancellario dictæ Terrę Sancti Elpidii assignare infra mensem. In quo quidem inuentario nomina contrahentium, uel aliàs disponentium, Anni Domini, & dies apponantur, sub iam dicta pœna de facto à contrafacientibus auferenda, & Communitati dictæ Terræ Sancti Elpidii applicanda.

Fœliciter explicit Statutorum Ecclesiasticæ Terræ Sancti Elpidii Liber Secundus de Causis Ciuilibus.

IN DEI NOMINE AMEN.

MVNICIPALIVM LEGVM, AC STATVTORVM

ECCLESIASTICAE TERRAE SANCTI ELPIDII

De Causis Criminalibus Liber Tertius feliciter incipit.

De quibus maleficiis, & delictis per inquisitionem procedi possit, Rub. I.

CVM Reipublicæ intersit,ne maleficia impunita remaneant,& praui,& facinorosi homines metu pœnarum ab illicitis, & noxiis cohereeantur, tutaq; sit inter improbos innocentia : icircò statuimus,& ordinamus,q; Rector,uel Iudex Terrę Sancti Elpidii,uel eius Officiales præsentes, & futuri possint,& ualeant coniunctim,uel diuisim procedere,& ordinariam iurisdictionem habeāt, & potestatem cognoscendi,& procedēdi per modum,& uiam inquisitionis ex eorum mero officio,etiā nulla præcedente denunciatione,uel quęrela,de,& super omnibus, & singulis maleficiis,criminibus,excessibus, & delictis commissis in dicta Terra Sancti Elpidii,eiusq; territorio,& districtu,uel extra ubicunque in quacunque Mundi parte,per homines dictæ Terrę,incolas,uel habitatores,uel quomodolibet motam trahentes tempore sui officii,uel ante per triennium : de, & super uerò furtis,& robariis,semper, & quandocunque ; statuto aliquo in contrarium loquente non obstante, nisi aliàs esset processum, cognitum, uel sententiatum de prædictis : exceptis delictis percussionum, uel adminationum manu uacua, pede, aut quocunque humano membro tantùm sine alicuius instrumenti, uel rei interuentu, nisi tales percussiones in collo,uel à collo supra factę essent, uel ex inde sanguis exierit, seu ossis, nerui, & membri, uel officii membri fractura, seu debilitatio perpetuò duratura sequeretur, uel mors : & exceptis delictis inter parentes, eorumq; filios, uel filias, maritum, & uxorem ; fratres ex altero, uel utroque latere coniunctos inter se, uel inter sorores ad inuicem,uel inter frattes cum sororibus(ut pręfertur)coniunctos, uel alios coniunctos ad inuicem consanguinitate, uel affinitate usq; in tertium gradum consanguinitatis, uel affinitatis de iure Canonico computañ.uel per dominum, uel dominam, patronum, seu patronam, & seruum, uel seruam, famulum, uel famulam commissis : nisi tale delictum fuerit, ex quo ossis, nerui, membri, seu officii membri fractura, uel debilitatio perpetua, uel truncatio, seu mutilatio, uel cicatrix enormis in facie, uel mors naturalis sequeretur, & fieret, seu aliud enorme delictum arbitrio Rectoris, & DD. Priorum, uel maioris partis eorum : uel nisi tale delictum fuerit, ex quo, seu pro quo corporalis pœna, seu corporis afflictiua principaliter, non autem in defectum, uel conditionaliter ueniret imponenda ; uel nisi fierent, uel committerentur contra Rectorem, uel Iudicem, uel DD.Priores,seu Officiales dictę Terrę. In quibus omnibus, & singulis casibus per inquisitionis modum procedi ualeat, coniunctione sanguinis, famulatu, & seruitio non obstantibus ; nisi aliud per aliud statutum specialiter cautum reperiatur : ac etiam exceptis omnibus, & singulis casibus,in quibus facultas inquirendi, & procedendi, uel cognoscendi per inquisitionem ex forma alicuius statuti, seu reformationis æditæ, uel ædendæ esset denegata. Per modum autem, & uiam accusationis, seu denunciationis offensi, & iniuriam passi principaliter de omnibus, & singulis(ut supra dictum est)maleficiis, criminibus, & delictis indistinctè tempore sui

officii, & infra terminum prædictum cõmissis procedere, & cognoscere possint, & ualeant dictus Rector, uel Iudex, seu eorum officiales coniunctim, uel diuisim. Delinquentes uerò secundum modum, seu permissionem statutorum condemnentur, & puniantur diebus feriatis, uel non feriatis, etiam in honorem Dei, seruatis, uel non seruatis ordinibus, substantialitatibus, & solennitatibus iuris; dũmodo de delictis semper constet: contrariis quibuscunque non obstantibus. Addentes, q̃ si fuerit formata inquisitio, & postea porrecta fuerit accusatio de eodem delicto, uel grauiori, uel ècõtra, super utraq; procedere possint, & teneantur, & una non tollatur per aliam: dũmodo de eodem delicto non possit, nisi semel, puniri.

De modo, & forma procedendi in criminalibus causis. Rub. II.

STATVIMVS, & ordinamus, ut formata inquisitione, accusatione, uel quærela per Rectorem, uel Iudicem, seu Officiales dictæ Terræ contra quemcunque pro maleficiis, delictis, & criminibus, super quibus ex forma præcedentis statuti concessa est eis auctoritas inquirendi, cognoscendi, & puniendi: in primis, & ante omnia præfatus Rector, uel Iudex dictæ accusationis, inquisitionis, uel quærelæ copiam eadem die, qua formata, uel porrecta fuerit, ad Cameram dicti Communis Terræ Sancti Elpidii transmittere teneatur; pęna uigintiquinque librarum dñ. de eius salario retinendarum, & nihilominus super huiusmodi accusatione, inquisitione, uel quærela procedi non possit, nisi dicta copia data, ut supra. Deinde accusatus, inquisitus, uel denunciatus citetur ex speciali Iudicis, uel Rectoris commissione cum cedula portanda per Bayulum Communis continenti totum tenorem, seu effectum inquisitionis, accusationis, uel denunciationis: in qua terminus duorum dierum, si Ciuis, uel habitator in dicta Terra: si uerò in territorio, trium dierum assignetur ad se excusandum, & defendendum ab inquisitione, accusatione, uel denunciatione, & cõtentis in ea contra ipsum producta, uel formata. Quam cedulam Bayulus Communis assignet reo personaliter inuento, si personaliter inueniri poterit: sin autem, domi solitæ habitationis, & in eius ostio affigat, & relaxet. De qua citatione, & affixione stetur relationi Bayuli cũ uno teste. Et si in prima citatione, ut supra facta reus non comparuerit, iterum pro secunda citetur cum cedula absque tenore inquisitionis. In qua quidem secunda citatione reo, si fuerit Ciuis, uel habitator in dicta Terra, terminus detur infra sequentem diem ad se excusandum, ut supra: habitatori uerò in territorio dictæ Terræ duorum dierum terminus assignetur, ut supra. Quæ quidem citationes aliter fieri non possint, & sint peremptoriæ. Si uerò reus inquisitus, uel denunciatus esset forensis non habitans in dicta Terra, & eius territorio, citetur bis cum cedulis, ut supra affigendis ad ualuas Palatii; de qua affixione similiter stetur relationi Bayuli. In quarum prima cedula terminus quinq; dierum assignetur; in secunda uerò duorum dierum peremptoriè, uel plurium Rectoris, uel Iudicis arbitrio. Reo autem sic citato non comparente in terminis prædictis, nec se excusante, Rector, uel Iudex reum sic citatum non comparentem exbandiri, & in bando poni faciat publicè per Pręconem Communis in Logia superiori Palatii residentiæ Mag. DD. Priorum alta, & intelligibili uoce, sono tubæ præmisso, à dicta Terra, & eius territorio in ea quantitate, uel pęna, qua condemnari deberet, uel posset occasione delicti, de quo contra ipsum proceditur, & in maiori, uel minori quantitate, secundum formam statutorum dictę Terrę, eidemq; assignet in dicto bando terminum quinque dierum à die dati bandi similiter ad se excusandum, & defendendum, ut supra. Quod quidem bandum reo in scriptis notificetur per Bayulum Communis personaliter, uel domi, Ciui, uel habitatori Terræ, & territorii: reliquis uerò ad ualuas Palatii: cuius relationi plena dabitur fides, & à die talis notificationis terminus dicti bandi incipiat currere. Qui reus si in dicto termino bandi nõ comparuerit personaliter, uel alius pro eo legitimè, ubi Procurator interuenire potest, habeatur pro confesso, conuicto,

uicto,& testibus superato de omnibus,& singulis maleficiis contentis in processu contra ipsum instituto absque alia inculatione contumaciæ, & possit contra ipsum procedi ad condemnationem secundum formam statutorum; & nihilominus quandocunq; comparuerit ante sententiam,& se excusare uoluerit,audiatur,dũmodo cum effectu,anteq̃ au diatur,soluerit Camerario, uel Depositario Communis solidos octo pro eius contumacia,& fideiussores idoneos præstiterit de soluendo pœnam, & parendo mandatis Curiæ, & se repræsentando toties,quoties oportuerit,si talis casus fuerit,in quo ueniat fideiussoribus relaxandus,aliàs solutis dictis octo solidis,remaneat in fortia Iudicis,& Curiæ,& fideliter custodiatur.Addentes,q; si allegaretur,aliquem esse absentem à dicta Terra,& territorio cum iuramento,detur terminus quinque dierum,& non ultra, etiam si iustum allegaretur impedimentum, nisi aliud Iudici ex aliqua iusta, & rationabili causa uideretur.

Quomodo procedatur contra comparentes in criminalibus. Rub. III.

ACCVSATVS, inquisitus, uel denunciatus comparens coràm Rectore, uel Iudice post citationes de eo factas, præcisè, & purè sine alicuius exceptionis obiectione,accusationi,denunciationi, uel inquisitioni suo medio iuramento respondere teneatur,confitendo,uel negando factum,de quo proceditur,in totum, uel in partem,prout ei uidebitur,clarè tamen,& apertè. Qua responsione sic facta: si delictum,de quo proceditur,tale sit,ex quo merè,& purè imponenda sit pœna simpliciter pecuniaria,relaxetur,præstito idoneo fideiussore, uel fideiussoribus de soluendo condemnationem, quam fieri ex inde continget,ac etiam de se repræsentando,ac parendo mandatis Curiæ. Si autem delictum tale sit,pro quo imponi debeat pœna corporalis, uel corporis afflictiua principaliter,nullatenus relaxetur,sed in carceribus retineatur arbitrio Rectoris,uel Iudicis, ubi sumatur de eo supplicium in casu condemnationis, uel dimittatur, sequuta absolutione, à qua non fuerit appellatum. Vbi uerò talis esset pœna corporis afflictiua,non principaliter,sed in defectu pœnæ pecuniariæ, seu conditionaliter, si talis inquisitus, denunciatus, uel accusatus soluere uoluerit,& soluerit Camerario, uel Depositario Communis quantitatem pœnæ, in qua condemnandus esset secundum formam statutorum,sub conditione recuperandi in casu absolutionis, & de tali absolutione Iudici legitimè constiterit per scripturam,debeat relaxari in continenti. Et si contra dictam formam Iudex eum in carceribus,uel in Palatio detinuerit, incidat in pœnam centum librarum den. pro quolibet, & uice qualibet. Facta autem per denunciatum,accusatum,uel inquisitum (ut supra) responsione, Rector,uel Iudex assignet reo terminum quinque dierum proximorum, uel plurium arbitrio Iudicis,consideratis conditionibus personarum, & qualitatibus factorum,locorum,& temporum,ad excipiendum, & opponendum quicquid uult,& potest, & ad omnem suam defensionem faciendam,& producendum omnia iura,& ad probandum,& probatum habendum per testes,& instrumenta, & omne aliud genus probationis. Et idem terminus assignetur accusatori, uel denunciatori existenti die dicta responsionis personaliter, uel domi suæ habitationis,uel in loco,ubi erit citandus. Quo termino elapso,Iudex publicet,& aperiat totũ processum,& statuat Reo,& accusatori, uel denunciatori,si existat,terminum trium dierum, uel maiorem Iudicis arbitrio ad accipiendum copiam totius processus,si uoluerit,& dicendum contra,& opponendum, & reprobandum quicquid uult,& potest; intra quem terminum contra testium personas, & eorum dicta,& instrumenta producta,& reliquum processum opponi,& probari possit per utramque,seu alteram partium,& non postea,nisi aliqua iusta,& rationabilis causa induceret Iudicem ad aliam dilationem,uel prorogationem; de quibus causis debeat apparere in actis. Elapsis uerò dictis quinque diebus,uel pluribus,ut supra; si à partibus allegari contingat, recipiantur allegationes iuris infra spatium trium dierum, uel circa,arbitrio Iudicis. Quibus uisis, & auditis, procedatur ad absolutionem,uel ad condemnationem,

ut iustum fuerit, & uidebitur. Ita autem procedatur, & taliter, q̃ semper infra quadraginta dies à die excusationis enumerandos in comparitionibus: in contumacibus autem à die primæ citationis omnes processus per ipsum Iudicem, uel Rectorem initiati terminentur omnino. Processus uero sui Prædecessoris à die initiati sui officii intra duos menses terminare omnino debeat: elapsis uerò terminis prædictis, Iudex, qui prædictos processus non terminauerit, non habeat iurisdictionem ulterius cognoscendi super ipsis, sed per eius successorem intra unum mensem à die introitus sui officii computandum omnino debeant terminari, & Iudex, uel Rector, qui in prædictis negligens fuerit, per eius Syndicatores in pœnam quinquaginta librarum den. debeat condemnari pro quolibet processu non expedito, de eius salario retinendarum. Et insuper, ne quis in carceribus inueniatur modo aliquo grauari, ordinamus, ut nemo occasione alicuius maleficii, uel delicti possit in carceribus, uel Palatio retineri per Iudicem, uel suos Officiales, non præcedente accusatione, denunciatione, uel inquisitione legitima, ultra tres dies; pœna centum librarum den. à quolibet, & qualibet uice tempore syndicatus auferendarum de facto absq; aliquo processu, & condemnatione. Addentes, q̃ nemo Aduocatus, Procurator, seu Notarius, uel etiam Miles, uel Capitaneus pro fideiussoribus accipiatur, aliàs fideiussio sit ipso iure nulla, & Rector, uel Iudex in libris quinquaginta denariorum puniatur.

Quòd Minores, Filii familias, Adulti, & Mulieres in criminalibus habeant legitimam personam, Rub. IIII.

FILIUS FAMILIAS, Minor uigintiquinque annis, maior tamen quatuordecim, & quilibet alius minor dicta ætate uigintiquinque annorum habeat, & habere intelligatur in criminalibus causis, uel controuersiis legitimam personam comparendi, & standi in iudicio actiuè, & passiuè, etiam sine præsentia, consensu, uel auctoritate Patris, Aui, uel Curatoris; & omnia gesta, facta, confessata, actitata, & ordinata per ipsos, uel contra ipsos ualeant, & teneant, ac si facta essent à maioribus uigintiquinque annis sanæ mentis, patris, uel curatoris nexibus solutis. Quod etiam locum habeat in fœminis minoribus uigintiquinque annis, maioribus tamen duodecim. Excipimus tamen de prædictis furiosum, & mentecaptum: non obstantibus quibuscunque. Adiicientes prędictis, q̃ minores quatuordecim annis delinquentes, maiores tamen decem media pęna puniantur, qua alii maiores quatuordecim annorum punirentur. Minores uerò decem annis Rectoris arbitrio puniantur, dúmodo medietatem pœnæ non excedat, delicti, & personę delinquentis, & in quem delinquitur, conditione pensata.

Quomodo, & quando in criminalibus causis Procurator, Tutor, uel Curator, & Pater pro filio admittatur. Rub. V.

IN Maleficiis, seu causis criminalibus nullus procurator pro alio admittatur actiuè, uel passiuè, ubi ex maleficio, de quo proceditur, imponenda esset principaliter, uel conditionaliter, seu in defectum pœna corporalis, seu corporis afflictiua, nisi facta excusatione, seu responsione per principalem, contra quem proceditur; tunc admitti ualeat procurator ad cæteros actus usque ad sententiam inclusiuè. Liceat autem cuilibet procuratorio nomine uel defensorio alterius in omnibus, & singulis causis, ubi principaliter statuta est pœna pecuniaria, quàmuis conditionaliter, seu in defectu sit corporalis, seu corporis afflictiua, comparere ad maleficium confitendum, & cum hoc ad pęnam pecuniariam soluendam nomine eius, pro quo ita compareret. Pater autem pro filio cuiuscunq; sexus, uir pro uxore, tutor, uel curator pro pupillis, uel adultis ad accusandum tantùm admitti possit & non ad excusandum; etiam in casibus prædictis: sed excusatione facta per principalem, ad cętera admitti possit, ut dictum est supra in procuratore. In pœnis uerò simpliciter

pliciter pecuniariis imponendis actiuè,& passiuè procurator,& alii prædicti nomine,quo supra,ad singula admittantur,præterq̃ ad negandum : quocunque non obstante.

Quòd Mulieres non cogantur intrare Palatium,ad euitandum omnem suspitionis infamiam. Rub. VI.

SANCIMVS, q̃ nulla Mulier bonæ conditionis,& famę aliquo modo,seu quęsito colore cogatur intrare Palatium Rectoris,uel Iudicis,seu Officialium occasione alicuius maleficii,uel delicti,præterq̃ ubi pœna corporalis, uel corporis afflictiua imponi posset,uel deberet,ac etiam nisi esset de aliquo delicto condemnata,& executio realis contra ipsam fieri non posset : quo casu ut masculus cogatur. In aliis uerò casibus,& actibus tam ciuilibus,q̃ criminalibus sufficiat mulierem in aliqua Ecclesia uiciniori domui ipsius coràm Iudice,uel Officiale comparere ad parendum mandatis ipsius:pęna Rectori,uel Iudici, seu Officialibus contrafacientibus centum librarum denariorum de facto Communi dictæ Terræ Sancti Elpidii applicandarum de eorum salario.

De testibus in criminalibus admittendis,& eorum examinatione. Rub. VII.

VT facultas probationum modo aliquo non angustetur, statuimus,q̃ in omnibus, & singulis causis criminalibus cuiuscunque generis,tam masculi,q̃ fęminę ad testimonium perhibendum admittantur , & habiles reputentur ; dum tamē testis masculus, uel fęmina sit maior quatuordecim annis,& omni exceptione maior,anteq̃ testimonium perhibeat.Et quilibet testis cuiuscunque sexus in causa criminali iuret, præsente parte monita,uel citata legitimè,cōtra quam inductus,seu productus est,& cuiuslibet testis dictū, & testimonium in criminali causa per Notarium maleficiorum scribatur extensè , prout testificatur,non autem scribendo per talem,uel similem modum, uidelicet dixit uera esse contenta in accusatione,denunciatione, inquisitione,seu articulo, nec etiam dixit,ut alius testis : pœna Notario contrafacienti uigintiquinque librarum denariorum pro qualibet uice,& nihilominus huiusmodi scripturis nulla fides adhibeatur. De fide uerò,& idoneitate testium arbitrio Iudicis relinquimus.

De quæstionibus,& tormentis. Rub. VIII.

IN quæstionibus , & tormentis adhibendis pro eruenda ueritate à reis hoc modo , & ordine procedatur,uidelicet q̃ probato delicto per unum testem idoneū , omni exceptione maiorem de ueritate,uel quatuor de fama contra personam,contra quam proceditur,uel per coniecturam,uel per suspitionem,seu pręsumptionem uerisimilem,uel alia legitima inditia arbitrio D.Potestatis,& DD.Priorum,Iudex dictę Terrę,seu Potestas,publicato processu & termino elapso dato ad opponendum,& probandum secundum formam statutorum,& reo in dicto termino nihil opponente,& non probāte exceptionem, uel defensionem habentem impedire aliquod prædictorum , faciat citari reum absentem per cedulam,ut personaliter compareat corām eo infra terminum duorum dierū in Palatio ad confitendum delictum dicto modo probatum,uel ad subiiciendum se competenti torturæ.Et si reus in dicto termino nō comparuerit,habeatur pro confesso , conuicto, & testibus superato de omnibus, & singulis delictis in processu contentis sine alia accusatione,& contumacia. Si uerò in dicto termino comparuerit,& pœna delicti esset quinquaginta librarum denī.uel ab inde supra,uel esset corporalis principaliter, uel in defectū conditionis. torqueatur arbitrio D.Potestatis,& DD Priorum, & Cancellarii Communis,donec inditia,præsumptiones,coniecturæ,fama, uel suspitiones purgentur. Quibus purgatis , absoluatur , prout iuris. Si autem propter torturam uel citationem confessus

fuerit, condemnetur sine aliquo confessionis beneficio. Vbi uerò pœna delicti (ut supra) probati esset minor quinquaginta librarum, siue reus in dicto termino citationis comparuerit, seq; torturæ subiicere noluerit, uel non comparuerit, condemnetur, ac si delictum esset plenè probatum, ut supra: quibuscunque non obstantibus.

De modo, & forma ratificationis delicti per reum faciendæ. Rub. VIIII.

SI Quis reus aliquod delictum per quæstionem, uel tormentum confessus fuerit coràm Rectore, Iudice, uel eius Curia, non cogatur ad ratificationem faciendam de delicto per ipsum (ut præfertur) confesso, nisi duntaxat publicè ad tribunal, seu banchum iuris palàm, & publicè, uulgati sermone sibi lecta, & exposita tota inquisitione, uel processu ad plenam ipsius rei intelligentiam, ac omnium adstantium, præsentibus ad minus tribus testibus fide dignis, uel pluribus. Et aliter facta dicta ratificatio sit ipso iure nulla, irrita, & inanis: & Rector, Iudex, uel Officialis, si processus fuerit ex causa delicti corporalem pœnam requirentis, incidat in pœnam uigintiquinq; florenorum pro quolibet ipso facto auferendorum, & per Camerarium, seu Depositarium Cōmunis de eorum salario retinendorum, aliàs ad eorum computum admittantur. Notarius uerò, qui scripserit talem ratificationem, non seruato ordine præmisso, pœna decem florenorum plectatur. Si uerò delictum non requireret pœnam personalem, medietatem dictarum pœnarum incurrant Rector, Iudex, uel Officiales prædicti. Insuper uolumus, q; Cancellarius Cōmunis personaliter intersit omnibus ratificationibus, excusationibus, informationibus, examinibus testium, etiam per tormenta faciendis: qui teneatur, & obligatus sit in fine omnium præmissorum propria manu scribere; pœna decem librarum den. si contrafecerit: Rectori uerò, uel Iudici, seu eius Officialibus præfatum Cancellarium ad prædicta non requirentibus pœna centum librarum den. ut supra auferendarum, & retinendarum. Quicquid autem per supradictum Reum (seruata forma præmissa) dictum, uel confessatum fuerit, firmum, & ualidum sit, ac executioni mandetur; non obstantibus quibuscunque.

De abolitione concedenda. Rub. X.

QVIA plerique quandoque per iracundiam, & quandoque per errorem ad accusandum prosiliunt, statuimus, & ordinamus, ac præsenti decreto firmamus, q; accusanti, & abolitionem, licentiamq; desistendi ab accusatione per eum facta petēti, abolitio ipsa per Iudicem, uel Rectorem concedatur quandocunque ante sententiam, dummodo non appareat de collusione, aut illicita pactione facta cum accusato, & nisi ex euidenti, ac apertissima causa contrarium Iudici uideretur: quod religioni, & circūspectioni suæ relinquimus iudicandum: dummodo petens abolitionem soluat in manibus Camerarii, uel Depositarii Communis solidos decem pro quolibet accusato: de qua solutione teneatur dictus petens abolitionem fidem facere Iudici per apodissam Camerarii, uel Depositarii prædicti: aliter abolitio locum non habeat. Exceptis hæresi, sodomia, latrocinio, adulterio, incestu, homicidio, raptu uirginum, & monialium, falsitate, incendio doloso, sacrilegio, furto, delictis commissis in personis Rectoris, uel Officialium, & uulneribus, seu percussionibus cum sanguine, nisi inter consanguineos, uel affines usque in tertium gradum consanguinitatis, uel affinitatis secundum ius Canonicum computandum: quo casu etiā q; percussio, uel uulnus cum sanguine peti possit, & concedatur abolitio, nisi esset enorme delictum, quod Iudicis arbitrio remittimus.

Quòd processus, & sententia criminalis propter defectum solennitatis omissæ non uitietur. Rub. XI.

NE processus, & sententiæ criminales friuolis reorum, uel aliorum pro eis comparentium allegationibus, seu exceptionibus, uel cauillationibus reddantur inualidæ, præsenti statuto firmamus, q; si de crimine, uel delicto per cōfessionem partis, uel legitimam

testium

testium probationem, uel alias legitimas probationes, quamuis in processu, uel sententia criminali solennitas omissa, uel prętermissa fuerit, uel ordo iuris, & statutorum dictę Terræ peruersus, prætermissus, uel non seruatus fuerit processus, tamen sententia criminalis ualeat, & teneat, & executioni demandetur, perinde ac si ordo, & solennitas iuris, & statutorum plenè, & ad unguem fuerit obseruata; nec occasione aliqua, uel quæsito colore de prædictis, quando de crimine sic constat, Rector, uel quisquā alius possit contra processum, & sententiam aliquid opponere, & attentare quo quo modo; pœna quinquaginta librarum denariorum contrafacienti. Idq; in præteritis, præsentibus, & futuris locum habere uolumus: lege, seu capitulo aliquo non obstante.

De carceratione prohibita. Rub. XII.

RECTOR, uel Iudex, uel alius Officialis neminem carcerare possit, nisi pro grauibus maleficiis, pro quibus principaliter, uel in defectum pœna corporalis ueniret imponenda. Pro aliis uerò non requirentibus pœnam corporalem, ut supra, sub idoneis fideiussoribus relaxentur, ut supra dictum extitit: pęna uigintiquinque lib. denā. tempore syndicatus ab eisdem auferendarum, & Communi dictæ Terræ applicandarum.

De processibus criminalibus expediendis. Rub. XIII.

ORDINAMVS, ut Rector, Iudex, uel Officiales teneantur expedire omnes, & singulos processus, & causas criminales infra mensem continuum à die, quo fuerint initiati, & per sententiam terminare. Grauiores autem, uel atrociores infra quadraginta dies continuos ad plus: pęna quinquaginta librarū denā. pro quolibet, & uice qualibet applicandarum Communi dictæ Terræ de facto. Processus uerò inchoatos, & non expeditos per prædecessorem debeat infra mensem continuum à die reassumptionis expedisse, & terminasse, sub iam dicta pęna, nisi aliquo iusto, & legitimo subsistente impedimēto: quo casu, durante legitimo impedimento, pręfatum tempus non currat.

De copiis processuum, & actorum criminalium dandis. Rub. XIIII.

STATVIMVS, q; Notarius maleficiorum teneatur dare copiam cuicunq; petenti, ipsius expensis, omnium actorum criminalium, nisi de testibus, processu nō publicato, in publicam formam, uel prout pars requirens, seu petens uoluerit. Et habeat dictus Notarius pro copiis dictorum actorum, siue processus, uel testium pro qualibet pagina, seu carta solidos duos, & non ultra; sub pęna dicto Notario, uel alteri Officiali contrafacienti uigintiquinque librarum denariorum Communi dictæ Terræ applicandarū.

De allegationibus bandiendis, & sententiis criminalibus ferendis. Rub. XV.

PRAESENTI Statuto decernimus, q; Rector, uel Iudex, seu Officiales, anteq̄ sententias criminales proferant, debeant per quinque dies ad minus bandiri, uel pręconizari facere per publicum Præconem Communis per loca solita, & consueta, ubi alia bandimenta fieri solent, alta uoce, sono tubæ præmisso, q; omnes, & singuli accusati, denunciati, uel inquisiti in Curia dicti Rectoris, uel Iudicis pro quibuscunque maleficiis, delictis criminalibus, & excessibus compareant ad allegandum, ostendendum, & producendum quicquid uolunt, & possunt infra terminum prædictum. Quo elapso, Rector, uel Iudex præfatus ex speciali ipsius commissione per dictum Præconem bandiri faciat, (ut supra) q; omnes, & singuli de Concilio dictæ Terræ die sequenti uenire debeant ad Concilium in Palatio in loco solito ad sonum campanę, & omnes, & singuli accusati, de-

nunciati, uel inquisiri in Curia præfati Rectoris, uel Iudicis occasione præmissa compareant in loco prędicto coràm Rectore, uel Iudice ad audiendum sententias criminales ferendas per dictum Rectorem, uel Iudicem. Et huiusmodi bandimenta habeantur, & reputentur pro uera, legitima, & peremptoria citatione, ac si de iure esset solenniter facta. Demùm die sequenti de mane, uel sero, uel quando Iudici, uel Rectori uidebitur, in loco solito, & consueto, uidelicet in sala magna Palatii supradicti residentiæ Mag. DD. Priorum ad banchum, pulsata prius campana magna Communis, dictæ sententiæ ferantur, prout iuris, etiam absque præsentia Concilii, dummodo præsentibus Mag. DD. Prioribus, uel saltim maiori parte eorum, Cancellario Communis, & duobus, uel tribus Ciuibus de Concilio: & sufficiat, dictas sententias per Notarium maleficiorum legi, & uulgarizari de mandato Iudicis, uel Rectoris; & ipse Rector, uel Iudex in fine dictarum sententiarum dicat, Condemnamus, uel Absoluimus, etc. Quæ quidem sententiæ criminales dari, & proferri possint quibuscunq; diebus, etiam in honorem Dei feriatis. Et Iudex, uel Rector per se, & non per alium substitutum dictas sententias proferat, nisi Concilio dictæ Terræ aliud uisum fuerit ex aliqua probabili causa. Addentes, q. dictæ sententiæ proferantur per Notarium maleficiorum, duplicatęq; scribantur, uidelicet in libro Curię, & in libro Communitatis dictæ Terræ: pęna Notario contrafacienti uigintiquinque librarum den. De quibus quidem sententiis, uel condemnationibus criminalibus latis uel ferendis nulla fieri possit proposita, uel supplicatio in Concilio Credentiæ, uel generali, & DD. Priores, qui proposuerint, uel talem propositā, seu supplicationem fieri permiserint, in libris ducentis den. condemnentur, & similiter Cancellarius, qui scripserit & nihilominus quicquid contra factum fuerit, non teneat ipso iure, & per Rectorem, uel eius Officiales dicta sententia, uel condemnatio executioni mandetur, perinde ac si nulla proposita, uel supplicatio facta fuisset.

Quòd Rector ultimo mense sui officii non possit aliquem absoluere. Rub. XVI.

AD obuiandum fraudibus, quę quotidie per Officiales committi solent, pręsenti lege decernimus, q. Rector, Iudex, uel eius Officiales ultimo mense eorum officii nullatenus possint aliquem ex causa criminali absoluere, nec minus pronunciare, aliquem absoluendum, uel absolutum, uel alio quocunq; modo, causa, uel quæsito colore: pęna cuilibet ipsorum contrafacienti, & uice qualibet quinquaginta librarum den. de facto absq; aliquo processu ab eisdem, uel aliquo ipsorum auferendarum; & nihilominus quicquid secus per eos, uel alterum ipsorum factum fuerit, sententiatum, pronunciatum, uel absolutum, sit irritum, & inane ipso iure, & per successorem in officio possit reuocari, & annullari, non obstantibus quibuscunque.

De beneficio confessionis, pacis, & solutionis infra tempus. Rub. XVII.

CONFITENTI sponte, purè, ac simpliciter in prima sua excusatione crimē, uel delictum, de quo contra eum proceditur, ita q. ex ipsa confessione condemnari possit absque alia probatione, quarta pars minus totius pœnę, uel condemnationis dimittatur, & relaxetur: exceptis delictis, pro quibus ueniret imponenda pœna corporalis principaliter, uel in defectum pęnę pecuniarię non solutę, uel non soluendæ, uel membri mutilatio, seu amissio, uel ubi ex forma alicuius statuti pœna deberet solui de facto ipso iure irremissibiliter, uel sine diminutione, siue remissione, uel alio modo, quo appareat de mente statuentium fuisse, denegare beneficium prædictum. Si uerò pacem, & concordiā habuerit ab iniuriato, de qua publicum instrumentū coràm Iudice, uel Notario maleficiorum quandocunque ante sententiam produxerit, alia quarta pars pœnę totius quantitatis, in qua deberet condemnari, minuatur, & relaxetur. Si etiam infra decem dies à die latę

sententiæ

sententiæ numerandos cum effectu Camerario, seu Depositario Communis soluerit, alia quarta pars totius pœnæ, uel condemnationis penitus remittatur, adeò q. habita pace, confessione facta, & solutione, (ut supra) ad unam quartam tantummodo totius condemnationis teneatur, & non ultra. Addentes, q. in blasfemiis, periuriis, seu iuramentis Dei, uel Sanctorum, & Sanctarum sufficiat habere pacem à Sacerdote, ut possit dicto beneficio gaudere, nisi contrarium ex forma alicuius statuti dispenetetur. De offensione uerò facta forensi non habitanti in hac Terra, & districtu sufficiat habere pacem à Syndico Communis dictę Terræ. De offensione uerò facta Communi, à Concilio generali sufficiat habere pacem.

De duplicatione pœnarum. Rub. XVIII.

QVIA delicta ratione temporis, loci, & personæ aggrauantur, ideò statuimus, & ordinamus, q. omnes, & singulæ pœnæ imponendæ occasione quorumcunq; delictorum duplicentur in omnibus infrascriptis casibus, uidelicet si cōmissa fuerint in diebus Dominicis, in die Natiuitatis D. N. Iesu Christi, in festo Resurrectionis eiusdem D. N. in festo Pentecostes, in die festiuitatis Corporis Christi, in festiuitatibus Sancti Elpidii de mense Maii, & Octobris, in festiuitatibus Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, in die emporii, siue mercatus, & tempore Nundinarum, præsertim diebus festiuis, durantibus dictis Nundinis. Item duplicentur, & duplicatæ intelligantur de nocte. Nox autem intelligatur post sonum campanæ ad Aue Maria usq; ad orrum Solis exclusiuè. Et similiter duplicentur omnes, & singulæ pœnæ, si delicta commissa fuerint in Palatio publico Communis ubicunq;, & in qualibet parte, ac etiam si in Platea publica Communis, quæ incipiat ante palatium publicum usque ad Turrim magnam Communis inclusiuè, domum D. Pasqualis Bulgaructii, Ecclesiam S. Mariæ misericordiæ, domum Luciani Dominici, uidelicet usq; ad angulum, siue spiculum dictę domus, & domum Communis circum circa præfata loca: duplicentur item in Ecclesiis, uel corám claustris, & cimiteriis, ac iuxta ipsas Ecclesias per unā cannam, in domo, uel ad domū propriam, uel conductam ipsius offensi, uel in apotheca, uel possessione iniuriati propria uel conducta, tempore sponsalitiorum, nuptiarum, celebrationis Missę nouellę, in associatione funeris, in aliquo Concilio publico credentiæ, uel adunantiæ, & in portu dictæ Terræ Sancti Elpidii. Item duplicentur prædictæ pœnæ, si committerentur uerbo, uel facto contra Rectorem, uel Iudicem, uel eius officiales, aut contra Mag. DD. Priores, Cancellarium Communis, aut alios Officiales publicos dicti Communis, aut contra Sacerdotes, Moniales, uel Fratres cuiuscunque ordinis, uel contra Doctores cuiuscunq; professionis, Procuratores, uel Notarios occasione eorum officii, uel Milites, seu Equites Lauretanos, seu alterius ordinis. In quibus omnibus, & singulis casibus uolumus pęnas prædictas duplicari, & q. pœna semel duplicata amplius duplicari non possit. Declarantes, q. ubi per statuta aliqua pœna imponeretur, ipso iure, ipso facto, de facto, uel sine diminutione, uel remissione non possit duplicari, cùm pœna, quæ non potest minui, non debeat etiam augeri.

Quòd appellans, supplicans, uel reclamans in causis criminalibus non audiatur, nisi facto actuali deposito quartæ partis pœnæ. Rub. XIX.

NVLLA prouocatio, appellatio, reclamatio, recursus, supplicatio, nullitas, restitutio in integrum in criminalibus causis admittatur per Rectorem, uel Iudicem, nisi per talem reclamantem appellationem, prouocantem, supplicantem, recurrentem, de nullitate dicentem, uel in integrum restitutionem petentem facto actuali deposito de quarta parte pœnę occasione cuiuscunq; delicti in pecunia numerata in manibus Came-

narii Communis infra biduum à die appellationis, ut supra. Et si deponens prędictus uenerit absolutus, pecunia per ipsum (ut supra) soluta restituatur omninò. Si autem condemnetur, exequatur contra ipsum pro integra summa pęnę, ac pro expensis in huiusmodi causa factis per Commune. Et Rector, Iudex, uel Officiales teneantur præsens statutum ad unguem obseruare, uel obseruari facere: pęna centum librarum denariorum dicto Communi applicandarum.

De arbitrio Rectoris, uel Iudicis, & Curiæ in criminalibus causis. Rub. XX.

VT metu pœnarum inobedientes Rectori, Iudici, uel Curiæ obtemperare discant, statuimus, & ordinamus, & hac in perpetuum ualitura lege sancimus, q; Rector, uel Iudex in criminalibus causis habeat arbitrium, & potestatem mulctandi, & puniendi pro officio exercendo, ubi expediens fuerit, usque ad quantitatem pro primo præcepto quinque librarum denariorum, pro secundo decem librarum denariorum, pro tertio duodecim librarum denariorum. Socius uerò miles usq; ad uiginti bononenorum summá. Alii autem Officiales usq; ad summam uiginti solidorum, dúmodo contra eandem personam eadem die unam mulctá tantùm imponere possit, & indicere, & semper inter unú præceptum, & aliud interuallum unius diei debeat esse. Vltra autem dictam summam Rector, Iudex, uel Officiales prædicti in preceptis inferere nullo modo possint, nec exigere ualeant. Et si secus fecerint, non ualeat ipso iure, & ad prædictam summam reductum intelligatur: & nihilominus Rector, uel Iudex, seu Officiales contrafacientes incidant in pœnam uigintiquinque librarum denariorum, & parti ad interesse teneantur, nisi qualitas casus occurrentis aliud requireret, & urgentissima necessitas aliud suaderet, uel magnum periculum immineret. De quibus arbitrio Rectoris, uel Iudicis, ac etiam Mag. DD Priorum stetur, habita tamen semper super premissis omnibus casibus causę cognitione, & aliter fieri nequeat.

Quòd omnia bona delinquentium sint Communi obligata. Rub. XXI.

PROVT Experientia rerum omnium magistra docet, nonnulli bona sua in fraudem alienant. Iccircò uolentes huic morbo cógruam adhibere medelam, statuimus, & ordinamus, ac præsenti lege perpetuò ualitura decernimus, q; omnia, & singula bona mobilia, & immobilia, iura, & actiones delinquentium præsentia, & futura sint, & esse intelligantur ipso iure obligata nostro Cómuni pro pęnis maleficiorum per dictos delinquentes commissorum, uel committendorum qualitercunque, & omnis alienatio bonorum (ut supra) dicti delinquentis facta infra annum præteritum à die commissi maleficii uxori, uel alicui suo agnato, cognato, uel affini usque in tertium gradum consanguinitatis, uel affinitatis, uel alicui alteri facta præsumatur in fraudem, & contra dicta bona ante alienata, ut supra, fieri possit executio per Rectorem, uel Iudicem, seu Officiales, perinde ac si dicta alienatio facta non fuisset: legibus, seu statutis quibuscunque in contrarium disponentibus non obstantibus.

De pœna blasfemantium, uel maledicentium Deum, uel Sanctos eius, & deuastantium eorum imagines, uel figuras. Rub. XXII.

AD reprimēda facinora eorum, qui à diabolica instigatione comprehensi, blasfemia uerba, uel facta cótra Deum, uel Sanctos eius proferre, uel facere prçsumunt, propter quæ pestilentiæ, terræmotus, & fames in terris oriuntur, humanis legibus, magisq; Diuinis statuimus, & hac perpetuò ualitura lege sancimus, ut si quis Deum, Christum eius Filium, uel Spiritum sanctum, uel B. Virginem Mariam blasfemauerit, seu maledixerit, uel membra,

uel membra, uel loca obscęna alicuius ipsorum, uel alterius ipsorum turpiter nominauerit, uel inhonestè quomodocunque, & quibuscunque uerbis loquutus fuerit, uel dixerit, al despetto de Dio, non lo potria fare Dio, uel alterius prædictorum, uel aliud quid simile uerbum turpe, uel iniuriosum de eis, uel contra eorum aliquem dixerit, uel protulerit, in uigintiquinque libris denariorum ipso facto puniatur. Si uerò blasfemauerit, uel maledixerit aliquem alium Sanctum, uel Sanctam Dei aliquo de prædictis modis, uel similibus, in decem libris denariorum sine aliqua remissione puniatur. Si quis uerò iurauerit per caput, capillos, oculos, nasum, os, aures, manus, pectus, pedes, coronam, clauos, plagas Dei, Christi, uel Beatæ Mariæ Virginis, uel Sanctorum, uel Sanctarum Dei, uel per alia similia, puniatur, & condemnetur de facto in solidis quadraginta. In omnibus autem, & singulis casibus præmissis, cuiuscunque sexus fuerit persona delinquens, si pœnam prædictam sibi impositam secundum modos prædictos infra decem dies non soluerit, lingua eius clauo fodiatur, & ad ostium Ecclesiæ Cathedralis maneat, dum Diuina celebrantur Officia, stet ligatus, durantibus dictis Diuinis Officiis, pro prima, & secunda uice, qua in prædictis, uel aliquo prædictorum contrafecerit, pro tertia uerò, postq̃ cępit fieri consuetudinarius, lingua de ore eius pęnitus abscindatur. Item si quis iurauerit per uultum, corpus, & sanguinem Dei, Christi, uel Beatæ Mariæ Virginis, uel alterius Sanctorum, uel Sanctarum Dei, in libris decem denariorum uice qualibet puniatur, ut supra. In omnibus autem, & singulis casibus totius præsentis statuti quod haberi, & reputari possit, & debeat simile, Rectoris, uel Iudicis arbitrio relinquimus. Si quis uerò picturam, figuram, uel imaginem Dei, Christi, Beatæ Mariæ Virginis, uel alicuius Sancti, uel Sanctæ Dei cum cultello, uel aliquo alio genere armorum, uel quocunque alio cuiuscunque generis instrumenti, uel re studiosè, uel ostinato animo in totum, uel in partem percusserit, inciserit, uituperauerit, uel raserit, seu aliter deuastauerit, seu lapides, lignum, lutum, seu inmunditiam aliquam in eis, uel eorum aliqua studiosè, & ostinatè proiecerit, seu posuerit, uel inmiserit, uel cum eisdem rebus, uel earum aliqua prædictas imagines, picturas, uel figuras, uel earum aliquam percusserit, uel etiam manu tantùm, uel calce in facie alicuius prædictarum imaginum, seu figurarum percusserit, pœna centum librarum denariorum de facto puniatur, & plectatur, & plus, Iudicis arbitrio. Quam pęnam nisi delinquens infra terminum decem dierum currentium cum effectu soluerit, dextera, uel alia una tantùm manus, cum qua prædicta, uel aliquod prædictorum fecerit commiserit, seu patrauerit, sibi pęnitus amputetur, ita q; a corpore omninò separetur. Habeat autem Rector, uel Iudex prædictæ Terræ Sancti Elpidii, uel eius Officiales, & quilibet ipsorum liberam potestatem, facultatem, & auctoritatem de prædictis, & ipsorum quolibet cognoscendi, inquirendi, inuestigandi, & puniendi prædictos delinquentes, & quemlibet eorum per uiam accusationis, inquisitionis, inuentionis, denunciationis, & qualitercunque, & contra eosdem, & quemlibet eorum ad prædictas pęnas procedendi de facto, & sine processu aliquo in continenti, cùm constiterit de prædictis. Et de omnibus, & singulis prædictis, & quolibet prædictorum quilibet habeatur, & reputetur legitimus accusator, & denunciator, & teneatur secretus omninò. Et D. Potestas teneatur conferre accusationem D. Confalonerio, qui D. Confalonerius teneatur, & debeat iurare, illum tenere secretum; & cum uno teste omni exceptione maiore credatur, & habeat quartam partem pœnæ pecuniariæ, & alteram quartam Exequutor, & dimidium Communitas. Et in supradictis omnibus, & singulis casibus pecuniariis delinquens gaudeat tantummodo beneficio confessionis. Nemo autem in aliquo prædictorum casuum audiatur appellans, uel de nullitate opponẽs, uel quocunque modo reclamans, imò auctoritate præsentis nostri statuti inuiolabiliter perpetuis futuris temporibus obseruandi sit omninò præclusa, & interdicta omnis uia, & potestas denegata appellandi, reclamandi, seu de nullitate dicendi: legibus, statutis, cæterisq; contrariis non obstantibus.

De pœna turbantis, uel aliter impedientis Diuina Officia. Rub. XXIII.

VT Diuina Officia omni qua decet, reuerentia, & deuotione celebrētur, statuimus, & ordinamus, q̃ si quis Diuinum quo quo modo turbauerit Officium, dum celebratur, uel etiam celebrantibus, quò minus celebretur, impedimentum scienter præstiterit, in libris quinquaginta den̄. condemnetur, & puniatur. Eadem pœna puniantur turbātes Letanias, uel ipsas celebrantes, seu eis, uel eorum alteri impedimētum quo quo modo præstiterint, dum celebrantur, sexus differentia in prædictis non consideranda. Si quis uerò, dum Diuina celebrātur Officia, per Ecclesiam ambulauerit, seu spatiatum iuerit, in libris quinque den̄. puniatur. Et eadem pœna plectantur ludentes ad pilam, uel alio illicito ludo propè dictas Ecclesias, durantibus dictis Diuinis Officiis.

De pœna committentium proditionem, uel rebellionem. Rub. XXIIII.

CVM Proditores omnibus odibiles sint, etiam illis, pro quibus proditionem fecerint, & grauioribus pœnis digni sint, ideò præsenti statuto sancimus, & ordinamus, q̃ omnes, cuiuscunque sexus sint, qui proditionem aliquam, seu tradimentum, seu etiam rebellionem fecerint, seu fieri fecerint, uel tractauerint contra Communitatem nostram, uel eius Populum, furcis laqueo suspendantur, ita q̃ moriantur omninò, & bona eorū dicto Communi applicentur. Et de prędictis, & quolibet prędictorum accusari, inquiri, & cognosci possit usq; ad annos quindecim post tale commissum delictum: non obstante alio statuto prohibente, ne de commissis ante certum tempus possit cognosci, uel puniri, & alio in contrarium non obstante. Et si qua persona occasione aliqua de prędictis condemnata fuerit, uel bandita, ad hanc Terram, uel eius territorium nullo unq̃ tempore redire ualeat, ita ut perpetuis futuris temporibus habeat exulare, & descendentes nequeant potiri officiis publicis, neque priuilegiis.

De pœna Oratoris, seu Ambasciatoris, qui quomodocunque fines mandati excesserit. Rub. XXV.

CVM fines mandati sint diligenter custodiendi, icciricò statuimus, & ordinamus, q̃ si quis Orator, uel Ambasciator tantę fuerit temeritatis, & audacię, q̃ fines mādati, uel ambasciatæ sibi impositæ per Mag. DD. Priores, uel Concilium dictæ Terræ quo quo modo excesserit, uel mutauerit, in ducentis libris denariorū condemnetur; & nihilominus sit omnibus officiis publicis ipso iure perpetuò priuatus, & emendet damnum Communitati illatum ob mandati excessionem.

De pœna facientis conuenticulam, conspirationem, seditionem, uel similia quęcunque. Rub. XXVI.

VT omnes Homines, cuiuscunque status, uel conditionis existant, ab his perpetuò abstineant, quæ quomodolibet statum præsens liberum, pacificum, & tranquillum possent quomodolibet lædere, turbare, uel ei pręiudicare, hac lege perpetuò duratura ordinamus, q̃ nullus Terrigena, seu Forensis, cuiuscunq; conditionis existat, audeat, uel præsumat publicè, uel occultè facere, ordinare, tractare, uel tractari facere (aut consentire, uel participare) aliquam conuenticulam, conspirationem, seu gentium adunationē, uel coniurationem, tumultum uel rumorem in hac Terra, uel eius Populo, unde Gentium congregatio, & concursus ultra decem personas insurgere possit, sine iusta, euidenti, probabili & legitima causa, (Iusta autem causa intelligatur esse, si quis iniustè offenderetur, derobbaretur, uel alia uiolentia sibi, uel aliis inferretur in personam, uel in rebus.) nec intrabatas,

seu sbar-

seu sbartas in aliqua parte dictæ Terræ facere, uel ponere per se, uel per alium aliquo tempore rumoris, uel alio, quò minus Rector, DD. Priores, uel alii super statu pacifico electi, seu eligendi liberè, & sine aliquo impedimento ire, & redire ualeant, & possint per dictam Terram pro defensione, & tuitione status pacifici, & popularis. Insuper statuimus, & decernimus, q. nulla persona, cuiuscunque status, uel conditionis existat, audeat, uel præsumat publicè, uel occultè dicere, facere, ordinare, consentire, tractare, uel procurare quomodocunque, & qualitercunque aliquid, propter quod possit in aliquo derogari, uel præiudicari pacifico, & libero statui prædictæ Terræ, uel in prædictis, uel aliquo prædictorum dare, uel præstare (cuiuscunq; status, dignitatis, uel præeminentiæ sit) auxilium, consiliũ, uel fauorem: imò si quid de prædictis sciuerit, audierit, siue senserit, subitò, & sine aliqua mora illud, uel illa reuelare, & manifestare teneatur, & debeat DD. Rectori, & Prioribus dictæ Terræ, & ipsis dicere, & nominare prædicta, uel aliquod prædictorum ordinantes, procurantes, seu consentientes: & nihilominus eisdem sic dicentibus, tractantibus, procurantibus, uel consentientibus resistere, & contradicere omnibus uiribus, ne prædictorum aliquod exequatur. Si quis autem, cuiuscunque status, uel conditionis extiterit, contrafecerit in prædictis, uel contrauenerit, seu non obseruauerit prædicta, uel aliquod prædictorum, quæ supra in præsenti statuto continentur, in libris ducentis dñ. puniatur, & condemnetur, uel etiam corporaliter, arbitrio D. Rectoris, uel Iudicis, considerata qualitate delinquentis, & facti conditione. Super quibus omnibus, & singulis Rector, uel Iudex prędictus latissimam habeat potestatem, & auctoritatem ex eius officio inuestigandi, & inquirendi, ac etiam procedendi per accusationem, seu denunciationem & repertum culpabilem in prædictis condemnandi, & puniendi sine solennitate, seu ordine iuris, seu statuti. Et eodem modo procedere possit, punire, & condemnare omnes, & singulos, qui male, & in derisione, uel aliter ineptè loqueretur de Populo, uel societate Populi, seu popularis status. Si quis autem esset suspectus, ne quid prędictorum faceret, attentaret, committeret, uel tractaret publicè, uel occultè, uel aliàs statui populari libero, & tranquillo dictæ Terræ reputaretur suspectus per Reuer. D. Rectorem Prouinciæ, instãtibus Mag. DD. Prioribus, relegetur, & confinetur per duodecim miliaria à Terra, & territorio dictę Terræ, & plus, & minus, arbitrio prædicti Reuer. D. Rectoris Prouinciæ. Nominans uerò aliquam partem, utputa Guelpham, uel Gibellinam, uel aliam quamcunque partem similem, tacitè, uel expressè, directè, uel indirectè sine tumultu, & uociferatione, in libris uigintiquinque denariorum puniatur, & condemnetur. Si autem cum tumultu, & uociferatione in libris centum dñ. mulctetur. Facientes autem alicui sequelam iniuriosè per dictam Terram, uel eius districtum, in libris quindecim dñ. pro quolibet, nisi tempore nuptiarum, sponsalitiorum, funeris, uigiliæ, officii, uel quando iretur extra districtum, uel tempore belli. Intelligatur autem sequela iniuriosa, quando quinque, uel ultra sequerentur unum, uel duos per dictam Terram cum armis, uel sine ad æmulationem alicuius sine honesta, & legitima causa, libero Rectoris arbitrio relinquenda. Denuncians autem, accusans, uel reuelans, seu pandens nominantem partem aliquam, uel sectam, uel facientem contra formam præsentis statuti teneatur secretus, & habeat quartam partem pœnæ, Rectoris arbitrio relinquendam. Pulsans autem aliquam campanam ad arma impetuosè, adeò q. ex inde aliquod delictum, uel malum sequatur, siue proueniat, in libris ducentis denariorum puniatur, & condemnetur, aliàs non teneatur ad pœnam. Si quis autem impetuosè Communis uexillum, uel alicuius contractum acceperit sine licentia Mag. DD. Priorum, uel impetuosè, & malo animo lacerauerit scripturas DD. Priorum, uel aliorum officiorum, seu buxulam aperuerit, in libris ducentis denariorum puniatur, & mulctetur. Si quis autem in aliquo casuum prædictorum pęnam supra statutam non soluerit infra quindecim dies post sententiam latã, manus dextera sibi amputetur, si habeat; aliàs sinistra, uel relegetur arbitrio Reuer. D. Rectoris Prouinciæ.

De pœna offendentium D.Priores,uel Cancellarium Communis. Rub. XXVII.

SI Quis aliquem de DD.Prioribus Populi offenderit,hoc modo pro infrascriptis offensionibus puniatur,uidelicet. Si uerba iniuriosa,uel minaroria,unum,uel plura contra eum protulerit, in libris uigintiquinque den. uice qualibet puniatur. Si contra eorum aliquem manu uacua adminauerit, in libris quinquaginta den.puniatur. Si cum armis, in libris centum. Si uerò cum baculo,uel alio instrumento sine sanguine, aut etiam manu uacua cum sanguine,uel sine,percusserit,in libris ducentis den.puniatur. Si cum armis ferreis aliquem de prędictis percusserit,& ex inde sanguis exierit,in libris tricentis den.puniatur quas nisi infra quindecim dies soluerit,manus dextera sibi pęnitus amputetur,uel confinetur arbitrio Reuer. D. Rectoris Prouinciæ. Si quis autem occiderit aliquem ex dictis D.Prioribus eorum officio durante,capite puniatur,ita q. pęnitus moriatur,& anima eius à corpore separetur,& omnia eius bona publicentur,confiscentur, & Communi applicentur. Si uerò aliquibus ex dictis modis offenderit Cācellarium Communis eius durante officio,pœna dupli puniatur,in qua ueniret puniendus,si aliquem Ciuem offendisset. Si quis autem prædictum Cancellarium occiderit eius officio durante, capite puniatur, ita q. pęnitus moriatur, & omnia bona ipsius publicentur, confiscentur, & Communi applicentur. Si quis autem aliquem ex DD. Prioribus offenderit quo quo modo intra decem dies post eius officium completum, puniatur in duplo eius, in quo puniretur,si alium Ciuem offendisset. Item quicunque intra annum deposito officio Prioratus offenderit aliquem,qui fuerit Prior,occasione dicti eius officii, similiter condemnetur, & puniatur in duplum. De quibus Rector,& Iudex liberum habeat arbitrium inquirendi, & puniendi in pęnis prędictis de facto,& sine aliqua solennitate,seu processu, tam in procedendo,q̄ etiam in condemnando.

De pœna offendentiū Rectorē,Iudicē,uel Officiales dictę Terrę. Rub. XXVIII.

STATVIMVS, q. si quis ita audax reperiatur,q. Rectorem,uel Iudicem dictæ Terræ offenderit,uidelicet si uerba iniuriosa,uel minaroria,unū,uel plura contra eum dixerit,uel protulerit,in libris uigintiquinque den.uice qualibet condemnetur, & puniatur. Si autem contra eorum aliquē manu uacua adminauerit,in libris quinquaginta den. puniatur. Si cum armis,in libris centum. Si uerò cum baculo, uel alio instrumento aliquem de prędictis sine sanguine,aut etiam manu uacua cum sanguine,uel sine percusserit,in ducentis libris den.puniatur ; quas nisi infra quindecim dies soluerit,manus dextera sibi amputetur. Si uerò cum armis ferreis aliquem de prędictis percusserit cum sanguine,in libris tricentis den.puniatur ; quas similiter nisi infra dictum tempus soluerit, manus dextera sibi pęnitus amputetur,uel ad confinium mittatur,arbitrio Concilii. Si quis autem aliquem prædictorum occiderit,capite puniatur, ita q. eius anima à corpore separetur,& omnia eius bona confiscentur Cameræ dictæ Terræ. Si quis uerò offenderit Famulum,uel Officiales dicti Rectoris,uel Iudicis,in quolibet casu prædictorum, ubi pęna pecuniaria ueniret imponenda,in medietate dictarum pęnarum cōdemnetur. Si quis uerò occiderit,capitaliter puniatur, ut supra,cum cōfiscatione bonorum. Rector autem, Iudex,uel Officiales aliquem de dicta Terra,& habitatorem uerbis,uel factis quomodolibet offendentes,pœna dupli puniantur pro quolibet,& uice qualibet,qua puniretur Ciuis simile delictum committens, præterq̄ in actu exercitii ; dummodo tamen honestè se habeat. De quibus specialiter syndicetur.

De Relegationibus,seu Confinibus statuendis. Rub. XXIX.

NE facile,& temerariè homines procedant ad rixas,statuimus, q. Rector,uel Iudex, unà cum Mag.DD Prioribus dictæ Terræ habeant liberum arbitrium relegandi, & confinandi omnes,& quoscunque rixantes corām eis,uel aliquo ipsorum in Palatio residentiæ

dentiæ alicuius eorum, per duos menses, uel ultra, durante officio dicti Rectoris, habito prius uoto Reuer. D. Rectoris Prouinciæ. Pro maleficiis uerò alibi commissis, etiam in absentia prædictorum, tales rixantes per mensem, & ultra, secundum qualitatem delicti, & personarum, relegentur ultra quinque miliaria. Et prędictas relegationes possint facere, & statuere ultra pęnas in statutis contentas. Persona uerò relegata, seu confinata teneatur parere, & obedire dictis Rectori, uel Iudici, & ire ad confinia sibi assignata, & dictum confinium seruare, sub pœna ab eisdem imponenda eorum arbitrio; & nihilominus duplicetur confinium non seruanti.

De carcerum effractoribus. Rub. XXX.

SI Quis pro maleficio carceratus esset, pro quo imponenda esset pęna corporis afflictiua principaliter, uel in defectu non factę solutionis si carcerem fregerit, & inde exierit, pœnam centum librarum deñ. ipso facto incurrat, ultra pęnam delicti, pro qua detinebatur. Si uerò carceratus pro debito fuisset, uel pro pęna pecuniaria, puniatur in uigintiquinque libris deñ. Qui autem non existens carceratus, & publicum dictæ Terræ carcerem dolosè fregerit, seu frangenti ferramenta præstiterit, uel præstari fecerit, uel detulerit ab aliis transmissa instrumenta ad fracturam, eadem pœna puniatur, qua puniri deberet carceratus pro eo, pro quo erat detentus. Et si pro debito, puniatur Communi prędicto ad tantundem, & parti lęsæ ad satisfactionem debiti, pro quo erat principalis carceratus. Si uerò de platea, uel camera alicuius Rectoris, uel Officialis aufugerit, non tamen ianuam effregerit, in libris decem deñ. sine remissione puniatur. Si uerò in camera prædicta detineretur clausus propter qualitatem personæ, uel alia ratione, & ostium camerę fregerit, eisdem pœnis subiiciatur, quibus obnoxii sunt frangentes carceres, ut supra. Et in quolibet dictorum casuum carceratus habeatur pro confesso, conuicto, & testibus superato de omnibus, & singulis delictis, quorum occasione talis detentus detinebatur.

De pœna se opponentium Curiæ. Rub. XXXI.

OPPONENS, aut impediens, uel impediri faciens D. Potestatem, uel eius Iudicem, uel alium Officialem Communis, uel familiarem, uel aliam quamcunque personam, quæ caperet, uel capere uellet, seu captum duceret aliquem malefactorem, uel quando fieret aliqua iustitia, seu executio iustitiæ, uel alicuius sententiæ, uel dictis malefactoribus captis, ducendis, seu iustitiandis dederit auxilium, consilium, uel fauorem ad fugiendum, seu suaserit, & eos fugere, uel euadere fecerit, uel non steterit per eum, quò minus fugerent, uel euaderent, uel quò minus dictæ sententiæ executio fieret: tunc dictus talis sic impediens, uel impediri faciens, uel præstans in prædictis auxilium, consilium, uel fauorē, ut supra, condemnetur, & puniatur eadem pœna, & modo, qua, & quo deberet puniri dictus malefactor, si haberi potuisset in persona aliàs in prędictis bandiatur à dicta Terra, & eius territorio. Si quis uerò Socio Militi, uel alicui alteri Officiali dicti Rectoris se opposuerit, non permittendo se pignorari, uel aliter eos impediendo; si quidem uerbo tantùm, in libris decem ultra pœnam uerborum iniuriosorum condemnetur, & puniatur. Si facto, in libris uigintiquinque deñ. ultra pœnam facti iniuriosi. Si uerò contra Bayulum, uel Famulum, in medietate dictę pęnę puniatur, habita distinctione. Eripiens aliquod pignus de manu Socii Militis. in libris quindecim deñ. sine remissione puniatur. De manu uerò Bayuli, uel Famuli, in libris sex (ut supra) sine remissione puniatur. Occultè autem reaccipiens pignus sibi acceptum, pęna furti teneatur. Eripiens autem, eximens, uel euadere faciens de manibus Curię aliquem captum pro debito ciuili, ultra pęnam aliarum iniuriarum in libris quinquaginta deñ. puniatur: & nihilominus ad omnia damna, & interesse illius, ad cuius petitionem captus fuit, integrè reficiēn. condemnetur.

Si quis aliquem testari, uel contrahere prohibuerit. Rub. XXXII.

VT unicuique libera sit facultas testandi, & de bonis propriis disponendi, præsenti statuto ordinamus, quod si quis directè, uel indirectè aliquam personam libere testari prohibuerit, seu aliter in ultima uoluntate de bonis, & rebus suis disponere, siue cohercendo, siue aliter impediendo, uel non sinendo liberè testari, uel disponere, (ut præfertur) in libris cētum deñ. condemnetur, & puniatur, & ipso facto omne ius, omnemq; actionem, seu commodum, quod in bonis, uel ad bona talis personæ prohibitæ haberet, seu habere posset, uel speraret, perdat, & amittat, perpetuòq; sit priuatus. Eadem pœna puniatur, qui alium subornauerit, uel cōmiserit, ut hoc faceret. Minans uerò alicui, si non dat, uel sibi non promittit, uel si quem alium contractum, uel quasi, uel aliam obligationem, liberationem, uel relictum non facit, uel minans alicui, si aliquod prędictorum, uel similium nō facit, uel non dat, in quinquaginta libris deñ. puniatur, & similiter ad damnum, & interesse illius, cuius interest, condemnetur.

De priuato carcere. Rub. XXXIII.

RETINENS aliquem in carcere priuato inclusum, ipsum propria libertate priuando, per spatium unius diei sine licentia D. Rectoris, in libris ducentis deñ. puniatur; quas si infra decem dies non soluerit, relegetur arbitrio Concilii generalis, cum uoto tamen Reuer. D. Rectoris Prouinciæ, nisi retinens aliquod ius in retento habeat, ut maritus in uxore, pater in filio. Cui patri liceat filios ebrios, aleatores, lusores, impudicos, dissolutos malorum morum, sibi, uel matri inobedientes, non solùm includere, & retinere in priuato carcere sine aliqua temporis præfinitione, sed etiam uirgis cædere, & baculis percutere, moderatè tamen, & etiam cum attenuatione, & diminutione cibi in aqua, & pane, pro arbitrio suo, dummodo inde non sequatur mors, uel membri, uel officii membri impedimentum, uel damnum. Quam eandem licentiam concedimus maritis contra uxores propter causas prędictas, uel quia inuenerint eas suarum substantiarum dissipatrices, & propter alias causas, pro quibus ad Palatium accedere dedecus esset: & nisi retentus esset furiosus, uel mentecaptus, uel inimicus Communi dictæ Terræ. Possit tamen Iudex undecunque per lata quærimonia, seu notitia habita, contra mariti sæuitiam prouidere, dūmodo cum consensu coniunctorū, & ipsorū consilio faciat secretè, & extraiudicialiter.

De Assassinis, & eorum pœnis. Rub. XXXIIII.

NEFANDVM Assassinii scelus punire cupientes, statuimus, quod si quis in Terra, & territorio Sancti Elpidii offenderit, uel offendi fecerit aliquam personam per aliquem assassinum, seu per modum assassinii cum aliquo genere armorum cum sanguinis effusione, nec mors, nec cicatrix in facie perpetuò remansura, uel etiam detruncatio, abscissio, uel debilitatio perpetuò duratura alicuius membri, uel nerui, uel officii membri illata, facta, sequuta, uel sequutura fuerit, sic offendens, uel offendi faciens cōdemnetur, & puniatur in libris tricentis deñ. quas nisi infra decem dies soluerit, uel soluere non potuerit, manus dextera sibi pęnitus amputetur. Assassinus uerò sic offendens in libris sexcētis deñ. condemnetur, quas nisi infra quindecim dies soluerit, uel soluere nō potuerit, manus dextera sibi amputetur, & nasus, ut ab omnibus cognoscatur, & perpetuò à Terra, & territorio exulet. Si uerò Assassinus aliquis aliquā personam percusserit, uel offenderit, ex qua percussione, uel offensione mors sequuta fuerit, laqueo furcis suspēdatur, ita ut moriatur, & bona sua omnia confiscentur. Si uerò cicatrix in facie perpetuò remansura sit, uel membri abscissio, detrūcatio, uel debilitatio nerui perpetuò duratura percutiēs in libris octingentis deñ. condemnetur, & puniatur, quas si non soluerit, uel soluere non potuerit infra

dictum

dictum tempus,manus sibi amputetur dextera, & auricula dextera. Et eisdem pęnis plectatur percuti,uel offendi faciens,uel mandans, Si quis autem,mandante,seu fieri faciente aliquo eius consanguineo usque in tertium gradum de iure Canonico exclusiue computandum,ad uindictam iniurię tali mandanti,seu fieri facienti quomodolibet illatę,percusserit,seu offenderit illum,qui prius tali mandanti,uel fieri facienti,ad uindictam, iniuriam intulerit,pęna huius statuti ligari,seu puniri nolumus,nisi per corruptelam pecunię, uel alterius rei percusserit,uel offenderit,etiam ad uindictam prafatam,sed aliis pęnis statutorum. Et tam faciens,seu sic offendens,q̃ etiam mãdans,seu fieri faciens pari pęna puniatur. Et nõ intelligatur assassinus,qui de mandato talis consanguinei,de quo supra dicitur,sic offenderit,(ut præfertur)nisi pecunia,uel alia re corruptus,uel etiam pactus percusserit,seu offenderit. Et(ad terrorem,& exterminiũ assassinorum)statuimus,q̃ si quis in aliqua Terra,uel loco pro assasino, seu de assasinatu fuerit condemnatus,& ad hanc Terram,uel eius territorium uenerit,& inuentus fuerit,& de tali condemnatione per publicum instrumentum constiterit,iterato per Rectorem dictæ Terrę cum nouo processu,uel sine,libero Rectoris arbitrio puniatur,& condemnetur in persona,& ęre de assasinatu alibi commisso, de quo constiterit(ut præfertur.) Et auctoritate præsentis statuti quilibet forensis assasinium extra dictam Terram,& territoriũ faciens, uel committens, seu qui commiserit in præteritum,uagabundus reputetur,& habeatur. Volumus etiam, q̃ si in dicta Terra,uel eius territorio repertus fuerit aliquis assasinus famosus,uel quem constet Rectori assasinum esse,uel fuisse per tres testes super inde de publica fama,& uoce restificantes,licèt talis sic repertus forensis sit,& in dicta Terra, & territorio nõ delinquerit per modum assasinatus, neque assasinatum ibi commiserit, tamen libero Rectoris arbitrio in persona, & ęre puniatur. Et si Rector decreuerit eum condemnare in minori pœna mortis, ipsum repellat omninò de dicta Terra, & territorio,& eundẽ in bando perpetuò ęris,& personæ ponat,& condemnet. Assasinus autem intelligatur, & reputetur auctoritate præsentis statuti qui pecunia,uel alia re corruptus,uel pactus aliquam personam offenderit,uel percusserit mandato alterius,seu altero fieri faciente,interueniẽte corruptela,seu pacto pecuniæ,seu alterius rei cuiuscunque. Item si quis extiterit mediator inter assasinum,& facientem assasinatum cõmitti,uel fieri,aut pecuniæ, uel alterius rei depositarius siue expromissor ad hoc interuenerit,uel fuerit scienter,in omnibus, & per omnia habeatur,intelligatur,& puniatur ut assasinus prædictus. Et de contentis in præsenti statuto procedi,cognosci,& puniri possit quicquid sic fuerit commissum,ut in præsenti statuto continetur tempore Rectoris cognoscentis,seu procedentis de pędictis,uel ante intra quinquennium commisi maleficii. Et hoc locum habeat in futuris.

De intercipientibus,auferentibus, & surripientibus de bonis Communis mobilibus. Rub. XXXV.

SI Quis pecunias,uel alias res,seu bona Communis,seu ad ipsum Commune pertinẽtia,& spectantia,siue peruenta,uel peruenienda,mobilia dumtaxat,qualitercunque,& quomodocunque auctoritate,seu temeritate propria abstulerit, interceperit, surripuerit, subtraxerit,seu occupauerit,seu auferri, intercipi, surripi, subtrahi, seu occupari dolosè in præiuditium dicti Communis fecerit,procurauerit,seu consuluerit : cum effectu ad restitutionem sic ablati,intercepti,surrepti,seu occupati,uel eius extimationẽ, & in triplo pluris,libero Rectoris arbitrio,etiam de facto,& sine processu aliquo,uel scriptura puniatur. Et contra omnes,& singulos,qui in prædictis, seu aliquo prædictorum deliquerint, Rector quilibet dictæ Terræ habeat liberum arbitrium inuestigandi,inquirendi, & procedẽdi,& repertos culpabiles(ut prefertur)puniendi,& condemnandi, & habeat quartã partem pœnæ pecuniariæ,quam occasione prædictorum , uel alicuius eorũ cum effectu nemire fecerit in Commune. Quæ quarta pars postea de bonis talis condemnati,seu puniti

detrahatur,& exigi debeat pro Commune. Et Rector occasione condemnationis seu pœnæ,quam fecerit,seu statuerit contra aliquem occasione aliqua, de prędictis nō possit nec debeat syndicari,nisi de furto,& barattaria duntaxat. Et in prædictis nullus audiatur appellans,seu de nullitate opponens,uel opponere uolēs. Et hoc statutum quilibet Rector semel in mense bandiri faciat,sub pœna uiginti librarum denariorum.

De pœna committentis barattariam, seu fraudem in eius officio. Rub. XXXVI.

DECET administrantes officia publica habere manus mundas,& ab illicitis se abstinere. Ideò prȩsenti lege sancimus,q. si quis habens à Commune, seu pro Commune officium publicum, seu etiam publicam administrationem in eius officio,& in administratione,uel eiusdem officii,seu administrationis obtentu,seu respectu aliquam barattariam,furtum,extorsionem,fraudem,seu turpem quæstum commiserit,fecerit,seu exercuerit,aut committi,fieri,aut exerceri fecerit,uel mandauerit,siue participauerit,siue factam gratam,& ratam habuerit,in libris centum denariorum de facto,& sine aliquo processu,& scriptura puniatur,& nihilominus etiam ad restitutionem eius,quod exinde peruenerit ad eum,uel eius extimationem in duplo pluri Communi condemnetur, & puniatur, & quicquid prætextu,occasione,seu respectu,uel interuentu alicuius de prædictis actum, factum,uel sequutum fuerit,nō teneat ipso iure. De quibus omnibus,& singulis Rector, uel Iudex liberum habeat arbitrium inuestigandi,inquirendi,& procedendi contra sic delinquentes,ipsosq; in prædictis pœnis puniendi,& condemnandi,& à sententiis sic latis, seu pœnis impositis occasione præmissa non possit appellari, seu de nullitate dici. Et ne dubietas oriatur, quis intelligi debeat in officio publico, seu in administratione publica, seu ipsius officii,uel administrationis occasione,seu respectibus prædictis,ut sit commissum,seu factum,aut mandatum,participatum,seu ratum, aut gratum habitum, Rectoris,uel Iudicis arbitrio,uel DD. Priorum huius legis auctoritate sit commissum. Si uerò Rector,uel Iudex,uel eius Officiales aliquid prædictorum commiserint,etiam in præfata pœna puniantur,& condemnentur.

De pœna committentis robbariam,plaggium,& deuiantis,uel seducentis Famulas,& his similia. Rub. XXXVII.

PER uim,uel uiolentiam aliquem derobbans in Terra, uel territorio Sancti Elpidii in aliqua domo,uel extra in itinere,uel etiā in mare,seu littore maris: si res ablata fuerit ualoris quadraginta solidorum,uel infra,in libris quinquaginta dēn. puniatur. Si quis uerò aliquam personam cęperit,seu captiuauerit causa ipsam derobbandi,uel ipsam redimi faciendi,talleam imponendo: siue talis persona capta,seu captiuata derobbata fuerit, siue non,siue redempta fuerit per se,uel per alium,siue nō, in libris ducentis dēn. puniatur de facto absque aliqua remissione:quas nisi infra decem dies soluerit uel soluere non poterit,fustigetur,& perpetuò à Terra,& territorio dictæ Terræ exulet. Si quis autem prędicta,uel aliquod prædictorum committi fecerit uel mandauerit,seu facta, uel commissa participauerit scienter,& dolosè,siue prædicta,uel prædictorum aliquod committēti,seu ad committendum,uel faciendum aliquid de prędictis auxilium,consilium,uel fauorem dederit,seu præstiterit,eadem pœna puniatur. Si quis uerò publicus,& famosus latro,uel derobbator aliquam robbariam,rapinam,latrocinium, siue furtum fecerit, uel commiserit de quantitate,seu extimatione superius scripta,uel maiori,uel de re, seu rebus tantùm, uel ultra ualentibus,furcis laqueo suspendatur,ita q. moriatur:& in quolibet casuum prædictorum ad restitutionem rei,seu pecunię sic ablatæ,& emendā damni,si quid inde contigerit, condemnetur: & nihilominus omni iure, quod in tali re sibi competeret, sit ipso iure priuatus. Seducens autem,uel deuians extra Terram,& districtum dictę Terrę alienum si-

num filium, uel filiam in potestate constitutum, uel constitutam, siue non, inhonesto modo, uel causa, uel contra bonos mores plagium committens, deinde si seductum, uel seductã in Terra, uel territorio dictæ Terræ conduxerit, uel conduci fecerit, uel è contra si qua persona aliquem, uel aliquã talem in Terra, uel territorio dictæ Terræ sic conduxerit, (ut præfertur) deinde sic seductum, uel seductam extra dictã Terram, & districtum conduxerit, uel conduci fecerit, in quolibet casu prædictorum in libris ducentis dñ. condemnetur, & puniatur. Seducens uerò aliquem famulum, seu famulam alicuius Ciuis, & habitatoris dictæ Terrę absque licentia domini, in libris centum dñ. condemnetur. Et Rector, uel iudex pro tempore existens teneatur exigere, uel exigi facere dictas pœnas, alias mittatur, & computetur in eius salario. Quis autem intelligatur, & intelligi debeat, prędictis modis, uel aliquo eorum seduxisse, & conduxisse, seu conduci fecisse, Rectoris, uel Iudicis arbitrio relinquimus: & de plagio, seductione, & conductione prædictis, & his similibus commissis, seu factis tempore sui officii, uel ante per tres annos cognoscere, procedere, & punire ualeat, non obstantibus quibuscunque.

De auferente per uiolentiam rem mobilem. Rub. XXXVIII.

SI Qua persona per uiolentiam rem aliquam mobilem abstulerit ualoris centum solidorum, uel ab inde infra, unam, uel plures, seu pecuniam usque ad summam centum solidorum inclusiuè, uel infra, dum tamen hoc animo, seu proposito furandi fecerit, seu rõ miserit, in libris uigintiquinque dñ. puniatur. Si autem pecuniam, uel rē, seu res excedentes ualorem centum solidorum supra usque ad decem libras inclusiuè, sic ut prędictũ est, abstulerit, in libris quinquaginta dñ. puniatur. Si uerò pecuniam, uel res ultra decem libras ualentes, quantacunque pecunia sit, uel extimatione (sic ut præfertur) abstulerit, in centum libris dñ. puniatur. Et in quolibet prędictorũ casuum ad rei, seu pecunię sic ablatæ extimationem, & damni (si quid inde contigerit) refectionem condemnetur: & nihilominus iure (si quid in tali re ablata competebat sibi) sit ipso facto priuatus. Furti uerò pœna cùm pręter animum, & propositum furandi sit factum furtum, non habeat locum in casibus huius statuti. Prædictæ uerò pęnæ, uel earum quæcunque locum non habeant contra eum, qui quicquam abstulerit alicui inuentro, seu reperto in eius possesione, uel re damnum dare, dumodo eadem die, uel sequenti Rectori, uel eius Curiæ notificet.

De pœna imponentium talleam, seu facientium redimi per talleam, uel similia. Rub. XXXIX.

OMNES. & singulos reddi tutos, & securos desiderantes, (contra fastum nonnullorum, qui alienam substantiam suis usibus turpiter applicare, & auferre procurãt) hac lege statuimus, q; si qua persona sub minis, uel metus impresione ab aliqua persona pecunias, uel rem aliquam postulauerit per se, uel alium, siue per eius literas, seu talleam sic imposuerit alicui personæ, seu aliquam personam sic redimi fecerit aliqua re, uel pecunia, realiter, & personaliter Rectoris arbitrio puniatur. Et eadē pęna ille puniatur, qui in præmissis, uel aliquo eorum nuncius, aut ambasciator fuerit, aut super inde literas portauerit, si scienter tale quid fecerit, uel in prędictis, uel eoꝝ aliquo auxilium, & fauorem prę stiterit.

De HOMICIDIO. Rub. XXXX.

QVONIAM Hominem beneficio afficere Hominis interest, & non trucidare, ideò pręsenti lege perpetuò ualitura sancimus q; si qua persona studiosè hominem interfecerit, necauerit gladio, ueneno, siue quocunq; alio instrumento, uel quocunq; alio modo, aut sic trucidari, interfici, seu necari, uel occidi fecerit, & mãdauerit, & homicidium

consumatum fuerit, tàm mandans, q̄ qui fecerit, capite puniatur, ita q̨ moriatur, si in fortiam Curiæ peruenerit, & hoc casu eius bona non publicentur. Si autem in fortiam Curiæ non peruenerit, tunc condemnetur in pœna capitis, ita q̨ anima à corpore separetur, si quo tempore in fortiam Rectoris, uel Iudicis peruenerit, & eius bona præsenti casu publicentur, & publicata intelligantur. Pariq́ modo, & pęna quęlibet mulier puniatur, quæ studiosè, & ex proposito fecerit, seu pepererit abortiuum: & etiam quælibet persona, quæ abortiuū fieri, seu nasci fecerit, uel mandauerit, eodem modo, & eadem pęna omninò puniatur, ut supra. Si uerò mors inde sequuta non fuerit, puniatur in libris ducentis den. & agentes, & consentientes in præsenti casu eadem pœna puniantur. Qui autem ad prædicta auxilium, consilium, uel fauorem scienter pręstiterit, in libris quingentis dēn. condemnetur, quas si infra mensem à die latæ sententię numerandum non soluerit, ei manus dextera amputetur. Si quis autem nō ex proposito, neq; studiosè, sed casualiter, culpa aliqua nō interueniente, hominem occiderit, necauerit, siue interemerit, in libris quingentis dēn. puniatur, reseruata tamen in omnibus prædictis casibus filiis legitima. Et de contentis in præsenti statuto quilibet Rector possit inquirere, ac etiam procedere, cognoscere, & punire, si quid de ipsis fuerit commissum tempore sui officii, uel intra quinque annos proximos. Et hoc statutum locum habeat in futuris.

De Maleficis, Veneficis, & similibus. Rub. XLI.

SI Quis, seu si qua Maleficam, Veneficam, seu Nigromantiam artem exercuerit, seu quicquā ad prędicta pertinens fecerit quo quo modo, seu exercuerit, seu fieri, uel exerceri fecerit, cuiuscunque sexus sit, uiuens igne comburatur, eiusq́ bona publicentur.

De Adulterio, Stupro, Incestu, raptu Virginum, Sanctimonialium, uitio Sodomitico, & infrascriptis. Rub. XLII.

CVNCTOS pęnarum metu à criminibus arcere uolentes, ordinamus, q̨ si quis Monialem, seu Monacham alicuius Monasterii inuitā rapuerit, seu de loco, in quo fuit rapta, ad alium per uim transtulerit causa carnaliter cognoscendi: siue ipsam cognouerit, siue non, capitaliter puniatur, ita q̨ moriatur omnino. Et eadem pœna puniatur carnaliter cognoscens uiolenter Monialem, seu Monacham in Monasterio. Si autem uolentem, & consentientem carnaliter cognouerit, licèt in Monasterio, uel alibi, pęna ducentarum librarum sine remissione infra quindecim dies soluendarum à die datę sententię puniatur, aliàs publicè per dictam Terram fustibus cędatur. Attentans uerò committere prædicta, non tamen ueniens ad aliquem actum, in centum libris dēn. puniatur, quas nisi infra dictum terminum soluerit, fustigetur, ut supra. Et si in fortiam Curiæ non uenerit, eius bona publicentur, & quando condemnandus esset propter raptum, uel uiolentiam, pœna mortis (ut supra) irrogetur. Cognoscens uerò consanguineā suam in primo, secundo, tertio, uel quarto gradu constitutam carnaliter uolentem, in libris ducentis dēn. condemnetur. Attentans uerò, non tamen cognoscens, in libris centum dēn. puniatur. Si uerò uiolenter cognouerit, nō interueniente raptu, pœna duplicata puniatur. Si uerò rapuerit, transferendo de loco ad locū, pœna mortis naturalis, & publicationis bonorū (quemadmodum dictum est supra de Monialibus) condemnetur. Affinem uerò in primo, secundo, tertio, uel quarto gradu affinitatis coniunctam uirginem carnaliter contra eius uoluntatem cognoscens, pęna ducentarum librarum dēn. sine diminutione aliqua puniatur: quas si infra quindecim dies nō soluerit, publicè fustigetur, ut supra. Si autem uolentem cognouerit, in libris centum dēn. soluendis ut supra, puniatur. Qui autē non coniunctam consanguinitate, uel affinitate carnaliter cognouerit: si uiolenter, pęna ducentarum librarum puniatur: & si uolentē, in medietate dictę pęnę puniatur. Si autem cum raptu, pœna

pœna mortis naturalis, & publicatione bonorum, ut dictum fuit de cognoscentibus, seu rapientibus Moniales. Si autem attentauerit uiolenter cognoscere, in libris quinquaginta denariorum, ut supra soluendis, puniatur. Gradus autem in prædictis computetur secundum ius Canonicum. Vxorem uerò alienam bonæ uitæ, & famæ uolentem carnaliter cognoscens, pœna centum librarum denariorum mulctetur, & puniatur, nisi mulier cognita fuerit uilis, & humilis conditionis: quo casu pęna quinquaginta librarum denariorum puniatur. Si autem uiolenter cognouerit eam, pęna duplicata puniatur: quam si non soluerit infra quindecim dies à die latæ sententiæ numerandos, publicè fustigetur. Si autem attentauerit uiolenter cognoscere, in libris centum denariorum puniatur. Attentare autem intelligatur, qui in domo, seu fundo mulieris, uel alterius intrauerit, & eam personaliter ceperit, uel tertigerit, aut osculatus fuerit. Alienam uerò uxorē non bonę, nec honestæ uitæ, & famæ uolentem carnaliter cognoscens, pœna uigintiquinq; librarũ deñ. puniatur. Si uerò contra eius uoluntatem cognouerit eam, in libris centũ deñ. puniatur. Mulierem uerò fuisse, uel esse non bonæ, nec honestæ uitæ, & famæ, sufficiat probari per quinq; testes per publicam uocem, & famam deponentes. Viduam uerò honestæ famæ uolentem cognoscens, in libris centum deñ. puniatur: & si contra eius uoluntatem, in libris ducentis. Quas si non soluerit infra quindecim dies, ut supra, publicè fustigetur. Si uerò rapuerit, transferendo de loco ad locum, eisdem pęnis, quibus cognoscentes, & rapiētes Moniales, ut supra dictum fuit, puniatur. Famulam uerò pactualem, pedissequam, uel ancillam alienam non coniugatam, neq; uirginem honestæ uitæ si quis cognouerit, in libris centum deñ. puniatur; quarum medietas applicetur Communi, altera uerò dictę famulę cognitę. Si uerò fuerit uirgo, uel coniugata, duplici pęna puniatur carnaliter cognoscens, & diuidatur ut supra. Si quis uerò per uim carnaliter cognouerit, pęna duplicetur, & diuidatur ut supra. Famulam uerò suam ancillā, uel pedissequam carnaliter cognoscēs uiolenter, in libris quinquaginta deñ. puniatur: uolentem autem, in libris uigintiquinq;. Violenter uerò attentans cognoscere, pęna triginta librarum deñ. puniatur. Et in omnibus, & singulis prædictis casibus uolumus, q; mulier, quæ sponte passa fuerit se carnaliter cognosci, in medietate dictarum pęnarum puniatur, quibus masculi. Nefandum autem uitium Sodomiticum, propter quod fames, & pestilentię oriri solent, quicunq; commiserit, siue cũ masculo, siue cum fęmina: si agens fuerit maior decem et octo annis, legalibus pœnis puniatur: si uerò minor, in ducētis libris deñ. condemnetur sine aliqua remissione. Patiens uerò maior quatuordecim annis in ducentis libris deñ. condemnetur. Quas pęnas pecuniarias nisi soluerint tam agentes, q̄ patientes, & iterũ relapsi fuerint, ultra pęnas prædictas fustigentur per dictam Terram. Iudęam uerò si quis Christianus cognouerit, pęna ducentarum librarum deñ. puniatur absq; aliqua diminutione. Iudęus uerò Christianam carnaliter cognoscere præsumens, & carnaliter cognoscens, (prius genitalibus, & lingua abscissis, cum publicatione bonorum) igne concremetur. Attentans uerò Christianam cognoscere, pœna quingentarum librarum deñ. puniatur absq; aliqua remissione. Subducens autem aliquam puellam, uel puerum, seu mulierem causa libidinis per modum lenocinii, seu lenocinium attentans committere de muliere supradicta, puella, uel puero, pœna ducentarum librarum deñ. puniatur. Si quis autem cum animali bruto carnaliter coiuerit, uiuus unà cũ dicto animali bruto concremetur. Mulier autem nupta, quę sponte passa fuit se carnaliter cognosci, ultra alias pœnas superius statutas, ipso facto eius dote sit priuata. Deosculans uerò uirginem aliquam, uel aliam mulierem bonæ famæ per uim, in quingentis libris deñ. cōdemnetur: quas nisi infra decem dies soluerit, fustigetur publicè per dictam Terram. Si uerò deosculans aufugerit, pater pro eo legitimam Communi soluere teneatur. Declarantes, q; de contentis in præsenti statuto nullus Rector, uel Iudex possit cognoscere, uel procedere, nisi per accusationem patris, fratris carnalis, & ex utroque, uel altero parente, patroni, uel domini, uel patrui mulieris carnaliter cognitæ. Et si aliter procedatur, quàm per accusationem alicuius prædictorum, non teneat ipso iure.

Exceptis uitiis, Sodomitico, cognitione carnali, seu attentatione Monialis, uel carceratæ heremiticè uiuentis, coitu carnali Christiani cum Iudæa, & Iudæi cum Christiana, crimine incestus usque in gradum superius annotatum. Et excepta etiam subductione alicuius pueri, uel puellæ, uel mulieris causa libidinis, seu carnalis coitus per modum lenocinii, uel etiam attentantis lenocinium committere. De quibus omnibus, & singulis casibus possit per inquisitionem procedi, fama publica præcedente: ad cuius probationem quinque testes sufficiant. Addentes, q; Lenones, seu Lenæ per Rectorem, uel Iudicem exbandiantur à Terra, & territorio dictæ Terræ, & nullatenus reuerti possint, nisi arbitrio Concilii dictæ Terræ.

De FVRTIS. Rub. XLIII.

FVRTVM faciens in dicta Terra, & eius territorio rei, uel rerum ualoris quinque solidorum, & infra, in quatuor libris denariorum puniatur. Si quis uerò rem furatus fuerit ualoris à quinque solidis usq; ad decem, & infra, in decem libris denariorum puniatur. Si autem res furata fuerit ualoris à decem solidis usque ad uiginti, puniatur delinquens in uiginti libris denariorum. Si autẽ rei furatæ ualor fuerit à uiginti solidis usq; ad quadraginta, condemnetur delinquens in quadraginta libris denariorũ. Si uerò summa ascenderit à quadraginta solidis usque ad centum, in centum libris denariorum puniatur delinquens. Si uerò rem quis furatus fuerit maioris ualoris centum solidorum usq; ad decem libras, in ducentis libris denariorum condemnetur delinquens. Ab inde uerò supra usque ad uigintiquinque libras, puniatur delinquens in quingentis libris denariorum, & sic deinceps, iuxtà rei, uel rerum subtractarum ualorem, uel extimationem. Quas nisi infra terminum decem dierum à die latæ sententiæ soluerit, uel soluere non potuerit, nudus fustigetur per dictam Terram, uel aliter, Iudicis, uel Rectoris arbitrio corporaliter puniatur. Et prædicta intelligantur, & locum habeant pro primo furto. Pro secundo autem furto facto per interuallum unius diei ad minus post primum de quacunque quantitate, extimatione, uel re, pena fustigationis puniatur, & à Terra S. Elpidii, eiusq; territorio bandiatur per triennium. Si quis uerò, ultra duo furta, tertium furtum, uel plura etiam extra territorium commiserit, suspendatur per gulam in furcis, ita q; moriatur, dum tamen tertium furtum, uel quartum, uel ulterius in dicta Terra, uel eius territorio commiserit, uel fecerit, aut factum alibi in dicta Terra contractauerit: & dumodo etiam omnia furta per ipsum facta excedant summam centum librarum denariorum. Quòd si non excedant, Iudicis arbitrio puniatur: non obstante q; plura furta commiserit. Arbitrium uerò tale non se extendat, nec extendatur ad mortem naturalem furcis, sed citra. Et insuper in quolibet casu præsentis statuti delinquens ad restitutionem rei, uel rerum subtractarum, uel eius extimationem in duplum teneatur, ultra extimationem earum; de quarum rerum subtractarum extimatione stetur sacramento domini damnum passi. Minor uerò quatuordecim annis, maior tamen decem doli capax aliquod furtum cõmittens possit pro qualibet uice usq; ad uiginti libras inclusiuè, & ad restitutionem rei furatæ condemnari, & nõ ultra, nec aliter in persona, uel rebus, inspecta etiam qualitate delicti, & etiam conditione personæ. Fures uerò contractantes hic furta alibi commissa, seu cum ipsis uenientes, pro primo, uel secundo furto puniantur in pœnis supradictis, & conditionibus suprascriptis. Pro tertio uerò furto dicti fures puniantur, ut superius declaratũ est: & nihilominus res subtractas cum duplo extimationis earũ reddere compellantur. Nocturni uerò, seu diurni publici, & famosi fures, seu raptores in dicta Terra, uel eius territorio furtũ aliquod, uel rapinam committentes, aut commissam alibi in eadem Terra, uel territorio contractantes, Iudicis, & Rectoris arbitrio in persona, etiam usque ad mortem inclusiuè puniantur. Volumus autem, decernimus, & ordinamus, q; hi tantùm publici, & famosi fures, & raptores haberi, & reputari debeant, (ut supra) & condemnari possint, & debeant, qui

tria

tria furta, aut etiam tres rapinas commiserint excedentia, seu excedentes summam ducentarum librarum denariorum, ut superius dictum est à nobis. Quę in processu, & sententia omninò exprimi debeant: & aliter non possint, nt publici, & famosi fures, & raptores puniri, & condemnari. Quicunque autem inuenti fuerint cum furtis, uel rapinis, uel cum rebus furatis, uel raptis fugientes, possint à quocunque capi, & uerberibus affici, ac detineri: & si se telis, uel armis defenderint, possint impunè à quocunque occidi. Si quis autem in domo suæ habitationis aliquam personam suspectam inuenerit, & uerisimile sit in eadem domo furandi, uel alia illicita, seu inhonesta causa intrasse, liceat inuentori, suæq; familiæ sic inuentum capere, & ad Curiam ducere, & etiam percutere sine pœna, citra mortem tamen: dumodo postea fides habeatur, ꝙ ille talis illicita, & inhonesta causa in eam domum intrauerit: aliàs percutiens pœnis statutorum præsentis uoluminis puniatur: attentis qualitatibus personarum, & temporum. Huic autem præsenti statuto adiicimus, ꝙ si aliqua persona simul, & semel sine temporis interuallo plures res furata fuerit, pro uno furto tantùm puniatur, & puniri debeat. Statuta uerò damnorum datorum in suo robore firma perdurent, nisi ipsis expressè per statutum aliquod derogetur. Item si quis patronus eius Bubulcum, seu pactualem, uel seruientem de furto, cuius quantitas, uel extimatio solidos quadraginta non transcendat, accusauerit, uolumus, ꝙ iuramento patroni stari debeat, nec super tali accusatione aliæ probationes exigantur. Quo casu talis accusatus condemnari ualeat ad talem rem, uel quantitatem restituendam, quę furto subtracta dicitur, & ad tantundem. Item si quis Bubulcus sine domini licentia uendiderit aliquam operam bobum, in solidis centum puniatur uice qualibet: cuius pœnæ medietas sit patroni de hoc accusantis. Et idem, eodemq; modo statutum intelligatur in eo, qui pacto astrictus est non laborare nisi terrenum, seu possessionem patroni, uel domini paciscentis, saluis semper manẽtibus casibus inferius annotatis in sequenti statuto. Declarantes, ꝙ in omnibus, & singulis supradictis casibus, in quibus principaliter pecuniaria pœna est statuta, non prosit beneficium pacis, sed tantùm confessionis, & solutionis beneficio delinquẽs gaudeat. In personalibus autem principaliter nec pax, nec confessio prosit quicquam.

De pœna furantium alueos, uel cupos apium. Rub XLIIII.

STATVIMVS, & ordinamus, ꝙ si quis alueos, arnas, apes, uel cupos arborum in alienis possessionibus existentes quomodocunque ruperit, uel fregerit, furtoq; subtraxerit mel in dictis alueis existens, uel alibi, pœna uigintiquinque librarum denariorum puniatur. Super quibus omnibus Rector, uel Iudex liberum habeat arbitrium procedendi contra omnes, & singulos suspectos, & puniendi, seu condemnandi in dicta pœna omnes, & quoscunque repertos culpabiles in prædictis, uel aliquo prædictorum. Qui Rector si per inquisitionem processerit, pœna prædicta applicetur pro quarta parte Iudici inquirenti, residuum uerò Communitati. Et si quis de possessione aliena acceperit alueos, gyptos, seu cados apium, teneatur eadem die domino notificare, sub pœna decem librarum denariorum, & nihilominus teneatur ad restitutionem ipsius gypti, siue aluei. Et si dominus apium, unde processerit gyptus, sequeretur post eum, liceat reacipere de quocunque loco, ubi consederit, seu conquieuerit, sine incisione tamen rami, seu fraschæ arboris: si enim inciserit, emendet damnum domino arboris. Qui autem corruperit, fregerit, inciserit, uel melauerit in alieno loco, pœna uigintiquinque librarum denariorum puniatur: quas si infra decem dies à die latę sententię numerandos non soluerit, publicè fustigetur. Et iisdem pœnis puniantur qui alueos, seu arnas cum apibus de possessionibus alienis furati fuerint. Et in supradictis casibus non prosit beneficium confessionis, & pacis. Et credatur de prędictis iuramento domini damnum passi cum dicto unius testis idonei, & habeatur pro plena probatione.

De pœna expilantium bona hæreditaria. Rub. XLV.

SI Qua persona hæreditatem iacentem, seu res aliquas ipsius hæreditatis expilauerit, aut expilanti opem præstiterit ad expilandum, seu res hæreditarias expilatas scienter receptauerit, in libris centum denariorum puniatur, & ad restitutionem rerum, & bonorum expilatorum, uel eorum extimationem compellatur.

De falsis. Rub XLVI.

NE impunè, uel facile aliqua falsitas committatur, præsenti lege decernimus, & ordinamus, q. si qua persona fabricauerit, uel fabricari fecerit falsum instrumentum, aut in aliquo instrumento falsitatem aliquam commiserit, seu fieri, seu committi fecerit, siue radendo, siue mutando, siue minuendo, uel addendo, uel aliter in præiudicium ueritatis, & partis, in libris ducentis denariorum condemnetur, si damnum, quod prouenire poterat ex falsitate, non excedat summam quingentorum florenorum. Si uerò excedat dictam summam, quantacunque fuerit quantitas, in libris quingentis denariorũ condemnetur: quas si non soluerit infra quindecim dies à die latę sententię numerandos, manus sibi dextera, uel sinistra Iudicis arbitrio amputetur, & perpetuò sit infamis. Si uerò falso instrumento scienter quis usus fuerit, media pœna superius expressa puniatur, quam pœnam si non soluerit infra dictum terminum quindecim dierum, fustigetur per totam dictam Terram. Et eisdem pœnis puniatur quis quis acta Curiæ, seu sententiam alicuius Iudicis falsificauerit, uel falsificari fecerit, & similiter quicunque testamentum, seu codicillos, uel mortis causa donationem falsificauerit, minuendo, addendo, uel radendo, siue in alterius præiudicium mutando, & contra ueritatem. Si quis autem simpliciter produxerit prædicta, uel aliquod prædictorum in iudicio, non tamen usus fuerit, in libris quinquaginta denariorũ condemnetur soluendis sine diminutione. Si autem usus fuerit, in centum libris denariorum condemnetur. Qui autem dictauerit prędicta scienter, pœna quinquaginta librarum denariorum puniatur Communi. Quas pœnas si non soluerit infra iam dictum tempus, mitrehetur publicè, & eius officio sit perpetuò priuatus, & infamis. Si quis autem falsum testimonium in causa ciuili coràm ordinariis delegatis arbitris, seu arbitratoribus, uel subrogatis perhibuerit scienter, pęna centum librarũ denariorum puniatur, & perpetua infamia notetur, & ultra, arbitrio Rectoris, inspectis qualitatibus personarum, causarum & factorum, & nihilominus ad interesse parti lęsę cõdemnetur. Si uerò in causa criminali, ubi pœna esset simpliciter pecuniaria, si crimen uerũ fuerit, aliqua tamen persona falsum tulerit testimonium, iisdem pęnis centum librarũ dẽn. & infamiæ puniatur. Si uerò falsum tulerit testimonium in causa criminali, ubi pęna personalis in totum, uel in partem principaliter, uel conditionaliter, seu in defectum uenit imponenda, si crimen, quod impingitur, uerum esset: talis perhibens falsum testimonium eadem pœna puniatur, qua punitus fuisset, aut condemnatus, aut puniri, & condemnari deberet ille contra quem falsum protulit testimonium. Vbi uerò delictum, quod impingitur, non esset uerum, si pro eo uenisset imponenda pęna pecuniaria, qui falsum testimonium perhibuit, duplicata pœna puniatur. Si uerò ueniebat imponenda pœna corporis afflictiua, falsum testimonium perhibens eadem pœna puniatur, & pecuniaria, arbitrio Iudicis, habita consideratione præcedentium, & similium. Producens autem tantùm falsos testes scienter, & non utens, pęna quinquaginta librarum dẽn. pro quolibet teste producto condemnetur. Si uerò usus fuerit, pęna centum librarum dẽn. pro quolibet puniatur, & parti læsæ ad interesse teneatur. Qui autem subornauerit, & docuerit falsum testimonium dicere in quacunque causa ciuili, uel criminali, pęna uigintiquinq: librarum denariorũ pro quolibet teste condemnetur. Et eadem pœna puniatur, qui nomen in alterius præiuditium, siue Fisci, siue priuati mutauerit, & interesse partis læsæ condemnetur.

Item

Item si quis aliquam personam dolosè, & scienter infamauerit de aliquo crimine, seu delicto cum scriptura, uel sine, contra ueritatem ubicunque, uel corám quocunque: qui fecerit, aut fieri curauerit, pœna talleonis, uidelicet ea, qua puniri deberet sic infamatus, si uerum fuisset crimen prædictum, irremissibiliter puniatur. Si quis autem contrafecerit sigillum Communis, seu bullectam, pœna ducentarum librarum deñ. sine remissione puniatur: quas nisi infra quindecim dies soluerit, publicè fustigetur, & perpetuò exuler à Terra, & territorio nostro. Qui autem falsum commiserit cum dicto sigillo, uel bullectino, in libris ducentis deñ. condemnetur: quas si non soluerit intra decem dies a die latæ sententię numerandos, manus dextera eidem amputetur, ita q̃ à corpore separetur. Qui autem aliquam aliam falsitatem commiserit, seu committi fecerit, etiam tacendo, uel aliter quandocunque, uel in eius arte, uel ministerio, in libris uigintiquinq; deñ. condemnetur de facto. Si quis antè falsificauerit, mutauerit, seu quomodocunque falsitatem commiserit in sigillo Rectoris, uel Iudicis, pœna centum librarum deñ. puniatur. Et si quis abstulerit, uel furatus fuerit, uel lacerauerit aliquam scripturam in totum, uel in partē in præiudicium Communis, uel specialis personæ, in centum libris deñ. condemnetur: & nihilominus ad interesse partis læsæ teneatur. Ascribens uerò aliquid sibi, uel alicui habitanti eum eo, uel alicui suo attinenti, uel uxori in qualibet ultima uoluntate, in quinquaginta libris deñ. condemnetur, & nihilominus tale relictum non ualeat. Disigilans autem, uel aperiens literas Communitatis, uel alicuius priuati, uel alterius domini, ut legat quod scriptum est intus, eadem pœna puniatur. Et in omnibus, & singulis suprad ctis casibus ultra pœnas prædictas teneantur facientes, & fieri facientes, dictantes, testimonia perhibentes, mutantes, addentes, & minuentes, seu radentes ad duplum interesse, & expensas partis, in cuius præiudicium prædicta facta, gesta, & operata fuerunt. Et in omnibus supradictis casibus beneficium pacis nullatenus prosit. Et Rector inquirere, procedere, cognoscere, & punire possit de contentis in pręsenti statuto, si tempore sui officii, uel intra quinq; annos proximos ante talia commissa fuerint. Abradens autē aliquod statutum huius Terræ, uel aliter falsificans, mutans, uel addens, in libris centum deñ. condemnetur: quas nisi infra decem dies soluerit, publicè fustigetur per dictam Terram. Et in omnibus prędictis casibus delinquens cadat ab omni iure suo.

De pœna submittentis partum. Rub. XLVII.

DOLOSE', scienter, uel falsò aliquem partum submittens, seu submitti faciens, in libris ducentis deñ. puniatur de facto: quos nisi infra decem dies soluerit, pœna legali puniatur, & nihilominus omni commodo, spe, iure, uel actione hæreditatis, seu bonorum eius, cuius partus pretensus falsò fuerit, penitus sit eo ipso priuatus, seu priuata, nullo alio expectato. Et pari pœna puniantur auxilium, consilium, uel fauorem pręstantes.

De pœna fabricantium, seu expendentium falsam monetam. Rub. XLVIII.

STATVIMVS, & ordinamus, q̃ si quis ita temerarius extiterit, ut falsam monetam cuderet, fabricaret, seu cudi, & fabricari faceret, in libris mille dñ. cōdemnetur. Quas si non soluerit infra quindecim dies à die latæ sententiæ, igne concremetur, & domus in qua falsa moneta, sciente domino, cussa, seu fabricata fuerit, eo ipso Communi cōfiscata intelligatur. Si qua uerò persona falsam monetam scienter expendiderit, seu expendi fecerit: si expensum fuerit supra uiginti solidos in libris centum denariorum condemnetur. Ab inde uerò infra, in libris quinquaginta denariorum puniatur. Et intelligatur scienter expendisse, seu expendi fecisse talem monetam, quando data prius opera ad quęrendum, seu procurandum habere talem monetam, ipsam postea expendiderit, seu expendi fecerit.

De pœna reuelantis Credentias, uel secreta Communis. Rub. XLIX.

FIDEM, & silentium ab omnibus, & singulis obseruari nostro Communi cupientes, decernimus, q; si quis tantæ temeritatis extiterit, q; secreta, seu credentias nostri Communis sibi impositas, seu commissas per Concilium dictæ Terræ, uel DD. Priores, uel alium, seu alios nomine Communis cuiquam reuelauerit, manifestauerit, seu aperuerit, cuiuscunq; status existat, realiter, & personaliter, coniunctim, uel diuisim libero Rectoris arbitrio, ac etiam Concilii dictæ Terræ de facto, & sine aliqua solennitate puniatur, facti qualitate pensata: ad minus tamen pœna priuationis officii, & beneficii Communis per quinquennium.

De pœna facientis insultum cum collecta, uel sine. Rub L.

SI Quis, collectis sibi, seu adhibitis quatuor, uel pluribus, insultum fecerit contra aliquem ad domum, uel in domo eius habitationis, uel ad apothecam, seu stationē propriam, uel conductam insultati, uel in ea, seu ad eius possessionem, uel in possessione, uel in platea Communis si cum armis, principalis, uel associatus in libris quinquaginta deñ. puniatur. Associans uerò quilibet, seu cum tali sic existens, in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Si uerò principalis prędictus insultum fecerit sine armis, in libris uigintiquinque deñ. puniatur. Quilibet uerò sic associans in medietate dictę pęnę puniatur. Si uerò alibi, q̄ in aliquo ex dictis locis, talis insultus factus fuerit contra aliquem si cum armis principalis in uigintiquinq; libris deñ. puniatur. Associans uerò quilibet in medietate dictę pęnę puniatur. Si uerò sine armis, principalis in libris decē deñ. puniatur: quilibet uerò sic associans in libris quinq;. Si quis autē sic insultans percusserit aliquem cum armis siue instrumentis ferreis, uel nō ferreis cum sanguinis effusione à collo supra in domo, uel ad domum, uel in possessione, uel ad possessionem, uel apothecam, siue stationem propriam, siue conductam, uel in ea, uel in platea Communis, puniatur principalis in libris ducentis deñ. Quilibet uerò sic associans in libris centum deñ. puniatur. Si uerò à collo infra, puniatur in medietate dictarum pęnarum. Si uerò in tali insultu in aliquo ex dictis locis facto insultatus percussus fuerit, & ex percussione cicatrix perpetuè remāsura in facie, uel collo, siue debilitatio perpetua, seu incisio cum debilitatione perpetuò duratura alicuius membri, uel nerui, seu officii membri facta sequuta, seu sequutura fuerit, principalis in libris quingentis deñ. puniatur. Quilibet uerò sic associans in medietate dicta pœnæ puniatur. Si autem sic percussus mortuus fuerit, statutum de homicidio obseruetur. Si uerò sic insultatus percussus fuerit sine sanguine in aliquo ex dictis locis, uel ad aliquem ex eis, & sine cicatrice, uel sine incisione, uel sine debilitatione præmissis, principalis quidem in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Quilibet uerò sic associans in medietate dictę pęnę. Si autem cum præmissa collecta insultatus alibi, q̄ in aliquo ex dictis locis percussus fuerit cum armis, seu instrumentis ferreis, uel non ferreis, & cum sanguine, & ex tali percussione cicatrix in facie, uel in collo perpetuò remansura, uel debilitatio perpetua, etiam sine sanguine, seu incisio cum debilitatione perpetua alicuius membri, seu nerui, uel officii mēbri facta, sequuta, uel sequutura fuerit, principalis in libris centū et quinquaginta deñ. puniatur. Quilibet uerò sic associans in medietate dictę pęnę condemnetur. Si uerò ex percussione prędicta sanguis tātùm exierit, & nulla cicatrix, incisio, seu debilitatio suprascripta fuerit facta, sequuta, uel sequutura, principalis in libris centum deñ. puniatur. Quilibet uerò sic associans in medietate dictæ pęnæ puniatur. Si uerò percussio sine sanguine facta fuerit in insultu prędicto, principalis in libris quinquaginta deñ. puniatur. Quilibet uerò sic associans in medietate dictæ pœnæ puniatur. Et in quolibet casuum prædictorum huius statuti, ubi insultus, & percussus interuenerit, solæ suprascriptæ pœnæ uendicent sibi locum, nec de talibus percussionibus aliter quæratur. Si quis autem in aliquo

ex dictis

ex dictis locis superius declaratis, uel alibi insultum fecerit(ut dictum est)cum collecta, & insultu,& adminatio cũ armis, uel sine,interuenerit, principalis in quinquaginta libris deñ. puniatur. Quilibet uero sic associans in medietate dictæ pœnæ códemnetur. Et pœna insultus non confundatur cum pœna adminationis. Et ne in dubium reuocetur, quis fuerit principalis in collecta,de qua in præsenti statuto continetur, & similiter quis fuerit associans, sterut arbitrio insultati. Quod si per eum non declaretur, Rectoris,uel Iudicis arbitrio relinquatur. Et prædicta omnia,& singula locum habeant, ubi quatuor, uel ab inde supra fuerint cum principali inclusiuè ad prædicta,uel prędictorum aliquod cómittendum. Si autem insultus factus fuerit sine collecta contra aliquẽ in domo, uel ad domum eius solitæ habitationis,uel ad apothecam,seu stationem eius propriam,uel conductam,uel in ea,uel ad possesionem,uel in possessione propria, uel conducta ipsius insultari,uel in platea Communis:si cum armis,in uigintiquinq; libris deñ. si sine armis,in medietate dictæ pœnæ puniatur insultans. Si uerò alibi,q̃ in aliquo, uel extra aliquem ex dictis locis factus fuerit insultus:si cum armis,in libris decem: si sine armis,in medietate dictæ pœnæ puniatur insultans. Nec pęna insultus cum percussione,uel adminatione confundatur,dumodo pœna adminationis,uel percussionis non esset maior,q̃ insultus,aliàs non confundatur. Et intelligatur insultus quoties quis irato animo contra aliquem mouerit se de loco ad locũ per plures passus. Quando autem intelligi debeat insultus factus in domo,uel ad domum habitationis,uel ad apothecam,seu stationem pręmissam, uel in ea,siue ad possessionem,uel in possessione præmissa insultari,uel alibi,in omnibus,& singulis casibus huius statuti Rectoris arbitrio relinquatur. Insultatus uerò,seu percussus, (ut præfertur)si insultantem,uel percutientem percusserit,uulnerauerit,uel occiserit,dummodo legitimè fecerit,& constet, ad aliquam pęnam nullo modo teneatur; non obstantibus quibuscunque.

De pœna adminantium cum armis, uel sine. Rub. LI.

ADMINANS contra aliquem cum armis ferreis,uel ferratis, uel aliis armis, uidelicet bastone,uel baculo,uel alio leui instrumento, pro qualibet uice puniatur in libris quindecim deñ. Qui autem euaginauerit aliquod ex dictis armis, & cum eis adminauerit,in centum solidis uice qualibet puniatur. Si uerò cum canna,corrigia, uel alio leui instrumento contra aliquem adminauerit,in libris decem deñ. puniatur uice qualibet. Quod autem leue, uel non leue instrumentum intelligi debeat, Rectoris arbitrio relinquatur. Si uerò manu uacua uersus collum,uel ab inde supra contra aliquem,uel personã alicuius adminauerit,in quatuor libris deñ. puniatur. Si ab inde infra, in solidis quadraginta. Appellatione autem armorũ nolumus contineri omnem materiam aptam ad offendendum grauiter, uel ad mortem.

De pœna percutientium cum armis, uel sine. Rub. LII.

SI Quis aliquam personam cum armis,seu instrumentis,uno,uel pluribus ferreis, uel ferratis, & cum ferro talium armorum percusserit in collo, uel à collo supra cum sanguinis effusione, in libris quinquaginta deñ. pro percussione qualibet puniatur. Et si ex tali percussione ossis, uel cranei ruptura, seu fractura facta,sequuta,uel sequuta fuerit, in libris centum deñ. puniatur. Et si ex tali percussione signum enorme,uel cicatrix in facie, uel gula euidens perpetuò remansura facta,sequuta, uel sequuta fuerit, percutiens in ducentis libris deñ. puniatur. Si uerò nasum,uel eius partem,auriculam,uel eius partẽ, labium,uel eius partem ita,& taliter inciserit,q̃d à facie separauerit, uel oculum cœcauerit, seu effoderit,in libris tricentis deñ. puniatur. Quam pęnam si intra quindecim dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit,ei nasus,auricula, seu labium suum, prout alteri

inciserit, & sic separauerit, & oculus, quem sic cœcauerit, uel effoderit, similiter incidatur, &
effodiatur. Si uerò a collo infra cum dictis armis, uel aliquo eorum cum sanguinis effu-
sione, uel sine, aliquem percusserit, & ex percusione totalis incisio, uel debilitatio perpe-
tua nerui, uel ossis, uel membri, aut officii membri facta, sequuta, seu sequutura fuerit, in
libris centum deñ. puniatur: quas si infra mensem a die latæ sententiæ non soluerit, simile
membrum, & os, uel membri officium, prout alteri inciserit, uel debilitauerit, amputetur,
seu incidatur, uel relegetur arbitrio iudicis. Si uerò ex percusione facta cum aliquo ex di
ctis armis à collo infra sanguis tantùm exierit, & nulla de prædictis facta, uel sequuta fue
rit debilitatio, in libris uigintiquinq; deñ. condemnetur. Si uerò ex tali percusione cū ali
quo ex dictis armis sanguis non exierit, & percusio in collo, uel à collo supra cum liuore
facta fuerit, in libris quindecim deñ. condemnetur pro qualibet percusione: & si sine liuo
re, in libris decem. Si autem à collo infra cum aliquo ex dictis armis sine sanguine percus
serit: si cum liuore, in libris quindecim deñ. si autem sine liuore, in medietate dictæ pœnę
condemnetur pro qualibet percusione. Item si uno ictu, seu actu plures percussiones cū
aliquo ex dictis armis factæ fuerint à collo supra, puniatur percutiens pro tot percusio-
nibus, quot quis reperiatur percussus. Si uerò à collo infra factę, seu sequutę fuerint cum
sanguine, in libris quinquaginta deñ. condemnetur, ac si una tantùm percusio duntaxat
fuisset. Si uerò cū aliquo instrumento bipartito, seu tripartito, uel pluripartito, ueluti for-
cipe, bidente, pectine, rastro, uel similibus aliquem percusserit, uel uulnerauerit cum san-
guine, quamuis uno ictu cum tali instrumento plura uulnera fecerit, in libris centū deñ.
puniatur. Si uerò ex percusione cum aliquo ex dictis armis, seu instrumentis prædictis
facta dens unus, uel plures ceciderint, uel rupti fuerint, puniatur percutiens pro quolibet
dente in uigintiquinq; libris deñ. Si quis uerò in totum, uel in partem linguam alicui ab-
sciderit, in libris quadringentis deñ. puniatur, & relegetur à Terra, & territorio per quinq;
annos. Si quis uerò eunuchum, seu castratum fecerit quo quo modo hominem, ita q; ip-
se homo inhabilis ad generandum reddatur, pœna legali puniatur. Si uerò alterum tan-
tum testiculum alicui inciserit, seu amputauerit, uel separauerit à membro uirili, in libris
ducentis deñ. puniatur. Quas si intra terminum quindecim dierum à die latæ sententiæ
non soluerit, confinetur arbitrio, ut supra. Si quis autem cum aliquo uase terreo, uel alio
instrumento, uel cum hasta, baculo, ligno, lapide, fuste, ronchone, mazza plumbata, & his
similibus, uel cum aliquo ex armis ferrum habentibus, non tamen cum ferro, quod in ali
quo ex prędictis armis existeret, percusserit: si in collo, uel à collo supra, & ex tali percusio
ne sanguis exierit, pro qualibet percusione in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Si uerò
ex percusione cum aliquo ex dictis instrumentis fuerit facta cicatrix, uel signum euidēs
in collo, seu facie, uel debilitatio perpetua alicuius nerui, uel mēbri, seu officii membri, uel
ossis, siue cranei ruptura, seu fractura facta, sequuta, uel sequutura fuerit, in libris centum
deñ. puniatur. Si quis uero alicui oculum cœcauerit, uel effoderit ex percusione cum ali
quo ex dictis instrumentis facta, pro quolibet oculo cœcato, uel effoso in ducentis libris
deñ. puniatur: quas si intra quindecim dies non soluerit, relegetur arbitrio, ut supra. Si ue
rò ex percusione cum instrumento prædicto facta dens de ore percussi ceciderit, uel rup
tus fuerit, pro quolibet dente in uigintiquinq; libris deñ. puniatur. Si quis autem à collo
infra cum sanguine tantùm percusserit cum aliquo ex prædictis instrumentis, uel simili-
bus, in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Si uero sine sanguine in collo, uel à collo supra
cum liuore percusserit cum aliquo ex prędictis instrumentis in quindecim libris deñ. con
demnetur: si sine liuore, in decem libris deñ. puniatur. Si uerò à collo infra cum liuore, uel
sine cum aliquo ex prædictis instrumentis percusserit, in decem libris deñ. puniatur. Si
uerò cum canna, corrigia, uel alio leui instrumento his simili in collo, uel à collo supra per
cusserit cum sanguine, uel cum liuore tantùm, pro qualibet percusione in uigintiquinq;
libris deñ. puniatur: si autem sine sanguine, & liuore, in medietate dictæ pœnæ puniatur.
Et si ex tali percusione cum sanguine cicatrix, uel signum euidens in collo, seu facie, uel
debilitatio

debilitatio perpetua alicuius nerui, uel membri, uel ossis, siue cranei ruptura, seu fractura
facta, sequuta, uel sequutura fuerit, uel oculum cœcauerit, uel effoderit, ex percussione pię
dicta puniatur in omnibus, & per omnia, ac si cum uase terreo (ut supra) percussisset. Si
uerò ex tali percussione dens de ore percussi ceciderit, uel ruptus fuerit, pro quolibet tali
dente in libris uiginti deñ. puniatur. Si uerò à collo infra cum sanguine cũ tali instrumen
to, uel simili quis aliquẽ percusserit, in libris quindecim deñ. puniatur. Si uerò cum liuore
sine sanguine, in libris decem. Si quis uerò lapidem, uel quid aliud simile proiecerit cõtra
aliquem, & non percusserit, pro quolibet, & qualibet uice in libris quinque deñ. puniatur.
Si quis autem unico ictu cum aliquo ex præfatis instrumentis plures percussiones fece-
rit, condemnetur pro tot percussionibus, quot quis reperiatur percussus. Si quis autem
dentibus aliquem momorderit cum liuore, uel sanguine, uel utroq; in uigintiquinq; libris
deñ. puniatur: si sine liuore, & sanguine, in medietate dictæ pœnæ. Si uerò labium, digitũ,
nasum, auriculam, uel genam, uel gulam dẽtibus momorderit, & carnem inde abstulerit,
seu asportauerit, aut cadere fecerit, in libris centum deñ. puniatur. Item si tali morsu ner-
uum, membrum, uel membri officium debilitauerit, uel detruncauerit in totũ, uel in par
tem, aut carnem de aliqua parte corporis, quæ supra dicitur, abstulerit, seu in terram cade-
re fecerit, in libris centum et quinquaginta deñ. puniatur. Et quãdo dubium fuerit, seu in
dubium uerteretur in aliquo casu præsentium statutorum, uel alterius huius uoluminis,
utrum, uel quando signum, uel cicatrix euidens, seu enormis, uel nerui, uel membri, uel of
ficii membri debilitatio perpetua, aut ossis, uel dentis fractura sequuta, uel sequutura fue
rit, unius Medici, uel plurium, arbitrio Iudicis, unà cum Chyrurgo Communis cum iu-
ramento, iudicio relinquatur, & stetur. Si quis autem manu uacua, brachio, cubitu, calce,
uel capite, uel quocunque humano membro, uel parte membri aliquem in collo, uel à col
lo supra percusserit: si sanguis inde exierit, in libris quindecim deñ. puniatur: & si sanguis
inde non exierit, in medietate dictæ pœnæ puniatur. Si uerò à collo infra sic percusserit, si
cum sanguine, in libris uiginti deñ. puniatur: si autem sine sanguine, in medietate dictę pę
næ puniatur. Si uerò ex tali percussione oculus cœcatus, seu effosus fuerit, aut os debilita
tum perpetuò, aut fractum, uel dens ruptus, seu euulsus fuerit, uel nerui, membri, aut offi-
cii membri debilitatio perpetua facta, sequuta, uel sequutura fuerit, talis sic percutiens in
libris centũ deñ. puniatur. Et in casu prędicto, quo quis ex tali percussione prædicta ocu-
lum cœcauerit, uel effoderit, si condemnationẽ prędictam intra quindecim dies à die latę
sententiæ numerandos non soluerit, relegetur arbitrio, ut supra. Si quis autem alteri bar-
bam, uel eius partẽ euulserit, seu expilauerit, in uigintiquinq; libris deñ. puniatur. Si uerò
capillos capitis, uel aurem, seu aures alteri extirauerit: si sanguis inde non exierit, in libris
quindecim deñ. puniatur: si uerò sanguis exierit, in libris uiginti deñ. cõdemnetur. Si uerò
ex hoc aurem à capite detruncauerit in totum, uel in partem, in libris centum deñ. punia-
tur: quas si nõ soluerit infra dictum tempus, relegetur, ut supra. Si uerò quis aliquem im-
pinxerit, & in terram cadere nõ fecerit, in libris decem deñ. puniatur. Si uerò impinctum
cadere fecerit: si sanguis inde nõ exierit, in libris decem deñ. puniatur. Si uerò ex dicta im
pincta, uel eius occasione sanguis exierit, impingens in uigintiquinq; libris deñ. cõdemne
tur. Si uerò quis aliquem impinxerit, seu cadere fecerit, & ex inde, uel eius occasione ocu-
lus effosus, uel cœcatus fuerit, aut ossis fractura, seu nerui, membri, uel officii membri de-
bilitatio perpetua facta, sequuta, uel sequutura fuerit, puniatur impellens in libris centum
deñ. Item si quis aliquem per terram traxinauerit, uel traxerit: si ex hoc sanguis nõ exierit,
in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Si uerò ex inde sanguis exierit, in libris quinquagin-
ta deñ. puniatur. Si uerò ex hoc os fractum fuerit, aut nerui, membri, uel officii mem bri
perpetuò debilitatio facta, sequuta, seu sequutura fuerit, in libris centum deñ. puniatur.
Item si quis birretum, uel aliud tectoriũ capitis uirile, uel muliebre de capite alterius tra-
xerit, seu cadere fecerit, aut indumẽtum aliquod in alterius dorso laniauerit, in libris decẽ
deñ, & ad emẽdam damni in duplum puniatur. Capiens uerò aliquem iniuriosè per per-

sonam, in decem libris denariorum puniatur. Addentes prædictis, ꝙ si prædicta malefi-cia, uel aliquod prædictorum committerentur inter mulierem, & mulierem, tunc in medietate dictarum pœnarum delinquentes puniantur.

De pœna expuentium, uel proiicientium aliquid turpe in faciem. Rub. LIII.

SI Qua persona expuerit, uel iniuriosè proiecerit uinũ, aquam, & poma in faciem alicuius, puniatur in libris uigintiquinq; deñ. Si quis uerò prędicta, uel aliquod prędictorum expuerit in aliam partem corporis, in medietate dictæ pœnæ puniatur. Si uerò lutũ fecerit, uel aliquid sordidum in faciem proiecerit, pœna uigintiquinq; librarum deñ. plectatur infra uerò, in medietate dictæ pœnæ. Saluis semper statutis loquentibus de cicatrice, & uulneribus. Si quis uerò iniuriosè fecerit ficus contra aliquem, uel anum, uel membrum aliud pudibundum cohopertum, uel discohopertum ostenderit, uel cum ore triuillauerit, uel alio modo deluserit, dicendo: pagala, laslala passare, uel similia: si quidem contra mulierem bonę famę prędicta cõmiserit, in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Si uerò contra mulierẽ malæ famæ, uel contra aliquã aliã personã, in libris quinq; deñ. puniatur.

De pœna percutientis prægnantem. Rub. LIIII.

QVICVNQVE percusserit aliquam fœminam prægnantem, uel in terrã cadere fecerit irato animo, & malo modo, & ex dicta percussione, uel casura dicta prę gnans abortum fecerit, puniatur sic percutiens, uel cadere faciens legali pœna. Si uerò casualiter fecerit hoc, ludendo, uel aliter sinistrè, in libris quinquaginta deñ. condemnetur. Exceptis tamen marito, patre, matre, auo, uel auia, fratre, uel sorore, uel alia persona attinẽte, uel faciente per modum correctionis, ludendo, uel alio modo sinistro: qui tamen (ut habeant occasionem modestè se gerendi) puniantur in libris uigintiquinq; denariorum.

De pœna percutientium alterius pactualem. Rub. LV.

RATIONEM, & modum mitiorem in percutientes alienum pactualem, uel famulũ adhibere uolentes, statuimus, ꝙ si quis manu, uel calce, uel armis, uel alio quocunq; instrumento ferrato, uel non ferrato percusserit aliquem pactualem alterius, uel famulum, uel famulam, uel cõtra eos insultum fecerit, uel adminauerit, uel aliqua alia arma euaginauerit, puniatur media pœna pecuniaria principaliter, uel conditionaliter, qua puniretur, si offendisset alium nõ pactualem, uel famulum alterius. Quę pęna mediata prędicta intelligatur, & sit pęna simpliciter, & originalis delinquentibus supradictis. Si quis uerò percusserit aliquem pactualem, uel famulum, siue famulam alterius cum armis, uel aliquo alio instrumento qualitercunq;, aut quomodocunq; in facie, uel gula, ex qua percussione cicatrix, seu signum enorme sit perpetuò remansura, uel remansurum, puniatur, & condemnetur in libris quinquaginta deñ. Et ꝙ quis sit alienus pactualis, uel famulus, probatio quatuor testium de publica uoce, & fama super inde probantium sufficiat. Dominus uerò uel patronus seruum, famulum, uel pactualem suum cuiuscunq; sexus percutiens seu uerberans, ad aliquam pœnam minime teneatur, nisi atrociter, & seuériter se habuerit in uerberando, seu percutiendo. Tunc autem atrociter, & seueriter factum intelligi debeat, cùm ex inde cicatrix in facie, uel in collo, uel nerui, membri, uel officii membri, uel ossis totalis incisio, uel debilitatio perpetuò duratura facta, uel sequuta fuerit, uel oculus excæcatus, seu effosus fuerit, uel caro à corpore separata, uel uulnus cum sanguinis effusione, uel aliud enorme delictum, de quo Iudicis arbitrio stetur. Qua quidem atrocitate, atque seueritate interueniente citra mortẽ, talis dominus, seu patronus in libris quinquaginta denariorum puniatur.

De pœna

De pœna offendentium forensem. Rub. LVI.

AVDACIAE, & temeritati forensium nostrę iurisdictioni nō subiectorum obuiare uolentes, statuimus, & ordinamus, quod Ciues, uel habitatores S. Elpidii offendētes Sclauos, Albanenses, uel alios forenses quoscunque, non teneantur ad solutionem pœnæ, nisi pro ualore, & extimatione bonorum, tam mobilium, quam stabilium dictorum forensium offensorum à Ciuibus, uel habitatoribus prædictis, nunquam tamen excedendo dimidium pœnæ, qua ueniret puniendus Ciuis Ciuem, uel habitator habitatorem offendens. Sed si ex huiusmodi offensa ueniret imponenda pœna personalis, uel corporis afflictiua, tunc dicti Ciues, uel habitatores delinquentes non condemnentur in bonis, nisi pro extimatione bonorum dictorum offensorum, uel interfectorum, sed tantùm personaliter puniri debeant. Et prędicta omnia, & singula locum habeant, nisi Ciues, uel habitatores fuerint inceptores rixæ; quia tunc, & eo casu secundum statuta dictæ Terræ, quę forensi tali pœnam imponunt, si ipse contra Ciuem, uel habitatorem dictæ Terrę delictum commiserit, pęnitus condemnetur, uel saltem media pœna puniatur, Rectoris arbitrio. Quę dimidiatio post condemnationem in solutione referuetur.

De Forense offendente Ciuem. Rub. LVII.

ITEM statuimus, quod si quis forensis, uel non subiectus iurisdictioni Communis Sancti Elpidii, cuiuscunque dignitatis, cōditionis, uel status existat, Ciuem, uel districtualem offenderit in dicta Terra, uel eius territorio, & rixę, seu offensionis inceptor, & auctor fuerit, uel etiam extra Terram prædictam, & territorium Ciuem, uel districtualem offenderit, uel derobbauerit, in triplo illius pœnæ puniatur, qua Ciuis Ciuem offendens: & hoc, ubi pœna per formam alicuius statuti est pecuniaria tantùm simpliciter, & determinata. Vbi uerò pœna delicti in Ciue contra Ciuem esset merè arbitraria, seu corporalis, uel corporis afflictiua principaliter, uel conditionaliter, tunc talis forensis realiter, & personaliter coniunctim, uel diuisim, Rectoris, uel Iudicis arbitrio puniatur personarum, & facti conditione inspectis. Nunquam autem minori pœna forensem talem non subiectum condemnet, quam si Ciuis, uel subiectus iurisdictioni dicti Communis esset.

De uerbis iniuriosis, & reimproperatoriis, & his similibus. Rub. LVIII.

DICENS, uel proferens uèrbum iniuriosum contra aliquem, etiam si plura simul dixerit uno impetu, uidelicet proditor, assassinus, leno, homicida, meretrix, cornutus, bastardus, fur, latro, facturaria, tu mentiris, non fero corona, nō sum proditor, uel possum ire cum capite discohoperto, stultus, ebrius, puniatur qualibet uice in decem libris deñ. Si quis uerò alia uerba leuiora iniuriosa contra aliquem protulerit, ueluti assassinus, tristis, non dicis ueritatem, uel his similia, puniatur in medietate dictę pœnę. Bessans autem, uel alio modo deludens aliquam personam, uel illam uocans alio quam nomine proprio, uel blasfemās aliquam personam, uel animam patris, matris, uel fratris, in libris duabus deñ. puniatur. Diffamās autem aliquam personam de aliquo delicto in specie, in libris decem deñ, sed in genere, pœna uerbi iniuriosi puniatur. Dicens autem, componens, scribens, aut faciens aliquam cantilenam, uel sonictum, uel portans aliquid in opprobrium, & iniuriā alicuius directè, uel indirectè, tacitè, uel expressè, uel iniuriosè transiens ante, uel iuxtà domum alicuius, uel aliquam personam, aut dicens aliqua uerba improperatoria directè, uel indirectè de aliqua iniuria illata, uel alicui suo consanguineo, uel affini usque in tertium gradum inclusiuè, uel de aliqua iustitia corporali alicui prędictorum facta, ut pura tibi fuit incisa manus, uel fuit factum signum, uel dicendo bene, dicatur talis, uel eius anima, intelligendo de eo, qui intulit iniuriam, uel fecit dictam iniustitiam, in libris uigintiquinque deñ.

puniatur. Trãsiens autem cum comitiua ante, uel iuxtà domum alicuius, uel personam iniuriosè, in libris quadraginta deñ. puniatur. Et intelligatur huiusmodi transitus iniuriosè factus, si inter transeuntem, & cuius ante domum, uel personam transitus fieret, aliqua iniuria interuenisset. Et comitiua dicatur usq; ad quatuor personas simul euntes. uel ab inde supra. Et prædicta omnia locum habeant, si dicta, uel facta, seu composita fuerint in præsentia iniuriati, sed si in absentia, media tantumodo pœna puniatur delinquens. Proferens autem, componens, scribens, uel faciens aliquod prædictorum fictè, uel dissimularè contra personam unius, cùm te uera dicatur, uel fiat, aut scribatur contra personam alterius iniuriosè, uel iniurians generaliter, neminem nominãdo, puniatur secundum formã staturorum, ac si prædicta scripta, dicta, uel facta essent iniuriosè contra illam personam, uel plures, contra quam, seu quas dixerit Rector, uel Iudex, uel contra illam personã, quę reuocauerit infra mensem sibi ad iniuriã coràm Rectore à die prolatæ iniurię. Protestãs, uel quomodocunq; dicens, q. matrimonium non cõtrahatur, uel contrahi non possit, uel q. aliqua mulier minor duodecim annis corrupta, uel non corrupta est sibi pro uxore desponsata, & his similia, & causas coràm Iudice competenti non deduxerit, non possit isto casu cõtra istum protestantem, uel proxima uerba dicentem procedi per inquisitionem, nisi ad quærelam patris, fratris germani, auunculi, aui paterni, uel materni. Et si inquisitus infra decem dies à die factæ excusationis non probauerit saltem per duos testes idoneos, illud, quod asseruit, esse uerum, in quinquaginta libris denariorum puniatur.

De pœna declinantis iurisdictionem Communis. Rub. LIX.

SI Quis occasione alicuius dignitatis, aut priuilegii, aut alterius rationis, uel causæ se subtraxerit, uel subtrahere uoluerit à iurisdictione Rectoris, uel Iudicis Cõmunis dictę Terię, ne pro offensione, uel delicto, quod contra aliquem fecerit, puniatur, uel conueniatur ciuiliter, uel criminaliter secundũ formam statutorũ dictę Terrę, possit à quolibet impunè offendi in rebus, & persona & quicunq; aliquem se sic subtrahentẽ, uel subtrahere uolẽtem associauerit quo quo modo ad maleficium committendum, uel ei auxilium, consilium, uel fauorem pręstiterit, teneatur, ac si ipse talis maleficium commisisset. Et hoc statutũ uendicet sibi locum, si principalis conuentus ciuiliter, uel criminaliter iurisdictionem prędictam declinauerit suo proprio nomine, uel etiam si procuratorio, tutorio, actorio, curatorio, uel syndicatorio nomine alterius declinauerit quo casu quando nomine alterius declinauerit, tutor ipse, curator, actor, procurator, uel syndicus pręsenti statuto ligetur. & nihilominus talis dominus, cuius nomine prædicta facta, & dicta fuerint, uel declinatum fuerit, in bonis, & rebus (ut præfertur) offendi possit. Addentes, q. si quis ratione priuilegii Clericalis, aut alicuius dignitatis, uel alia ratione iurisdictionẽ Rectoris declinauerit, uel recusauerit per se, uel alium, aut de eo fuerit quo quo modo subtractus, quò minus de maleficio per ipsum commisso de prędictis puniatur, si postea quandocunq; Clericalẽ habitũ deposuerit, aut uxorẽ acceperit, de delicto iam cõmisso puniatur, & cõdemnetur nõ obstante statuto, q. de cõmissis ante certũ tempus Rector non possit cognoscere.

De pœna rumpentium pacem. Rub. LX.

PRO excellenti dono pacis, quã Dominus noster IESVS CHRISTVS pro hæreditate preciosa reliquit, & per Discipulos suos uniuersis constituit annunciari, studiis omnibus Legumlatores, & alii prouidi Rectores, tam prouidè, q̃ utiliter diuersimodè laborarunt. Quapropter hac perpetua futuris temporibus inuiolabili lege sancimus, q. si quis pacem, uel treguam fregerit, seu ruperit, in quadruplo eius pęnę, in qua puniretur pro illo maleficio, si pax, uel tregua facta non fuisset, condemnetur, & puniatur, ultra pęnam conuentam inter ipsas partes. Rupta autẽ non intelligatur pax, seu tregua per uerba iniuriosa, uel ex noua causa, sed tantùm si dolo malo aliqua percussio interuenerit inter partes, uel ratione offensæ sibi factæ offenderit, seu offendi fecerit.

De pœna

De pœna facientium uindictam contra alium, q suum offensorem. Rub. LXI.

SI Quis occasione alicuius offensionis, uel iniuriæ sibi illatæ, siue cuicunque personæ sibi coniunctę usque in tertium gradum consanguinitatis de iure Canonico computandum, ad uindictam prioris offensæ prædictæ offenderit, uel percusserit, siue offendi, uel percuti fecerit aliam personam, quàm principalem suum offensorem, uel talis personæ sibi coniunctæ percussorem, talis sic offendens, uel offendi faciens pro tali offensione sic facta sine sanguine, siue cum sanguine puniatur in triplo eius, quo puniretur, si ad uindictam præfatam non fecisset, & insuper in exilium mittatur per tres annos, & plus, & minus, arbitrio Rectoris. Et ad probandum, ipsam offensionem, seu percussionem ad uindictam fuisse sic factam, sufficiat probatio, & depositio quatuor testium de publica uoce, & fama superinde probantium, & deponentium.

De fideiussoribus dandis de non offendendo. Rub. LXII.

STATVIMVS, & ordinamus, q si quis coram Rectore, uel Iudice, uel Curia huius nostræ Terræ proposuerit, se aliquem suspectum habere, q ipsum uelit offendere, præcedentibus minis, inditiis, uel signis, ex quibus uerisimiliter quis debeat dubitare, seu suspicari, talis Rector, uel Iudex ad petitionem, uel requisitionem talis dubitantis, seu suspicantis teneatur, & debeat illum, de quo sic timetur, uel habetur suspitio, cogere de facto, & sine aliquo processu, prout ei uidebitur, præstare eidem tali suspicanti, uel dubitãti fideiussores idoneos, seu fideiussorem idoneum, & talem habitum sic suspectum, ac habentem, & promittentem suo proprio nomine, & suorum consanguineorum, & affinitate coniunctorum usque in tertium gradum consanguinitatis, uel affinitatis de iure Canonico computandum de non offendendo talem suspicantem, nec consanguineos suos, & affines usque in dictum tertium gradum, sub pœna, quam dictus Rector decreuerit, & imposuerit, eius arbitrio, inspectis tamẽ personarum qualitatibus, & facultatibus: quę pœna, si contrafactum fuerit à tali cauente, seu eius fideiussoribus de facto sine processu aliquo exigatur, conueniendo etiam fideiussores omisso principali. Habeant tamẽ regressum fideiussores prædicti in personam talis principalis, & in eius bonis pro eorum indemnitate. Ad quorum petitionem, uel requisitionem, scilicet dictorũ fideiussorum talis principalis de facto, & sine aliquo processu, uel scriptura realiter, & personaliter cogatur eos cõseruare indemnes. Et Rector, siue Iudex liberum habeat arbitrium, & potestatem mulctandi, & puniendi, ac etiam personaliter cogendi, & carcerandi, necnon ad confinia, & relegationem mittendi illum, de quo sic timetur, uel haberetur suspitio, quousque cauerit (ut præfertur) sine alicuius processus, uel scripturæ interuentu. Possit etiam dictus Rector, siue Iudex cogere modo, & forma prædictis (si ei uidebitur) talem suspicantem, uel timentem ad cauendum, & fideiubendum de non offendendo illum, quem sic reputet esse suspectum. Hoc autem in præsenti statuto disponimus, q nullus possit postulare, uel petere tales fideiussores, uel fideiussorem, de quibus supra fit mentio, ab aliquo, quẽ prius offenderit, nec ab ipsius offensi consanguineis, uel affinibus quibuscunque, nec prędictos, uel eorum aliquem possit sic reputare suspectos, uel etiam allegare, nisi pro quiete dictæ Terræ, & euitandis scandalis, & aliud Rectori uideatur.

De pœna intrantium in dictam Terram, & exeuntium ex ea aliter, & aliunde, quàm per Portas. Rub. LXIII.

NEMO audeat ingredi, uel egredi de dicta Terra, aut intrare, uel exire per fenestrã, uel muros, uel aliunde q per portas, sub pęna uigintiquinque librarum denariorum, si fuerit Ciuis: si uero forensis, & alia persona suspecta, incidat in pęnam cẽtum librarum denariorum. Quæ pœnæ de nocte duplicentur. Et si infra decem dies nõ soluerit sine diminutione, mittatur in exilium per unum annum, & plus, & minus, arbitrio Iudicis. Et

Rector in præmissis possit, & teneatur procedere per inquisitionem, accusationem, denunciationem, uel alio quocunque modo. Aperiens autem aliquam Portam Communis clauibus ipsius Communis sine licentiã Portenarii, uel DD. Priorũ pro tempore existentium, in libris ducentis denariorum puniatur, & in exilium à dicta Terra, & territorio per quinque annos mittatur.

De pœna frangentis, uel occupantis muros Communis. Rub. LXIIII.

SI Quis fregerit, deuastauerit, aut ruperit modo aliquo murum aliquem Communis, aut occupauerit auctoritate præsumpta, aut propè talem murum alium construxerit, atq; ædificauerit, uel ipsum aliqualiter uiolauerit, rumpendo, uel destruendo, seu deuastando, uel similia faciendo, in libris cẽtum deñ. uice qualibet puniatur, & tale quid in statum pristinum suis sumptibus reponere, & reædificare, ac construere compellatur. Item nulla persona audeat, uel præsumat ripas, seu scarpas dictæ Terræ, seu quicquam ex eis fodere, capere, seu etiam occupare auctoritate præsumpta, sub pœna prædicta à quolibet contra facienti, & uice qualibet de facto exigenda, & sine aliquo processu, & scriptura. & teneatur in pristinum (ut supra) restaurare, uel relaxare. Et quilibet de prædictis legitimus accusator, & denunciator existat, & habeat quartam partem pœnæ.

De incendiariis. Rub. LXV.

IGNEM si quis in aliena domo in dicta Terra, uel territorio posita, in qua aliquis habitauerit, uel habitare consueuerit, dolosè immiserit causa ipsam comburẽdi, uel talem domum dolosè combusserit, pœna legali puniatur, & damnum damnum passo in duplũ reficiat. Et eisdem pœnis intelligatur obnoxius, qui ignem imposuerit causa comburendi in casinam, tugurium, uel alium locum, ubi aliquis continuè habitauerit, uel habitare cõsueuerit. Si quis autem grani, uel alterius bladi metam, aceruum, seu mucchiam, uel caualletos, uel casam, seu casinam, uel locum, ubi nõ habitetur, combusserit, uel causa comburendi ignem immiserit, uel molendinum, molam, seu macinam fregerit, uel ruperit, uel frangendi causam dederit, in libris mille deñ. & exilio decennali à Terra, & territorio condemnetur, & ad emendationem damni in duplum patiẽti puniatur. Qui autem domum, uel casinam extra dictam Terram positam, & per nullam personam quo quo modo habitatam fregerit, in libris quinquaginta deñ. uice qualibet, & ad emendã damni in duplum cõdemnetur, & puniatur. Qui autẽ studiosè ignẽ immiserit in arboribus, syluis, stipulis, seu stipularibus, in libris uigintiquinq; deñ. condemnetur. Sed qui in palearibus, fœnilibus, & similibus ignẽ immiserit, in libris centũ deñ. cõdemnetur, & ad emendationẽ damni damnum passo in duplũ teneatur. Si autem nõ studiosè id fecerit, ad emendationem damni tantùm in duplũ teneatur. Et si accideret q; aliqua domus, habitatio, uel res alia combureretur quomodocunq; concedimus cuilibet pro impediẽdo igne, ne ulterius progrediatur, & negetur, auctoritatem domos conuicinas destruẽdi, ut uidebitur expedire, & dictę res sic destructæ extimari debeant per tres homines eligendos, unum per damnum passum, & alios per DD. Priores, & damnum emẽdetur ab authore, qui causam incendii dedit, si potest, aliàs à Cõmuni pro medietate, & pro alia medietate à conuicinis proximioribus, connumerato damnũ passo. Et uicini intelligãtur secundum declarationẽ Rectoris, uel Iudicis. Liceat autẽ tempore dicti incendii unicuiq; accedere cũ armis, & sine, & præcipere Fabrimurariis, & Lignariis, & aliis manualibus, q; accedant; qui si in continenti non accesserint, incidant in pœnam uigintiquinq; librarum deñ. pro quolibet, & credatur iuramento eius, qui dixerit requisiuisse, cum uno teste, etiã non omni exceptione maiori. Et in omnibus supradictis casibus Rector, & quilibet alius Officialis habeat iurisdictionem inquirendi, inuestigandi, cognoscendi, & torquendi, prout sibi uidebitur, & placebit, & repertos

pertos culpabiles puniendi. Addimus quoque, nemini licere ignem in stipularibus, seu sti pulis immittere ante festum S. Mariæ de mense Augusti absque expressa licentia Mag. DD. Priorum pro tempore existentium, & Rectoris, sub pœna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet, & damnum, si quod ex inde oriri contigerit, pa tienti in duplũ restituat. Qua licentia obtenta, talis teneatur cauere de emendando dam num inde proueniens (si contigerit) occasione præmissa.

Quòd Aduocati, Procuratores, & Notarii nullo modo recipiantur in fideiussores. Rub. LXV.

RECTOR, uel Iudex, uel eius Officiales dictæ Terræ omnes, & singuli omninò caueãt, in fideiussores, seu pro fideiussoribus admittere, uel recipere Aduocatos, Pro curatores, & Notarios. Si quis autem de prædictis Aduocatis, Procuratoribus, & Notariis contra formam huius statuti in ciuili, uel criminali causa, uel alia occasione quacunque in fideiussorẽ (licèt de facto) receptus, seu admissus extiterit, nullatenus obligetur, seu teneatur, & sic recipiens, uel admittens in libris uigintiquinque dẽn. pro quolibet, & uice qua libet puniatur, & non possit talis promissio, uel fideiussio iuramento uallari. Idem etiam dicimus in Equitibus Lauretanis, & aliis, & Doctoribus, seu Capitaneis. Et quicquid secus factum fuerit, non teneat ipso iure, & huic statuto non possit modo aliquo renunciari directè, uel indirectè, tacitè, uel expressè, seu quomodocunque.

De pœna deferentium arma. Rub. LXVI.

SI Quis in dicta Terra arma portauerit contra dispositionem præsentis statuti si per aliquem Officialem, uel eorũ Familiam inuentus fuerit, taliter puniatur, uidelicet pro cultello, siue gladio feritorio, dagha, pugione, uel his similibus in decem libris denariorũ puniatur. Pro ense, seu spada, spontono, stoccho, falciono, lancea, ronchone, uel his similibus pro quolibet, & qualibet uice in decem libris denariorum puniatur. Pro mazza ferrata, roncha, bordone de ligno ferrato, uel non ferrato, baculo maltiolo, pro quolibet, & quali bet uice in quinque libris dẽn. puniatur. Si quis autem loricam, siue iacchum, iupponem de piastra, galeã, uel alia arma defensibilia portare inuentus fuerit, in libris quatuor dẽn. pro quolibet genere armorum prædictorum, & pro qualibet uice puniatur. Et pro alio gladio, siue cultello maiore uno palmo, manica cõputata, in solidis quadraginta puniatur. Quicquid autẽ in prædictis simile reputari debeat, seu pro simili haberi, Rectoris, & Mag. DD. Prio rũ arbitrio relinquatur. Forensis autẽ arma offensoria, uel defensoria per dictã Terrã por tare præsumens, in uigintiquinque libris dẽn. condemnetur pro quolibet, & qualibet uice, & arma perdat, & Cõmuni applicentur, & consignẽtur Camerario, seu Depositario Cõmunis, nisi iustam, uel legitimã defensionem, seu causam ostẽderit, quam extimare legitimã, admittere, uel reiicere, Rectoris arbitrio relinquatur. Et quilibet Custos Portarum dictæ Terræ, & quilibet Hospitator teneatur prædicere cuilibet forensi statim ut peruenerit ad Portas prædictas, uel ad Hospitium, ne portet arma prædicta per dictam Terrã. Quod si non fecerit, damnum, in quo talis forensis incurrerit propter delationem talium armorũ, de facto eidem resarcire, & restituere de suo proprio compellatur, & cogatur omnino. Et Rector, uel Iudex, seu Curia teneatur uinculo iuramenti qualibet die mittere suam Fa miliam ad inquirendum, & rimandum contra portantes arma prædicta, uel aliquod præ dictorum in dicta Terra Sancti Elpidii, & inuentos sic, ex sola relatione Familiæ de facto, & sine processu aliquo puniat, & punire possit, & ualeat, ac debeat, nullo alio requisito, seu discusso. Nulli autem hominum liceat de die, uel de nocte deferre, uel portare aliquod ex prædictis armis, uel similibus in aliquo Concilio, Parlamento, Congregatione, uel in Palatio Communis, etiam si licentiam haberet à quocunque, sub pœna uigintiquinque

librarum denariorum de facto exigendarum, & dicto Communi applicandarum. Et de prædictis quilibet habeatur legitimus accusator, & relationi Familiæ, uel Officialis stetur. Et quando Familia Rectoris, uel Iudicis uadit rimando cōtra sic portantes arma, si quis à conspectu eius aufugerit, seu non permiserit se rimari, perinde habeatur, ac si arma portasset, & in decem libris denariorum puniatur. Item si quis secum ante, uel post, iuxtà, uel propè aliquem puerum, seu ragatium, uel alium duxerit arma ad ipsius instantiam deferē tem, de facto puniatur, ac si ipse deferret, iuxtà qualitatem armorum. Liceat autem unicuique in eundo, & redeundo extra Terram, & territorium arma, etiam hastara, & Archibusium impunè portare. Liceat etiam unicuique, cum licentia Rectoris, uel Iudicis, arma defensibilia portare, præstita cautione de non offendendo, arbitrio Rectoris. Alia autem arma, præter defensibilia, licentia portandi concedi nullatenus ualeat, quę si concessa fuerit, non teneat, imò sit ipso iure nulla. Addentes, q. in omnibus prædictis casibus pęnæ in territorio dimidientur, & de nocte duplicentur, & beneficium pacis, uel confessionis locū non habeat. Et appellatione armorum contineatur omnis materia apta ad nocēdum, uel offendendum grauiter, uel ad mortem.

De pœna euntium de nocte post tertium sonum campanæ. Rub. LXVII.

VNIVERSIS interdicimus per Terram Sancti Elpidii de nocte post tertium sonum campanæ Palatii sine sufficienti lumine, uel stipite ignito, seu titione ire, uel ambulare: pœna cuilibet contrafacienti decem solidorum, si per Curiam, uel Rectorem, seu Officiales eius inuentus fuerit: exceptis illis, qui inuenti fuerint per tres domos propè domum suam: & exceptis etiam fornariis, aut portantibus oliuas ad macinādum, uel etiam euntibus, & redeuntibus à molendino, uel ab aliquo alio exercitio, uel euntibus, & redeuntibus extra dictam Terram, qui ad pęnam aliquam minime teneantur. Et inuenti de nocte per Curiam nō possint duci, uel retineri in Palatio occasione prædicta quo quo modo, sed eis fiat præceptum sub pęna, quæ Iudici uidebitur, ut mane sequenti accedant in Palatium, nisi essent homines malæ famæ: quo casu possint duci, & carcerari: de quorum mala fama, & conditione Rectoris, & DD. Priorum pro tempore existentium arbitrio standum esse decernimus, & uolumus. Addentes, q. si aliquis de nocte, dum Curia uadit rimando contra non portantes lumen, uel arma, aufugerit, seu fugā arripuerit ante Officiales, præsumatur portasse arma, & pęna decem librarum denariorum plectatur. Nemo etiam de nocte dimittat, uel relinquat scalas in dicta Terra extra domum, ne nolētibus quicquam mali facere auxilium, occasionem, uel commoditatem præbeat: pœna contrafacienti pro qualibet uice quadraginta solidorum.

De pœna ludentium ludis prohibitis. Rub. LXVIII.

QVIA ex ludo crimina oriuntur, statuimus, & ordinamus, q. nulla persona in dicta Terra, uel eius districtu possit, uel debeat ludere ad cartas, taxillos, seu ad aliquem alium ludum prohibitum, publicè, uel secretè, de die, uel de nocte: pœna contrafacienti, si de die, quinquaginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet sine diminutione. Si uerò de nocte, uel etiam de die occultè quis luserit, cētum solidorum sine diminutione pęnam incurrat. Et intelligatur ludere occultè, qui in aliqua domo, reclaustro, uel alio loco clauso luderet, clausis ostiis, uel aliter in abscondito, adeò q. publicè uideri non possit. Et intelligantur ludere ad dictos ludos prohibitos omnes illi, qui essent inuenti per Officiales Rectoris, uel aliquē ipsorū stare, uel sedere in quouis loco, & ibi habere, uel retinere pecunias, taxillos, uel cartas, seu q. taxillos, uel cartas, uel aliud ludum prohibitū, uel pecunias proiecerint, seu aliter occultare quæsierint: de quibus stetur relationi dictorū Officialium, uel alterius ipsorū cum iuramēto, nisi legitimè constaret per alios testes, & legitimas probatio-

probationes, q. duo tantùm ex dictis personis inuentis ludebant, & alii non ludebant, quo casu solùm ludeotes soluant pœoas prædictas. Srantes uerò ad uideodum, in uiginti solidis de facto uice qualibet puniaotur. Faciens uerò custodiam lusoribus prædictis puniatur eadem pœna, qua ipsi lusores puniuntur. Qui uerò domum dictis lusoribus ac commodauerit, seu ad ludendum receptauerit, incurrat pœnam decem librarum denariorum de facto: quam si cum effectu infra quinque dies non soluerit à die factæ inuentionis, pœoa duplicetur, siue domus sit propria ipsius receptatoris, siue conducta. Et intelligatur, ac habeatur pro receptatore ludi, & lusorum, si non probauerit per testes, uel instrumenta, se prohibuisse lusoribus, q. non deberent ibi ludere, & illi inobedientes fuerint, si in continenti dictus dominus, seu conductor domus non denunciauerit Rectori, uel eius Curiæ. Mutuanti autem pecuniam lusoribus prædictis, nulla detur actio ad repetendum, & incurrat eandem pœnam, quam ipsi lusores, ut supra, incurrunt. Si quis uerò promiserit soluere omne id, quod ludens perderet, seu fideiussetit, uel pigous dederit, seu quouis alio modo se obligauerit, declaramus, promissionem, obligationem, fideiussionem, seu quouis alio nomine, uel titulo nuncupatam, fore, & esse nullam, & inualidam, nulliusq; momenti, & tam ipse mutuans, pigous dans, & promittens, q̄ ille, qui recipit, ac etiam notarius, & testes de præmissis notitiam habentes eadem pœna, qua lusores de nocte ludentes, puniantur: & mutuātibus, & aliis (ut supra) sit derogata audientia in Curia huius Terræ, & dicti recipientes mutuum ad restitutionem nullatenus teneantur. Et ad probandum, q. talis pecunia, uel res fuerint mutuatæ, uel commodatæ, seu pignoratæ, uel promissæ causa ludendi, probetur per unum testem de ueritate, & tres de credulitate, uel quinque de fama, considerata semper conditione personarum, & consideratis semper uerisimilibus indiciis contra illos, qui prædicta commiserunt. Item tenens candelas, seu lumen ludentibus, aut taxillos, uel tabularium gratis, seu cartas concedens, uel mutuans, eadem pœoa, qua ludens, puniatur. Et unicuique liceat supradictos accusare, & denunciare, & lucretur quartam partem pœnarum, & credatur ipsius iuramento cum uno teste ad totam pœnam, & teneatur secretus. Ludentes uerò cum falsis taxillis, cartis, aleis, uel similibus, uel præfata lusoribus mutuantes, uel uendentes eadem pęna, quà lusores, teneantur, & nihilominus tam lusores, q̄ etiam mutuantes, uel commodantes eadem pœna plectantur, uel ligentur ad cathenam per diem, & plus, & minus, arbitrio Rectoris.

De pœna negantium filiationem, paternitatem, & his similia. Rub. LXIX.

ORDINAMVS, q. si quis in ciuili, uel criminali causa negauerit per quodcunque uerbum, quod negationem importet, aliquem esse, uel fuisse patrem, filium, uirum, uel uxorem, patruū, uel auunculum, uel alium consanguinitate, uel affinitate coniunctum usque in tertium gradū consanguinitatis, uel affinitatis de iure Canonico computandum, uel notarium, uel similia: si talem negationem eadem die, uel sequenti, qua sic negauerit, non reuocauerit, & negatum confessus fuerit: si tale quid negatum, deinde probatum fuerit per quatuor testes de publica uoce, & fama super inde testimonium perhibentes, (quam probationem prędictis ualidam esse decernimus) talis sic negans in libris decem denariorum de facto, & sine processu aliquo puniatur: quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus.

De pœna petentium debitum iam solutum, uel plus debito. Rub. LXX.

ILLORVM fraudibus, qui debitum iam solutum, uel aliter satisfactum petierint in iudicio sine litis contestatione, obuiare uolētes, statuimus, q. si quis tale debitum sic petierit, ut pręfertur, in libris uigintiquinq; denā. de facto, & sine processu aliquo puniatur. Cuius pęnæ medietas sit Communis, alia illius, contra quem sic petitur, siue ipse querelā,

uel accusationem super inde exposuerit, siue non. Et eadem pęna similiter puniatur plus debito petens, & cadat nihilominus à toto. In petente autem ante tempus, debitori dupli centur induciæ. Prædicta autem omnia in hęredibus, aut successoribus uniuersalibus, uel singularibus, & in illis, qui probabilem ignorantiam habeant, debitum iam solutum petẽtibus iure prædicto locum non habeant, nisi scienter sic petierint, uel post protestationẽ, uel certiorationem de tali solutione, uel satisfactione præmissa petierint, ut supra fertur.

De pęna inuadentium, uel occupantium rem immobilem, uel turbantium aliquem in possessione sua. Rub. LXXI.

SI Quis ad tantam furoris peruenerit audaciam, q̃ auctoritate propria cum collecta duorum, uel plurium alienam possessionem, uel rem immobilem uiolenter per se, uel aliũ, seu alios eius nomine occupauerit, uel inuaserit, aut tale quid fieri fecerit nomine antedicto, siue tale quid factum fuerit, expellendo de tali re, uel non permittendo possessorẽ eiusdem rei, uel alium eiusdem nomine reingredi, seu recuperare rem, uel possessionẽ, principalis faciens, uel fieri faciens in libris centum deñ. puniatur. Quilibet uerò associans facientem in libris quinquaginta deñ. uice qualibet puniatur. Si autẽ sine collecta tale quid factum, uel commissum fuerit, puniatur sic committens, aut cõmitti faciens in libris quinquaginta deñ. & in quolibet casuum prædictorum omne ius quod in tali possessione, uel re, uel ad rem haberet, ipso facto, nõ expectata iudiciali sententia, amittat, & sit inde priuatus. Si quis autem alicuius rei immobilis aliquem in possessione cum collecta, de qua supra dicitur, perturbauerit, seu molestauerit modo aliquo alio q̃ prędictis per se, uel alium eius nomine, principalis in libris quinquaginta deñ. & quilibet associans in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Collecta uerò nõ interueniente, principalis sic faciens, uel fieri faciẽs in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Laboratores uerò, uel mercenarii, qui nullo turbãdi, uel molestandi animo in alterius possessionem accesserint, ad pęnam aliquam minime teneantur: & Rector dictę Terrę teneatur, & debeat toto suo posse manutenere, cõseruare, ac tueri in eorũ possessionibus quoscunq;, & eis auxilium, & fauorẽ pręstare contra quoscunq;, cuiuscunq; dignitatis, priuilegii, uel iurisdictionis existant, turbantes, uel molestantes ipsos, seu possessiones, uel res occupãtes, uel inuadentes, ut supra fertur, aut quicquid de prędictis uolentes facere, aut attentare, cõtra uiolentiã quorumcunq;: & nihilominus Rector, fide habita, summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicii in iure quo quis spoliatus fuerit in eius possessione, uel re, uel eius res, uel possessio prædicta sic occupata fuerit, uel inuasa, & quod sic spoliatus spoliationis tempore possidebat, ipsum in eiusdẽ rei possessione de facto reintegret, atq; tueatur. Et si quis de syluis, pratis, pascuis uel aliis quibuscunq; possessionibus, & rebus Cõmunis auctoritate propria occupauerit quo quo modo, in libris centum deñ. puniatur, & occupatum in pristinum restituat, unà cum damno, & interesse Cõmuni. Et si in aliquo ex casibus antedictis interuenerit accusator, uictus uictori in expensis legitimis condemnetur, & quartam partẽ lucretur. Adiicientes prędictis, ac etiam declarantes, q̃ etiã dicantur inuadere, turbare, & occupare omnes illi, qui intrauerint possessionẽ alterius, possessore nõ citato: non obstante q̃ alicuius Iudicis auctoritate intrauerint, & dictam possessionem quomodocunq; coluerint, uel ex ea aliquos fructus perceperint, uel collegerint. Et forenses talia, uel huiusmodi committentes, pœna dupli, qua non forenses, puniantur.

De terminis motis, & quæstione confinium. Rub. LXXII.

TERMINVM uicinalem quicunq; fraudolenter, inuito, uel nescio uicino, uel domino, uno, uel pluribus, remouerit, amouerit, & foderit, uel quomodolibet mutauerit, in quinquaginta libris deñ. puniatur uice qualibet, & pro quolibet termino sic effosso, uel moto,

uel moto,ut supra.& præsumatur,uicinum dominum,uel quasi possessionis laborate,uel nō laborate dictum terminū amouisse,effodisse,uel mutasse. Quę pręsumptio pro legitima probatione habeatur,maxime si uicinus dñs,uel quasi de dicto termino amoto fuerit cōquestus. Lites autē super terminis,& confinibus Rector,uel Iudex summarie,simpliciter,& de plano,sine strepitu,& figura iudicii,sola facti ueritate inspecta,dirimat infra decē dies post propositam quærimoniā,accedendo personaliter ad locū,uel alios transmittendo pro informatione ueri habēda: non obstātibus feriis,etiā in honorē Dei introductis.

De pœna inuadentium tenutam datam per Curiam. Rub. LXXIII.

AD hoc,ut Iudicum decreta ludibrio non habeantur,sancimus,q; si quis rei suæ,uel ad se spectantis tenutam alicui datam per Rectorem habētem ad hoc potestatem intrauerit,in solidis quinquaginta pro solo introitu,si sciuerit,uel ei notificatum fuerit,talem tenutā datam esse,de facto puniatur. Possit autem ille,cuius talis res fuerit,ire ad Curiam intra octo dies post talem dationem tenutæ,& petere,atq; facere ipsam ad debitā,& uerā quantitatē per Iudicem reponi. Quod si non fecerit,& ipsam sic intrauerit,pęna pręcdicta puniatur: nisi tempore excusationis suę ab accusatione super inde facta talē tenutā cum effectu restituerit facto,& nō uerbis: quo casu Iudex eidem mandet,pęna decē librarū,q; talem tenutā dimittat,siue euacuet,& relaxet ea,quę per se,uel aliū non utatur. accusatio enim super inde porrecta semper possit aboleri secūdum modū,& formā in statuto supra traditā de abolitione cōcedenda,prçterq̃ forensibus,quibus pęna debeat duplicari.

De offendentibus Exbanditos. Rub. LXXIIII.

IN pęnam exbanditorum,& odium,præsenti lege statuimus,q; si quis exbanditum,& condemnatum ad mortem principaliter,uel sub conditione aliqua offenderit,etiam si occiderit,ad pęnam aliquam minime teneatur. Si quis uerò exbanditum,& condemnatū in persona principaliter,uel sub conditione,citra mortem tamen,non aliter ex offensione teneatur,nisi mors talis cōdemnati interuenerit: qua interueniēte,talis offendens in quinquagentis libris deñ. puniatur. Offendens autem exbanditum,& condemnatum merè,& simpliciter in pecunia tantùm,uidelicet in quinquaginta libris deñ. uel ab inde supra,non teneatur ad pęnā,nisi ex offensione cicatrix in facie perpetuò remansura,aut incisio totalis. uel fractura alicuius ossis,seu debilitatio perpetua alicuius nerui,uel membri,uel officii membri facta,sequuta,uel sequutura fuerit,uel aliter grauiter uulnerauerit,Iudicis arbitrio: quibus casibus,uel eorum aliquo interuenientibus,uel interueniente,offendens puniatur,ac si alium non exbanditum offendisset. Si autem mors talis exbanditi interuenerit,offendens in mille libris deñ. puniatur. Offendens autem exbanditum,& condemnatum à quinquaginta libris citra,& non ultra: si sine sanguine,in libris decem: si autē cum sanguine,in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Si autē ex offensione tali mors sequeretur,. aut incisio,uel fractura totalis alicuius ossis,uel debilitatio ppetua alicuius nerui,uel mēbri,uel officii membri,uel cicatrix in facie perpetuò remāsura facta,sequuta,uel sequutura fuerit in persona talis exbanditi,& condemnati,talis offendens perinde puniatur,& cōdemnetur,ac si talis offensus non fuisset,seu non foret exbanditus,ac etiam cōdemnatus.

De capiendis forensibus offendentibus Ciues. Rub. LXXV.

AD tuendos Ciues nostros à temeritate,& pręsumptione forensium,statuimus,q; si quis forensis Ciuem aliquem nostrum cum armis offenderit,astantes in loco offensionis,seu unde talis forensis aufugerit,si negligentes fuerint in faciēdo rumorem,& prosequendo talem forensem,etiā cum armis,in libris uigintiquinq; deñ. puniantur:& possit

talis forensis offensor in continenti à Ciuibus,& aliis quibuscunq; offendi, citra mortem tamen, nisi homicidium commiserit: tunc enim talis forensis quandocunq;, etiã ex interuallo offendi impunè ualeat usq; ad mortem inclusiuè. Si quis autem ex nostra Terra aliquem talem forensem receptauerit, seu ipsi consilium, auxilium, uel fauorem præstiterit, ea pœna, qua forensis, similiter puniatur, & talis forensis à dicta Terra perpetuò sit banditus, nec occasione capturæ, aut etiam præsentationis alterius exbanditi ad eandem Terram, eiusq; districtum quo quo modo uenire ualeat.

De malefactoribus, qui post maleficium commissum Religionem ingrediuntur. Rub. LXXVI.

IMPVNITAM alienam temeritatẽ remanere nolentes, ordinamus, q. si quis aliquod delictum cõmiserit, deinde Religionem ingressus fuerit, & demũ apostarauerit, nisi Sacris fuerit initiatus, possit, & debeat de tali delicto puniri, & cõdemnari per accusationẽ, denunciationem, uel inquisitionẽ: non obstãte absolutione de eo iam facta, quia Religionẽ intrauerit, ac etiã statuto de cõmissis ante certũ tempus cognosci prohibente.

De pœna receptantium Exbanditos. Rub. LXXVII.

QVIS QVIS cuiuscunq; sexus scienter receptauerit aliquem banditum, uel aliquem publicum inimicum, & rebellem nostri Communis in domo, uel habitatione, uel alio loco quocunq;: si quidem in dicta Terra, in libris tricentis dñ. puniatur. Si uerò extra, in territorio, & districtu, in medietate dictæ pęnę puniatur, etiã si talis receptatus esset in quocunq; gradu consanguinitatis, uel affinitatis receptatori coniũctus: & hoc intelligatur de bandito ex causa homicidii. Si uerò ex occasione proditionis, uel rebellionis banditus fuerit receptatus, tũc receptator puniatur in publicatione omniũ bonoꝝ Communi applicandoꝝ, & perpetuò exulet à dicta Terra, eiusq; territorio. Si quis uerò exbãditum, & condemnatum personaliter, seu in persona principaliter, uel sub conditione, citra mortem tamen, receptauerit, in libris quinquaginta dẽñ. puniatur. Si quis uerò scienter receptauerit exbãditum, & condemnatum in pecunia tantùm, in libris uigintiquinq; deñ. puniatur. Receptatio autem intelligatur eo ipso, q. dictus banditus, uel malefactor in Terra, uel territorio staret, uel moraretur in aliqua domo, uel habitatione, uel alio loco dicti receptantis, uel fuerit associatus, uel datus cibus, uel potus, uel habitum cum eo aliquod commercium, nisi uiolenter contra domini, uel receptantis uoluntatem fieret, uel potus, & cibus metu datus fuerit, idq; testibus, uel instrumento probetur. A prædictis autem excipimus patrem, matrem, uxorem, filium, fratrem, & nepotem, quibus per unam noctẽ tantùm, & non ultra liceat receptare, præterq; banditos ex causa rebellionis, uel proditionis, uel homicidii, quos nemini liceat receptare, ut supra. Idem uolumus obseruari in receptatoribus furũ, uel latronũ, ut eisdẽ pęnis, quibus ipsi fures, uel latrones, puniantur.

De pœna præstantium patrocinium, auxilium, consilium, & fauorem Exbanditis, uel condemnatis. Rub. LXXVIII.

QVICVNQVE alicui exbandito, uel condemnato Communis occasione alicuius proditionis, uel rebellionis scienter patrocinium in aduocando, uel procurãdo præstiterit, in libris centum deñ. uice qualibet puniatur, & tali exbandito, uel condemnato in causa ciuili, uel criminali in agendo, uel defendendo principaliter, seu per consequẽtiam nullatenus ius reddatur per Rectorem, Iudicem, uel aliquem Officialem Communis: pœna Rectori, uel Iudici, seu Officialibus ducentarum librarum deñ. imminẽte. Cõdemnatis uerò, & exbanditis ex aliis causis in ciuili, uel criminali causa, in agẽdo duntaxat

taxat nullatenus ius reddatur: pœna Rectori, uel eius Officialibus uigintiquinq; librarum dcñ. pro qualibet uice. Si quis autem, auxilium, consilium, uel fauorem præstiterit alicui exbandito, & condemnato occasione rebellionis, uel proditionis, siue ipsum associando, siue pecunias, uel res sub usuris mutuando, siue comestibilia, aut alia uictui necessaria præstando, seu præbendo eidem, aut aliter, q̃ receptãdo, quo quo modo faciendo, in libris ducentis dcñ. puniatur. Exbanditis uerò, & cõdemnatis de delictis alijs, q̃ prædictis, auxiliũ, consilium, uel fauorem præstans, in libris uigintiquinq; dcñ. puniatur, nec per prouisionẽ præsentis statuti quo quo modo derogari uolumus prouisioni statuti de receptatoribus exbanditorum, imò in suo robore immotum, firmumq; permaneat. Addentes, q; nemo audeat, uel præsumat laborare, uel laborari facere possessiones exbanditorum, sub pœna centum librarum deñ. Et nomina dictorum exbanditorum describantur per Cancellarium Communis in Cancellaria, ut publicè, & palàm ab omnibus legi possint; pœna dicto Cancellario contrafacienti uigintiquinque librarum denariorum.

De beneficio Exbanditorum repræsentantium alium exbanditum. Rub. LXXIX.

PRAESENTI statuto sancimus, q; si aliquis aliquem exbanditum, & condemnatum in eius contumacia de dicta Terra, & districtu in aliqua pecuniarum quantitate mere, & simpliciter ceperit, & cum effectu repræsentauerit per se, uel alium in fortiam Cõmunis, seu Rectoris dictę Terrę: si quidem talis capiens exbãditus, condemnatusq; Cõmunis non fuerit, talis capiens, & repræsentans per se, uel alium de pecunia Cõmunis pro qualibet libra talis capti, & repræsentati condemnationis, quinque solidos percipere & capere ualeat. Sin autem exbanditus, & condemnatus principaliter, uel conditionaliter in personam, uel ad mortem captus, & repræsentatus fuerit (ut præfertur) per alium nõ exbanditum, neq; condemnatum, libras quinquaginta dcñ. de bonis talis præsentati, si reperiuntur, aliàs de bonis Communis percipere, & habere ualeat. Si quis autem ceperit, & repræsentauerit (ut prædicitur) aliquem exbanditum, & condemnatum occasione rebellionis, proditionis, uel læsæ maiestatis, licèt ipse exbanditus fuerit, & condemnatus occasione quacunq; ipse intelligatur, & sit ab ipso bãdo, & condemnatione absolutus, exemptus, liber, & in pristinum auctoritate præsentis statuti restitutus, & ipsius bandũ, & condemnatio pro cancellatis & cassis, & nullius efficaciæ habeantur, & sint. Si autem exbanditũ, & condemnatum ex delictis alijs, q̃ prędictis, quisquam ceperit, & pręsentauerit, ut supra, & capiens, & sic repræsentans banditus, & condemnatus esset in pari, uel minori pœna, q̃ talis repręsentatus sit ipse ab ipsius cõdemnatione, & bãdo liberè exemptus, & absolutus, ac restitutus sit, & habeatur, ut supra, & sit, ac si banditus, & condemnatus nõ fuit. Quæ autem in prędictis par, uel minor pœna intelligi debeat, Rectoris arbitrio relinquatur, & Iudex ad instantiam capientis, & pręsentantis, ut supra, teneatur condemnationem, & bãdum talis repræsentantis secundum modum suprascriptũ cassare, & annullare, & cassam, & irritam pronunciare, decernere, & declarare, & insuper instrumentum, & litteras fieri facere oportunas. Hoc autem generaliter præsenti statuto addimus in quolibet eius casu, q; unus tantũm capiens, & præsentans principaliter beneficio huius statuti gaudeat, & fruatur, Et quis principalis intelligatur in præmissis, Iudicis arbitrio relinquatur. Per dispositionem autem huius statuti alicui alteri statuto specialiter disponenti in contrarium derogare nullo modo intendimus.

De paciscente super quota litis, & cedente ius suum alteri. Rub. LXXX.

ADVOCATI, uel Procuratores paciscentes pro quota, uel parte litis, uel alio cõstituto, uel consulentes, uel aduocantes, siue procurãtes pro utraq; parte, uel propalantes iura unius partis alteri aliter, q̃ in iudicio, cõtra uoluntatem partis, in quinquagita

libris den. puniantur pro quolibet, & priuationis officii aduocationis, procurationis & perpetuę remotionis,& priuationis Concilii,uel alterius officii publici,& fiat infames,sed salario,seu mercede à statutis ordinata sint contenti,& acquiescant. Cedens autē aliquod ius,actionem,petitionem,uel defensionem alicuius iuris, etiam per uiam donationis,alicui non subiecto iurisdictioni dicti Communis,uel Aduocato,Procuratori,Medico, uel Notario,uel alicui alteri potentiori, in centum libris denariorum puniatur tam cedens,q̃ cessionarius,uel donās,& donatarius, & nihilominus dictum ius cessum amittat ipso iure,& Communi applicetur.

De pœna accusantium,& non probantium. Rub. LXXXI.

ACCVSANS aliquem de confectione,seu fabricatione falsi instrumenti,& non probans,in libris cētum den. puniatur. Accusans uerò aliquem de productione,seu usu falsi instrumenti,uel testimonii,uel de perhibitione falsi testimonii,& non probans,in uigintiquinq; libris den. uice qualibet puniatur. Si quis autem de homicidio quemquam accusauerit,& non probauerit,in libris centum den. puniatur. Si quis uerò aliquem accusauerit de robbaria,uel crimine priuati carceris,uel alio delicto,de quo ueniret imponenda ex forma nostrorum statutorum pęna in totum,uel in partem corporalis, aut corporis afflictiua principaliter quidem,nō autem conditionaliter,& non probauerit, uice qualibet in libris centum den. puniatur. Si quis autem aliquem accusauerit de delicto, cuius pœna merè esset pecuniaria,uel etiam haberet annexam corporalem,uel corporis afflictiuam in modum conditionis,& nō probauerit,puniatur in duodecim libris den. pro qualibet libra,quæ imponi posset tali accusato,si delictum esset uerum,& probatum: dum tamen talis pœna non probantis libras quinquaginta non excedat. Et prædicta, & eorum quodlibet in accusatore, qui non fuerit calumniator euidens, statuta intelligatur. Sed si fuerit euidens calumniator,ad pęnam talleonis omnimodò teneatur. Et non intelligatur euidens calumniator ex eo solùm,q̧ non probauerit. Sufficiat autē accusatori pro euitatione prædictarum pœnarum suam accusationem probasse semiplenè. Possit autē accusator in prædictis casibus non probans ut supra,in ipsa instantia accusationis,& etiā postea in continenti,uel ex interuallo, ex Iudicis officio, & ad petitionem partis accusatæ, in dictis pęnis puniri,& insuper ad expensas legitimas accusato teneatur. In accusationibus uerò damnorum datorum,aut inuasionum,turbationum,seu occupationum tenutarum prędictæ pœnæ locum non habeant,sed tantùm uictus uictori in expensis legitimis condemnetur.

De pœna præstantium auxilium,consilium,& fauorem alicui committenti aliquod maleficium. Rub. LXXXII.

AD reprimendam delinquentium audaciam,statuimūs,& ordinamus, q̧ nullus audeat,uel præsumat dicto,uel opere,seu quomodolibet præstare alicui maleficio, seu committenti aliquod maleficium consilium, uel fauorem. Contrafaciens siquidem condemnetur,secundum formam nostrorum statutorum, in medietate illius pœnæ merè, & simpliciter pecuniariæ,qua condemnari, seu puniri deberet principalis. Si uerò delictum tale fuerit, cuius pœna principaliter, uel sub conditione fuerit personalis in totum, uel in partem,seu corporis afflictiua principaliter,uel conditionaliter,tunc ille,qui sic auxilium, consilium,uel fauorem præstiterit maleficio,aut ipsum committenti,realiter,uel etiā personaliter,citra mortē tamen,Rectoris arbitrio puniatur,non tamen in plus,q̃ ille,cui prę-stiterit tale quid consilii,auxilii,uel fauoris. statuto aliquo huius uoluminis,quod pro tali auxilio, consilio, uel fauore specialem pœnam imponeret,in suo robore permansuro: cui per hoc nullatenus derogetur.

De prouo-

De prouocantibus ad duellum. Rub. LXXXIII.

AD duellum (iure Canonico, & Ciuili prohibitũ) prouocans, seu inuitans quo quo modo per se, uel alium, uel acceptans, in libris quinquaginta denariorum puniatur, & condemnetur. Et Rector liberũ habeat arbitrium cogendi realiter, & personaliter talem prouocantem, ac etiam prouocatum ad pacem, & concordiam faciendam, & quemlibet eorum recusantem mulctandi, & puniendi, seu etiam relegandi, & ad confinia destinandi libero eius arbitrio.

De occidẽtibus, uel aliter percutiẽtibus animalia irrationabilia. Rub. LXXXIIII.

SI aliquis equum, bouem, asinum, & mulum, & id genus iumentorum, uel quadrupedum occiderit, puniatur in quinquaginta libris denariorum uice qualibet. Si quis autem cũ debilitatione alicuius membri aliquod ex prędictis animalibus percusserit, in decem libris denariorum puniatur: si uero sine debilitatione percusserit quomodocunque cũ sanguinis effusione, in quadraginta solidis denariorum uice qualibet puniatur. Si quis uerò occiderit, uel percusserit porcum, capram, pecudem, uel aliam similem bestiam paruam, condemnetur in medietate dictæ pœnæ. Et in singulis casibus supradictis ad emendationem damni domino, siue damnum passo in duplum teneatur occidens, siue percutiens. Gallinarum autem, pullorum, seu uolucrum quorumcunque domesticorum occisor in decem solidis puniatur, & domino duplicatum ualorem præstet. Liceat autem domino cuiuslibet possessionis, & suis familiaribus, ac etiam Laboratoribus, uel aliis ius habẽtibus in fructibus gallinas, anseres, & pullos alterius percutere, & occidere, si eos, uel eas reperierit damnum dare in uineis, hortis, & cannetis cultis, laboratis, ac etiam in blado impuné. Et in prædictis sufficiat probatio unius testis de uiso, ꝙ occidẽs inuenerit dicta animalia in dictis locis damnum dantia.

De rixa habita inter cõsanguineos, & familiares habitãtes insimul. Rub. LXXXV.

STATVIMVS, & ordinamus. ꝙ quotiescunq; inter consanguineos, uel affines usque in tertium gradum consanguinitatis, uel affinitatis aliqua rixa uerbis, uel facto orta fuerit, uel etiam inter familiares, & domesticos ad inuicem habitãtes in eadem domo ad unum panem, & unum uinum, Rector, uel Iudex, seu eius Curia nullatenus procedere possit, nisi ad querelam tantùm, uel nisi ex dicta rixa sequeretur uulnus, uel percussio cũ sanguinis effusione, uel cũ cicatrice, seu debilitatione alicuius membri, uel etiam mors, seu aliud enorme delictum, arbitrio Iudicis, & DD. Priorum pro tempore existentium, uel maioris partis eorum. Et tunc dictus Rector, uel Iudex, seu eius Curia liberè possit inquirere, & procedere, ac punire, perinde ac alii rixantes, uel aliquod maleficium committentes punirentur. In aliis autem exceptis casibus nullatenus possit se intromittere, nisi ad quęrelam ut supra, aliàs quicquid ex inde sequeretur, sit ipso iure nullum, nullius momenti, ualoris, & efficaciæ: quibuscunque in contrarium non obstantibus.

De cõtrahentibus clãdestina matrimonia, & sine cõsensu patris. Rub. LXXXVI.

PLERVNQVE (ut experientia docet) contingit, ex clandestinis matrimoniis nefanda, & incęstuosa matrimonia contrahi. Idrò statuimus, & ordinamus ꝙ si quis in dicta Terra, uel eius territorio matrimonium contraxerit cum aliqua muliere, insciis, uel inuitis parentibus, uel ad domum suam duxerit contra uoluntatẽ parentum, aut etiã mulierem, cum qua, consciis, & uolentibus parentibus, matrimonium contractum fuerit, de domo parentum, uel alia, in qua prius habitabat, insciis, uel inuitis prædictis, dolosè,

clandestinè, uel uiolenter ad domum suam traduxerit, uel traduci fecerit quo quo modo, in ducentis libris denariorum puniatur, & condemnetur, aliis censuris legalibus semper saluis. Si uerò parentes non fuerint habiles ad præstandum consensum, uel mulieres tales non haberent patrem, uel auum, contrahens debeat habere consensum trium proximiorum consanguineorum, uel saltem affinium, consanguineis non extantibus, sub pœna centum librarum denariorum. Si qua uerò mulier matrimonium contraxerit cum aliquo minore uigintiquinque annis ætatis suæ sine consensu patris, aui, uel proximiorum, (ut supra) puniatur, & condemnetur in centum libris denariorum, & ipso facto sit priuata omni commodo, & spe successionis, & parte hæreditatis, & bonorum, quæ eidem contingere potuisset, uel poterat ex successione quorumcunque suorum consanguineorum ab intestato decedentium, & applicetur illis, quibus applicari debuisset, si ipsa fuisset omni iure incapax successionum prædictarum. Et in omnibus, & singulis supradictis casibus contractus, obligatio, & instrumentum dotium matrimonii supradicti sint ipso iure nullius momenti, efficaciæ seu ualoris, nullamque iuris obtineant firmitatem, & Notarius de prædictis rogatus, & conficiens prædictum instrumentum pœna centum librarũ denariorum plectatur, & possit à quocunque accusari. Et idem etiam uolumus, & mandamus obseruari in uiduis habentibus filias ex prædefuncto uiro, quę similiter filiam, uel filias nullatenus nuptui tradere possint absque consensu, & præsentia fratris, aui, patrui, uel auunculi, uel his deficientibus trium proximiorũ, ut supra, sub pœna prædicta & nihilominus omni iure, & spe successionis bonorum, uel rerum dictæ filiæ sit ipso iure priuata, in contrarium non obstantibus quibuscunque.

De Meretricibus expellendis extra Terram. Rub. LXXXVII.

MVLIERES impudicæ, malæ conditionis, uitæ, & famæ per Rectorem dictæ Terræ, uel Iudicem ad querelam cuiuscunque, uel etiam ex ipsius mero officio expellantur omnino extra dictam Terram; ad quam nullo modo redire possint, sub pœna fustigationis, & uigintiquinque librarum denariorum: dumodo de earum mala fama, & conditione constet per quatuor testes fidedignos. Et Rector, siue iudex prædictus teneatur uinculo iuramenti, & pœna centum librarum denariorum de eius salario retinendarum præsens statutum obseruare, uel obseruari facere: quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus.

De occidentibus Columbos, & piscantibus alienas Piscinas. Rub. LXXXVIII.

SI Quis sine domini licentia Columbariam alicuius ingressus fuerit, pro solo introitu, si de die ingressus fuerit, in decem libris denariorum puniatur, & condemnetur: si uerò de nocte, in uiginti. Et si occiderit columbos, ceperit, uel exportauerit, puniatur pro quolibet columbo in uiginti solidis, ultra dictã pęnam: pro quolibet uerò pippione puniatur in quindecim solidis. Et si aliud damnum dederit tendendo, uel expauentando columbos, in centum solidis uice qualiber puniatur. Si quis uerò proiecerit, iaculauerit manu, uel arcu lapidem, cretam, uel aliud simile, uel balistauerit, aut archibusio, uel alio quocunque instrumento traxerit, licèt non occiderit, in centum solidis uice qualibet puniatur. Si uerò occiderit, uel debilitauerit, pro quolibet columbo occiso, uel debilitato in uiginti solidis condemnetur. Et in omnibus, & singulis casibus supradictis fiat condemnatio ad emendationem damni. Laqueos autem, seu lacciolos nomcupatos quicunque tetenderit, seu cum retibus, uel sine, columbos ceperit, pro quolibet columbo sic capto soluere teneatur, & debeat solidos uiginti. Vnicuique autem liceat talem delinquentem accusare. Et prædicta locum intelligantur habere etiam contra insidiantes columbis extra ipsas columbarias, & in locis remotis: dumodo studiosè insidias tetẽderit causa capiendi ipsos,

ipsos,& non aliter. Piscans autem in aliena piscina,seu pischeria,uel in ea mittens retia,uel aliud ad capiendum pisces,in libris decem denariorum,si de die fuerit. si uerò de nocte,in uiginti libris denariorum puniatur,& condemnetur.

De non alienando bona stabilia Forensibus,seu illis,qui iurisdictioni dictę Terræ subiecti non sunt,& de non excastellando. Rub. LXXXIX.

STATVIMVS, & ordinamus,& hoc pręsenti decreto firmamus,q. nemo,cuiuscunque status, seu conditionis existat, posit, uel quo quo modo debeat alienare, uel quo quo modo transferre aliquas res immobiles, possessiones, uel domos sitas in dicta Terra Sācti Elpidii,uel eius territorio uel districtu in aliquam personam Ecclesiasticam, uel sęcularem non subiectam iurisdictioni temporali dictæ Terræ, uel in aliquem alium, qui non subeat onera Communitatis dictæ Terræ, & qui non sit continuus habitator. Quicunque autem in prædictis,uel aliquo prędictorum contrafecerit, incidat in pęnam centum florenorum monetæ Communi dictæ Terræ applicandorum pro quolibet, & uice qualibet. & nihilominus contractus in prædictis, uel alienatio sit ipso iure nulla, & nullius ualoris,efficacię,uel momenti,& dicta res sic alienata,uel trāslata,auctoritate pręsentis legis sine aliqua alia sententia intelligatur,& sit ipso iure Communi dictę Terræ applicata. & ita intelligatur, si fiat ex ultima uoluntate,ex testamento,codicillis,donatione causa mortis,uel quauis alia causa, uel titulo ultimæ uolūtatis,nisi sic alienans,uel transferens in ultima uoluntate non subditos(ut supra dictum est)haberet consanguineos, uel affines sibi coniunctos usque in tertium gradum consanguinitatis,uel affinitatis inclusiuè de iure Canonico computandum,& dicti consanguinei,uel affines essent habitatores dictæ Terræ,uel eius territorii,& munera,seu onera dicti Communis sustinerent, uel subirent: tunc enim, & eo casu in talibus bonis sic dicto titulo translatis succedant, & succedere debeant supradicti consanguinei,uel affines: semper salua gradus prærogatiua. Excastellans uerò quicunque Ciuis,uel habitator,derelinquens habitationem dictæ Terræ, puniatur in pœna ducentarum librarum denariorum,nisi infra tres menses proximè futuros redierit ad prædictam Terram cum rebus, & familia. Subducens autem, uel subornans aliquem in prędictis,in centum libris denariorum puniatur,& condemnetur. Emēs uerò eius bona, res, & precium amittat, & Communi nostro applicentur. Derelinquens uerò habitationem dictæ Terræ tempore suspitionis absque licentia Concilii dictæ Terræ,in ducentis libris denariorum condemnetur. Et Rector super his teneatur inquirere, & repertos culpabiles in prædictis,uel aliquo prædictorum punire, sub uinculo iuramenti,& pœna centum librarum denariorum de eius salario retinendarum.

De renuentibus subire onera Communis. Rub. LXXXX.

COLLECTAS, & alia onera cuiuscunq; generis imposita,uel imponenda à nostra Communitate subire recusans, in libris quinquaginta denariorum puniatur, & nullo unquam tempore ad officia publica admittatur.

De pœna uendentium eandem rem duobus. Rub. LXXXXI.

QVISQVIS eandem rem duobus,uel pluribus in solidū diuersis temporibus uendiderit ascendentem ad ualorē centum solidorū,uel infra, in quinq; libris denariorum puniatur. Si autem talis res sic uendita fuerit ualoris supra centum solidos usque ad decem libras puniatur. & condemnetur sic uendens in decem libris denariorū. A' decem uerò libris supra usque ad uigintiquinque,talis uendens totidem libras soluat nomine pœnæ,& a uigintiquinque usque ad quinquaginta, similiter nomine pœnę totidem li-

bras soluat. A' quinquaginta uerò libris supra, quantæcunque fuerit extimationis, seu ualoris dicta res sic uendita, in centum libris denariorum condemnetur uendens, & nihilominus res uendita sit prioris emptoris, si de emptione legitimè constiterit, & contractus non fuerit clandestine celebratus non obstante, quod posterior emptor possessionem adeptus fuerit: quæ possessio, & contractus celebratus cum secundo emptore præsumatur, & reputetur simulatus, & fictitiè factus, & iuramentum super inde appositum per metum, dolum, & fraudem extortum habeatur, & propterea sit nullius roboris, efficaciæ, uel momenti, seu ualoris, & uenditor teneatur primo emptori, ultra prędictas pœnas, ad damna, expensas, & interesse, non obstantibus quibuscunque.

De personis exceptis à pœna. Rub. LXXXXII.

MINORES annorum decem ætatis suæ nullo modo puniantur occasione maleficiorum, nec etiam qui causa rixantes diuidendi aliquid fecerint, impellendo, uel separando dictos rixantes, dumodo moderatè se gesserint: nec etiam puniatur occasione præmissa, qui ad sui defensionem uulneratorem suum, uel percussorem percutiendo, uel uulnerando offenderit. Item excipimus omnes, & singulas percusiones, & uulnera fortuitò, & non dolosè factas, & à coniuncto in coniunctum: necnon uerbera, & percusiones illatas à uiro in uxorem, à parentibus in descendentes, à patruo, uel auunculo in nepotes, uel neptes, à fratre in fratres, uel sorores, à consanguineo in consanguineum usque in tertium gradum consanguinitatis de iure Canonico computandum: dumodo non deueniant ad percusiones cum sanguine, uel ad uulnera, uel ad aliud enorme delictum, Iudicis arbitrio. Simili etiam modo excipimus castigationes Magistrorum in discipulos, dominos, & dominas uerberantes, & percutientes famulos, uel famulas, seruientes, uel laborantes. Excepta etiam intelligantur, & sint omnia, & singula furta, & damna, quæ fierent à filiis, uel aliis descendentibus patri, uel alii ascendenti, uel à pupillo in rebus tutoris, uel minori in rebus curatoris. Excipimus etiam illos, qui castigant mentecaptos, & furiosos. Quod autem de cõsanguineis, & fratribus supra dictum est, intelligatur, si fiat per maiorem ætate in minorem causa correctionis, & dilectionis, & condecenti modo, arbitrio Iudicis. Et excipimus etiam offensores Lenonum, dumodo citra mortem, & membri debilitationem prædicta offensio facta sit.

De pœna offendentium patrem, seu matrem. Rub. LXXXXIII.

SI Quis diabolico spiritu instigatus tantæ fuerit temeritatis, & audaciæ, quod patrem, uel matrem, uel aliquam aliam personam ascendẽtem recta linea uerberare, percutere, seu uulnerare, uel per capillos trahere, seu quocunque alio modo offendere dicto, uel facto ausus fuerit, puniatur quadruplici pœna, qua alius puniri deberet, si aliũ offendisset, nisi pax inter prędictos sequuta fuerit: quo casu soluat quantum si extraneam personam offendisset: & isto casu talis percutiens, uel offendens beneficio pacis ulterius non gaudeat: quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus.

De Causis non extrahendis à Curia dictæ Terræ. Rub. LXXXXIIII.

CAVSAS, lites, uel quæstiones ciuiles, uel criminales, seu mixtas primarum, & secundarum causarum motas, uel mouendas negocii principalis, nemini, cuiuscunque status, gradus, uel conditionis existat, directè, uel indirectè extrahere liceat per se, uel aliũ dicto, facto, uel scripto, seu aliàs quomodolibet extra Curiam Terræ Sancti Elpidii, sub pęna centum librarum denariorum de facto, & sine aliqua diminutione à quolibet contrafaciente, & uice qualibet exigendarum.

De pœna

De pœna ponentium cornua, uel quid aliud turpe ad domum, uel ostium alicuius. Rub. LXXXXV.

INIVRIOSE ponens ad domum, uel ostium alicuius, uel poni faciens ossa, cornua, uel putredinem, uel quid aliud inhonestum, & turpe, uel etiam scripturam, seu famosum libellum continentem aliquid iniuriosum, uel literas inimicitiæ, seu quid aliud simile, in libris centum denariorum puniatur. & condemnetur sine aliqua diminutione, si probari poterit legitimè, uel per publicam famam probandam per quinque testes.

De exequutione sententiarum criminalium facienda per Rectorem dictę Terræ. Rub. XCVI.

PARVM esset sententias ferri, nisi executioni mandarentur. Iccircò statuimus, & ordinamus, & hac in perpetuum ualitura lege sancimus, q. Rector, seu Officialis nostræ Terræ sententias, & condemnationes latas, uel ferendas tempore sui officii exequutioni mandare teneatur, & debeat contra principales, uel fideiussores, uel etiam contra utrosque simul pro libitu uoluntatis suæ: quas sententias, & condemnationes exequutioni mandare teneatur intra mensem computandum à die latæ sententiæ, sub pœna quinquaginta librarum denariorum pro qualibet sententia, quę non fuerit exequutioni mandata: & nihilominus quantitas in ea contenta in eius salario computetur. Sententias uerò latas contra contumaces execution mandet per res: & bona eorum quantum potuerit diligenter hoc modo, uidelicet q. dicti Officiales, seu Rectores tales sententias prolaturi faciant, & fieri faciant inquisitionem, & inuestigationem de omnibus, & singulis bonis mobilibus, & immobilibus, & nominibus debitorum, & creditis talium exbanditorum, seu condemnatorum in contumaciam, & hoc appareat in actis eorum Curię. Et si quas res, uel bona, seu credita, uel nomina debitorum reperierint, ea in scriptis assignent, & assignari faciant Syndico Communis, ut de his fieri possit appræhensio, & incorporatio pro prædicto Communi, & interim talia bona sic descripta sequestrentur, & deponantur penès idoneas personas. Qui Syndicus talia bona pro Communi appręhendere teneatur, & debeat, & ipsa deinde accipere, & retinere, uel uendere pro Communi. Quòd si fuerit in prædictis commissa negligentia, Rector, eiusq; Socius Miles, qui neglexerit tales condemnationes exequutioni mandare, tas in suo salario sibi computari permittere teneatur. Syndicus autem in prædictis negligens rectoris arbitrio usque ad decem libras denariorum inclusiuè, & non ultra, mulctari ualeat, & puniri. Excipimus autem sententias latas ultimo mense Rectoris prædicti, quas Successor eius exequi teneatur infra mensem, sub iam dicta pœna.

Quòd masculinum genus concipiat fœmininum, & singularis numerus concipiat pluralem, & è conuerso. Rub. XCVII.

AD tollendam omnem dubitationem, quæ forsan in aliquo casuum alicuius statuti præsentis uoluminis oriri, siue contingere quo quo modo posset in futurum, statuimus, & ordinamus, & hoc præsenti nostro statuto decernimus, q. masculinum genus fœmininum, & neutrum concipiat, & è conuerso. Item singularis numerus similiter pluralem concipiat, & compræhendat, & è conuerso, & statutum in uno genere, uel numero similiter in alio statuto intelligatur, & sit. Et hoc locum habeat, si res, casus, dispositio, materia, seu prouisio sit indifferens, aut ita uni, sicut alteri de prædictis generibus, seu numeris conueniat, uel in talibus habeat locum. Et hoc tam in criminalibus causis, quàm etiam in ciuilibus, seu mixtis sit dispositum, & constitutum, atque prouisum: saluis semper statutis, quibus oppositum, siue contrarium reperiretur esse prouisum.

De pœna committentis fraudem in suo apprecio. Rub. XCVIII.

SI Quis in fraudem Communis possessiones sitas in territorio nostræ Terræ, & appreciatas in libro appreciorum Communis, seu catastri fecerit de suo apprecio leuari, & in apprecio alicuius poni fictè, eùm re uera dominium, uel quasi dominium, uel possessio rei positæ in dicto apprecio alicuius non transeat in ponentem, sed fecerit ad hoc, ut ponens eam habeat maiorem summam apprecii, ut esse posit conciliarius, uel causa fraudandi, uel fraudem committendi quomodocunque, & reperiatur talis, qui fecerit de suo apprecio leuari, possidere dictam rem, & fructus ex ea recolligere, licèt de suo apprecio sit extracta, talia ponens in fraudem, uel aliter fraudem cõmittens in libris quinquaginta denariorum puniatur, & condemnetur, & possit à quolibet accusari.

De pœnis non terminatis per statutum. Rub. XCIX.

QVIA non possunt omnes articuli, uel casus distinctè, & determinatè, & certa lege complecti, iecircò statuimus, & ordinamus, q̃ pœna non determinata per statuta huius nostræ Terræ terminetur secundum similitudinem aliarum pœnarum statutarum, procedendo de similibus ad similia. Et id simile, uel pro simili habeatur, & rectè statutum, & determinatum intelligatur, quod Rector, & D D. Priores pro tempore existentes simile iudicauerint: & ubi simile non reperitur Rectoris, & prędictorum DD. Priorum arbitrio relinquatur.

Statutorum Ecclesiasticæ Terræ Sancti Elpidii Liber Tertius de Causis Criminalibus fœliciter explicit.

IN DEI NOMINE. AMEN.

MVNICIPALIVM LEGVM, AC STATVTORVM

ECCLESIASTICAE TERRAE SANCTI ELPIDII

De Causis Extraordinarijs Liber Quartus fœliciter incipit.

De modo procedendi in Extraordinariis. Rub. I.

OFFICIALES Extraordinariorum sint,& esse debeant duo:quorum unus ducatur,seu eligatur per Rectorem dictæ Terræ, alter uerò eligatur, seu deputetur à Mag. DD. Prioribus pro tempore existentibus,& ducendus,seu eligendus per Rectorē sit forensis,& non aliter. Qui quidem Officiales iurent ante omnia de bene, fideliter, & diligenter eorum officiū exercendo,& habeant iurisdictionē coniunctim, uel diuisim procedendi,inuestigandi,inquirendi die,noctuq;,& puniendi de facto sine aliqua scriptura,& processu omnes dies festos ex forma statuti non custodientes,& alia delicta extraordinaria committentes summariè,simpliciter,& de plano quibuscunq; diebus, etiam feriatis in honorem Dei. Quibus quidem Officialibus inuenientibus,uidentibus, uel reperiētibus, uel alteri ipsorum credatur usq; ad quantitatem uiginti solidorum:ab inde uerò supra cū uno teste tantùm ipsis,& cuilibet ipsorum plena detur fides,ac si esset plenè probatū. De quibus quidem pęnis extraordinariis dicti Officiales,uel alter ipsorum habeat,& habere debeat quartam partem,& non ultra. Et si in prædictis,uel aliquo prędictorum fuerint negligentes,incidant,& quilibet ipsorum incidat in pęnam decem librarum denariorum pro quolibet,& uice qualibet de facto exigendarū,& Communi applicandarum de quibus expresse in fine eorum officii syndicentur,& quilibet ipsorum syndicari debeat.

De ponderibus,& mensuris. Rub. II.

STATVIMVS, & ordinamus,q. omnes,& singuli Mercatores,Aromatarii,siue Speciarii,Merciarii,Cupedinarii,seu Triccoli,ac oēs alii uendentes,& ementes in grossum,siue ad minutum de rebus,quæ debent,uel solent mensurari, uel ponderari, debeant habere,& tenere pondera,passus,& alias mensuras Communis ęquatas,bullatas,ac bulla solita Communis signatas:pœna centum solidorum pro quolibet marco,statera, pari bilanciarum,& passu. Et si dicta pondera,passus,& mensuræ inuentæ fuerint sine fraude,& bullatæ ut supra,in nihilo puniantur, sed solùm soluere teneantur deputato à Communitate pro aptatura, & bullatione bilanciarum, seu staterarum mercedem pro modo laboris,uidelicet bononenum unum pro quolibet dictorum ponderum,seu mensuratum,uel similium. Pro bullatione uerò mēsurarum uini,uidelicet buccalis, siue medii buccalis,seu fogliettę pro qualibet mensura ęquata,& bullata debeat habere pro mercede solidū unū, & non ultra. Et si quis contrafecerit,puniatur in pœna decem librarum dēn. pro qualibet mēsura,& uice qualibet. Et si quis fraudolēter dederit minus debito pōdere,uel mensura, pro qualibet mensura,& uice qualibet decē libras dēn soluere teneatur. Pro qualibet autē uncia sol. uiginti:& si minus uncia, pro rata. Si uerò fuerit passus pro mensurando pannos lanę coloratos ualoris triū librarū,uel circa,pro quolibet brachio soluat pęnā quadraginta sol.& ad emendationem damni teneatur:& si minoris precii usq; ad uiginti sol. pro quolibet brachio in medietate dictæ pęnę:& ab inde infra,in decē sol. de facto puniatur.

Si uerò fuerint panni non colorati, pro quolibet brachio in decem solidis condemnetur, & semper ad emendationem damni eius minus, quod dederit, teneatur. Quicunq; autem studiosè falsificauerit, uel falsificari fecerit dicta pondera, seu mensuras, & passus, uel aliquam ipsarum, in uigintiquinq; libris den. puniatur. Et eadem pœna puniantur retinentes, seu habentes qualitercunq; aliquod genus ponderis, uel mensuræ non iustæ, seu non adæquatæ, & cum illis, seu aliquo ipsorum emerint, uel uendiderint, uel emi, seu uendi fecerint quomodocunque. Vendentes autem pannos lanę ualoris unius floreni, uel maioris precii, item quodcunq; genus sericorum, uidelicet Villuti, Rasi, & aliorum huiusmodi minori passu, uel mensura, uel pondere, q̃ solito, & ordinario Communis, in decem libris den. pro quolibet brachio puniatur, ac etiam ad emendationem damni. Et Officiales extraordinariorum in prędictis diligenter quolibet die perquirere teneantur, & quilibet teneatur uinculo iuramenti, & pœna decem librarum den. pro quolibet contrafaciente.

De uiis, & stratis mundandis, & tergendis qualibet hebdomada. Rub. III.

QVILIBET, die Sabbati, uel altero die præcedenti festum teneatur, & obligatus sit mundare, tergere, & bene scopare stratas ante domum suam propriam, uel conductam in dicta Terra, & portare, uel portari facere extra dictam Terram in locis deputatis omne genus immunditiarum, adeò q; bene purgatæ, & scopatæ sint: pœna contrafacienti uiginti solidorum de facto ab ipso exigendorum. Et duplici pęna puniatur Officialis extraordinariorum in prædictis negligens.

De pęna facientium, uel proicientium immunditias, seu sordes in uiis, & stratis publicis. Rub. IIII.

NEMO audeat proicere, uel proici facere in uias, & stratas publicas per aliquã fenestram, uel balconem ex alto, uel ex ostio, uel undecunq; aquas, nec aliquas alias immũditias, nec coria, seu capita, aut cornua aliquoҙ animaliũ, seu sordes, uel alio quocunq; modo in dictis stratis, uel locis publicis aliquã turpitudinẽ facere: pęna pro quolibet cõtrafaciente, & qualibet uice uiginti solidoҙ. Et nemini liceat habere aliquã fenestrã super uiis publicis, in trasannis, uel aliis locis, ex qua proiciatur aqua, sordes, seu aliqua immunditia in dictis locis, uel aliis, seu aliquo eorũ, sub pęna centum solidoҙ. Et quilibet de prędictis possit accusare, & habeat quartam partem pęnę, & credatur iuramento accusatoris cum uno teste. Nullus etiam debeat impedire introitum uicinalem, seu angiportũ cum aliquibus obstaculis in præiudicium adiacentium uicinorum, sub antedicta pœna. Et insuper nulli liceat habere aliquod sedile, siue priuatum, seu necfatorium, ex quo aliqua turpitudo fluat, uel decurrat in stratas publicas, uel puteum, cysternã, uel foueam, ex qua fetor, uel malus odor uicinis inferatur, sub pœna decem librarum dẽ. Et quilibet teneatur habere, & tenere stratam, seu uiam ante domũ suam ita planã, & alzatam, ut aqua de directo fluere possit per dictã stratã, nec ipsã extollat, uel altiet, ita q; aqua decurrat in domũ alicuius uicini, & tędium, uel damnũ afferat. Nec aliquis pręsumat leramẽ iuxtà ipsas uias habere, & tenere, proicere, uel proici facere, propter quod aliqua immunditia fluat, uel perueniat in uias publicas, uel plateas, sub pœna uiginti solidorũ, quoties contrafactũ fuerit.

De pęna proicientis aliquam bestiam mortuam propè muros. Rub. V.

ORDINAMVS, q; nullus audeat, uel præsumat proicere, uel proici facere propè muros Communis, uel intra muros Communis, seu foueas, & carbonarias per uiginti cãnas ad cannam Communis aliquod animal irrationale mortuum, seu bestiam, sub pœna contrafacienti decem librarum denariorum uice qualibet. Et cuilibet liceat accusare, & lucretur quartam partem pœnæ prædictæ.

Quòd nul-

Quòd nulli liceat nouum opus facere, uel fabricare iuxtà uiam publicam, uel uicinalem absque licentia. Rub. VI.

ORDINAMVS nemini licere aliquod nouum opus facere, uel fabricare, uel fieri, & fabricari facere iuxtà aliquam stratam, uel uiam publicam, uel uicinalem, uel aliquem alium locum publicum absque licentia Concilii dictæ Terræ, ac domini, uel uicini habentium interesse, sub pœna uigintiquinq; librarum deñ. pro quolibet, & qualibet uice, & nihilominus si fabricauerit, appræhenderit, uel occupauerit aliquid de dictis locis, demoliri teneatur, & in pristinum statum reducere infra terminũ à Rectore, & Mag. DD. Prioribus pro tempore existentibus statuendum.

De pœna extrahentium Grasciam. Rub. VII.

NVLLA persona, cuiuscunque gradus, uel conditionis existat, quo quo modo, seu quæsito colore, uel sub aliquo prætextu audeat, uel præsumat portare, uel portari facere cũ bestia, uel sine causa extrahendi de dicta Terra, uel eius territorio granum, ordeũ, speltam, fabas, cicera, carnes uiuas, uel mortuas recentes, uel salitas, nec aliquod aliud genus uictualiũ per mare, uel per terram, sub pęna pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet uigintiquinq; librarum deñ. de facto exigendarum, & Communi applicãdarum pro medietate, & pro quarta parte accusatori, & exequutori pro altera, & ultra amissionẽ bestiarum, & uictualium, quas portauerit, & portare, seu portari fecerit causa sic extrahẽdi. Intelligatur etiam, si repertus fuerit in itinere propẽ, seu uersus cõfines territorii dictę Terræ, prædicta extrahere, & intelligatur etiã animum habere extrahendi, qui iret uersus molendinum, & molendini fines excederet, uel etiam non recta uia iret uersus dictũ molendinum, uel domum, seu habitationẽ propriam, uel conductã. Nulli etiam liceat extrahere, portare, seu portari facere ad aliquod forum, seu mercatum, & nundinas caseum, oua, pullos, hędos, agnos, suillas, & omnia alia uolatilia, & legumina, ac omnes fructus ad usũ hominum comestibiles, sub pęna decem librarum deñ. pro quolibet, & qualibet uice, & rerũ amissione. Addimus quoq; nemini licere, cuiuscunq; conditionis existat, extrahere, seu extrahi facere (prout supra dictum est) aliquod genus Grascię, & res, & bestias, & animalia supranominata sine licentia D. Potestatis, & DD. Priorum, & bullectino manu Cancellarii dictæ Terræ, pęna uigintiquinq; librarum deñ. pro quolibet. Et cuilibet liceat accusare, & denunciare fraudantes, & teneatur secretus : cui denunciatori, uel accusatori credatur, inspecta qualitate, & conditione personæ. Si autem Officialis dictæ Terrę reperiret aliquem fraudantem, & portantem extra (ut supra) in flagranti crimine, habeat, & lucretur dimidiam partem pęnarum prædictarum. Et in prędictis Rector, & Iudex teneatur procedere, inquirere, & inuenire ad denunciam cuiuscunq; sine strepitu, & figura iudicii, & seruatis, & nõ seruatis solennitatibus, & substantialitatibus iuris, & statuti &c. Liceat quoq; cuiq; capere omnes, & singulas personas, & bestias prædicta ducentes, exportãtes, seu extrahentes, dummodo inuentas, & captas eadẽ die, uel sequenti pręsentet corãm Mag. DD. Rectori, & Prioribus. Addendo insuper declaramus, non licere dictis DD. Potestati, & Prioribus dare licentiam extrahendi aliquod genus frumenti, uel bladi extra dictam Terram, & territoriũ absq; licentia, & deliberatione Concilii generalis, sub pęna pro quolibet contrafaciente uigintiquinque librarum denariorum de facto soluendarum.

De uestibus, & ornamentis Mulierum. Rub. VIII.

QVONIAM ob luxum uestium muliebrium, & auri, & ornamentorum facile contingere potest cuiusque facultates diminui, & forsan in totum dilapidari, ideò præsenti sanctione firmamus, q; in posterũ nulla mulier possit, nec debeat uestiri, nec ue-

stiatur uestibus uilluti, brochati, serici alicuius generis, neque armillas, & torques gestare, sed tantùm possit pro ornamento dictatum uestium portare duo brachia ad summũ ex prędictis, & non ultra, sub pęna uigintiquinq; scutorũ auri in auro pro qualibet muliere, & uice qualibet: ad quam soluendã de facto cogi possint, & astringi ipsarũ Mariti, habeantq; de prędictis pęnis quartã partẽ Officiales inuenientes, & cũ effectu exequentes, & quartã partem accusatores, qui teneantur secreti; residuũ uerò habeat Cõmunitas dictæ Terræ.

De exequiis, & funeralibus defunctorum. Rub. VIIII.

ORDINAMVS, q; nullus, uel nulla debeat ex causa luctus exclamãdo, uel aliquod signum tristitiæ faciendo in percutiendo manus, uel caput discoopertum tenendo exire extra limẽ domus, uel stare, uel morari ante, uel iuxtà domum, in qua corpus humanum mortuum fuerit, uel ex qua dictum corpus extrahi debeat ad sepeliẽdum, uel in qua luctus quomodocunque fiat: nec debeat aliqua mulier pannis, seu uestimentis indui extra limen domus prædictæ, uel aliter extra ipsam domum tempore luctus in conspectu gentium apparere, nec minus corpus mortuum osculari, seu tangere, & nulla persona consanguinea, uel affinis in secundo gradu, dum cadauer effertur ad Ecclesiam, causa luctus faciendi accedere debeat ad dictam Ecclesiam, ubi corpus sepeliendum erit, uel ad alium locum causa prædicta, uel alia causa luctus. Et postquam corpus mortuum ad sepeliendum portatũ fuerit, nullus ad domum defuncti redire præsumat causa luctus faciendi, sub pęna contrafaciẽti decem scutorum pro quolibet. Et nemini liceat propter dolorem alicuius personæ mortuæ uestes mutare, exceptis filiis Doctorum, Militum, nobilium, & Medicorum fratribus, & nepotibus carnalibus, & aliis existentibus in eadem Familia defuncti; quibus liceat indui uestimentis lugubribus, quæ tamen ultra mensem ferre non liceat. Idemq; in mulieribus ordinamus, exceptis uxore, filiabus, sororibus, nepotibus carnalibus, & matribus: quibus liceat portare uestimẽta prædicta per sex menses, sed uxori etiam ultra annum, donec sibi placuerit, sub iam dicta pęna. Neq; liceat uxori melioribus uestibus indui, sed communibus, & quotidianis, nec argẽteis, uel aureis cingulis, nisi relicta esset per uirum suum, aliàs perdat supradicta, & incurrat pœnam prælatam. ac etiam uolumus, q; nulla persona extra domum, unde extrahitur dictum corpus mortuum, die, & tempore, quo dictum corpus ad sepeliendum portatur, ante, uel post, alta uoce exclamare, uel uociferare possit, & debeat quo quo modo, faciendo corructum, seu tristitiam: nec debeat manus percutere, seu faciem, uel capillos trahere in signum tristitiæ. Possit tamẽ intus domũ plorare submissa uoce pro libitu, & uoluntate. Item statuimus, q; in associando corpus ad Ecclesiam, in qua sepeliri debet, portari possint octo cerei ceræ accensi, & non plures, non excedentes pondus unius libræ pro quolibet, & non ultra. Et possint accedere omnes Clerici, uel fratres illius loci, in quo corpus sepeliendum erit, cum quatuor aliis alterius ordinis, & non ultra, & omnibus Clericis Ecclesiæ suæ Parochię. Si uerò sepeliri deberet in aliqua Ecclesia parochiali, tunc possint accedere omnes Clerici talis Ecclesiæ, uel alterius: dumodo non excedant numerũ octo Clericorũ, computatis illis de parochia sua, sub iam dicta pęna. Et corpora defunctorũ deferãtur in feretro, seu capsa facie uelata, & cooperta, & non aliter, sub iam dicta pęna. Et prædicta corpora uestiantur saccis, uel uilioribus uestibus, sub iam dicta pena. Addentes, q; campanę Turris Cõmunis nullatenus pulsentur pro defunctis, nisi dũtaxat pro Prioribus, hominibus de regimine. Cancellario Cõmunis, Sacerdotibus cuiusq; ordinis, Monialibus, Doctoribus, Equitibus, & Capitaneis, sub pęna decem scutorũ pro quolibet contrafaciente. Et Priores pro tempore existentes incidant in eandẽ pœnã, si prędicta cõmiserint uel permiserint, & non obseruauerint, & pariter pulsator campanarũ. Declarantes, ad prędicta non teneri habitatores in territorio dictę Terrę sepeliendos in Ecclesia D. Marię Iesu de obseruãtia, qui aliquãdo ob inopiam hominum coguntur ipsimet deferre cadauera ad dictam Ecclesiam.

De con-

De conuiuiis, & ordine in ipsis obseruando. Rub. X.

ORDINAMVS, q. quilibet, qui uxorem duxerit, in cõuiuio nuptiarum, quod scilicet propter nuptias fecerit, nõ possit, nec debeat habere ultra decem personas ad comedendũ in ipso conuiuio, ex utraque parte, uiri, & uxoris exceptis seruitoribus ad seruiendum stantibus, & domesticis ipsius uiri habitantibus in domo sua, & exceptis minoribus quatuordecim annis. Volumus etiam, q. quicunque tradiderit aliquam nuptui, uel ad uirum suum miserit, & uoluerit ipsam, & suum uirũ ad suam domum reducere ad comedendum, (ut moris est) ultra dictas decem personas habere non debeat (ut supra) ad comedendum. Et qui contrafecerit in prædictis, incidat in pœnam uigintiquinque librarum denariorum de facto, & sine remissione aliqua soluendarum. In aliis uerò conuiuiis, quocunq; modo fierent, non possint conuitari, nec ad comedendum interesse ultra duodecim personas. exceptis seruitoribus, & aliis, quos superius excepimus, qui impunè possint interesse prædicto conuiuio, sub pœna decem librarum denarioꝝ pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet. Ordinamus etiam, q. intra mensem à die contractarum nuptiarum, siue conuiuii propter nuptias nullus ex consanguineis, uel affinibus uiri, & uxoris faciat cõuiuium, in quo habeat ultra octo personas: exceptis domesticis, & aliis, quos superius excepimus, sub pœna supra imposita, atque statuta.

Quòd nullus possit uendere fructus immaturos. Rub. XI.

STATVIMVS, nullum posse uendere uuas, poma, uel fructus quoscunque immaturos absq; licentia DD. Priorum, sub pęna decem librarum denariorum; & quilibet possit accusare, & habeat quartam partem pœnæ.

Quòd nullus emat fructus alibi, quàm in Platea. Rub. XII.

NVLLVS, quocunq; nomine censeatur, possit, uel debeat modo aliquo, uel ingenio emere, uel emi facere aliquos fructus, prodromos, siue ficus pręcoces, ficus, pyra, mala, pruna, cerasa, nuces, cępas, allia, seu alios fructus, nec olera, nec lepores, uel aliquod aliud animal uenale, domesticũ, uel non domesticũ, uiuũ, uel mortuũ, neq; uolucres alibi, q̃ in Platea Cõmunis. Et dictos fructus, olera, seu animalia emere nõ possit aliquis causa reuẽdendi aliis ante pulsationẽ campanę ad meridiẽ, sub pęna contrafacienti in quolibet prędictorũ casuum decem librarũ dẽn. uice qualibet, & pro quolibet sine aliqua diminutione exigendarum. Et uendens prædicta, uel aliquod prędictorum puniatur, & condemnetur in medietate dictæ pœnæ. Et similiter nullus ipsorum Reuenditorum, seu Cupedinariorum possit ire, nec stare ad Portas dictę Terrę, uel extra per unum miliare ad emẽdum prædicta, uel aliquod prædictorum, sub eadem pęna. Et Rector, siue Iudex, qui pro tempore fuerit in dicta Terra, teneatur, & possit ex suo officio de prædictis inquirere, & habeat quartam partem totius condemnationis. Et similiter Hebræis non liceat quicquam emere in die fori, seu mercati in Platea, uel extra, nisi post sonum campanę ad meridiem, ut supra, nec aliquid manu tangere, sub pęna uigintiquinque librarum denariorum ut supra applicandarum, & exigendarum.

Quòd nullus appræhendat aliquam Grauariam. Rub. XIII.

NVLLA persona audeat, uel præsumat appręhendere aliquam grauariam currentem, uel defluentem per uias, & stratas publicas dictę Terræ, & per ipsam, causa ducendi uel mittẽdi per domum suam, uel ad alium locum in terra, ut ex inde possit aliquis uel aliqua recipere damnum aliquod, uel iacturam. Contrafaciens uerò pęna centum so-

lidorum puniatur,& ad emendam damni damnum passo,si quod fieri ex inde contingat, omnino teneatur. Et possit per quemlibet accusari,& denunciari,& accusator, uel denunciator lucretur quartam partem pœnæ,& teneatur secretus.

De his,qui deiecerunt,uel effuderunt. Rub. XIIII.

NVLLI licere decernimus deicere,uel deici facere aquam,uel aliam immunditiam, seu sordes ex alto per balconem,seu fenestram,profernum,tralannam, uel alio quouis loco alto de domo, uel ubi habitauerit, uel permanserit,in stratis, seu uiis cōmunibus, siue andronibus uicinalibus.Et si dicta aqua,uel alia immunditia deiecta aliquem tetigerit,deiciens in libris quinq; den. puniatur:si uerò non tetigerit, in uiginti solidis. Et si aliquid ex dictis locis deiectum fuerit,& aliquem percusserit in capite,uel alibi cū sanguine, uel sine,uel birretum,pallium,uel uestimēta turpauerit,ultra pęnā percussionis puniatur etiam,& condemnetur ad emendationem damni,& expensarum damnum passo,Iudicis arbitrio.Et si persona sic proiciens ignoraretur,pręsumatur esse dominus,uel domina domus prædictæ,de qua tale quid deiectum fuerit,& teneatur ad pęnā prędictam,& emendam,& ista præsumptio habeatur pro legitima probatione. Et nulli liceat habere in aliqua parte domus suæ proiectum, siue uersatoriū in alto propè ostium alicuius, per quod aqua,uel quid aliud turpe.proici possit in alto longè à terra ultra unum pedem, sub pęna prędicta:exceptis rugis,seu andronibus,in quibus liceat uersatoriū habere,dumodo non excedat altitudinem tecti sui uicini, ne aqua, uel alia immunditia fluat per tectum uicini.

De pœna recusantium laborare pro publico,& pio usu. Rub. XV.

ORDINAMVS, q; Iudex, seu Rector possit, & debeat cogere Muliones, seu Mulatterios uecturales,& omnes, & singulos ad laborādum pro opere publico,& pro aliquo loco pio personaliter,uel cum bestiis quocunq; die,etiā feriato,& pęnas,prout necesse,& expediens fuerit,imponere,& exigere de facto,prout sibi uidebitur. Et in prędictis habeat arbitriū,& baliā usq; ad quātitatem decem sol. pro quolibet, & uice qualibet, & maiorē,uel minorem,iuxtā facti contingentiā,arbitrio dicti Rectoris,& DD.Priorū.

De pęna proicientium fimum,uel letamen in platea,uel in uiis publicis intus, & extra dictam Terram. Rub. XVI.

NEMINI liceat in foro publico,uel alibi intus, uel extra dictā Terram in uiis publicis,seu propè mœnia,& in foueis dictæ Terræ circum circa proicere,uel proici facere,seu componere aliquam quātitatem fimi,seu alicuius alterius turpitudinis. Et si quis aliquid proiecerit,seu proici fecerit,seu composuerit, teneatur infra decem dies inde remouere,sub pœna decem librarum den. qui terminus decem dierum computetur à die præcepti,seu notificationis factæ. Addentes, q; habentes domos propè mœnia Communis, uel propè ripas nullo modo audeant,uel pręsumant proicere in foueas communis,uel alibi propè dictas ripas,uel murum per decem cannas fimum,uel letamen,terrenum,uel alterius cuiuscunque generis immunditiæ, sub eadem pœna. Et si quid ab aliquo proiectū fuerit proiciens debeat remouisse,& leuasse infra octo dies, sub dicta pœna.

De gabba inter uicinos tenenda clausa. Rub. XVII.

QVICVNQVE habuerit aliquem angiportum,siue gabbam,seu(ut uulgò dicitur)rugetta inter se,& suum conuicinum, teneatur ad instantiam dicti sui conuicini illum,uel illam claudere muro in altum saltem per quinq; pedes,relicto tamen à pede

gabbæ uno foramine competente, per quod effluant, & exeant immunditiæ supradictæ. Quod foramen omni tempore stare debeat clausum, nisi tempore pluuiali, ita q. dictus uicinus non possit damnum aliquod ex inde habere. Quod si non fecerit, liceat eidem ui cino claudere sine aliqua pęna, & damnum emendare uicino teneatur, si aliquod sustinue rit. de cuius extimatione stetur sacramento conquærentis, & nihilominus pęnam decem librarum denariorum incurrat: & locum habeat in prętetitis, pręsentibus, & futuris. Item nemini liceat habere aliquem conductum, cloacam, nerlatorium, siue sciacquatorium in dicta gabba, per quem, uel quod proiciatur aliqua turpitudo, ex qua proiectione muius cōuicini lædi posset, uel malus odor, seu fętor ex inde exhalaret. Concedimus tamen pos se habere fenestram ferratam, seu cancellatam pro luce habenda, per quam etiā aliqua tur pitudo proici non possit, sub iam dicta pęna, lege, capitulo, uel consuetudine nō obstāte.

De fontibus, pontibus, & uiis reparandis, & aptandis. Rub. XVIII.

IVDEX, Rector, & Mag. DD. Priores pro tempore existentes teneantur, & debeāt uinculo iuramenti, & pœna uigintiquinque librarum denariorum de eorum salario re tinendarum ad petitionē cuiusque petentis, seu denunciantis omnes, & singulas tam pu blicas, q̄ uicinales uias, seu stratas, pontes, & fontes reducere, & reduci facere in usum com mune illorum, quorum interest, & ad quos pertinent dictę uię, & stratæ, pontes, & fontes, & singulas stratas, & uias intra dictam Terrā, & extra faciant reaptari per uicinos, & adia centes, & euntes, & redeuntes, & omnes tenentes, & habentes ipsas uias, pontes, & fontes. Exceptis tamen pontibus, & fontibus publicis, ad quos reficiendos, aptandos, & reducen dos Cōmunitas dictę Terræ teneatur, prout solitū est. Qui Iudex, & Mag. DD. Priores debeant eos moneri, & requiri facere per homines deputatos ad petitionē cuiuscunq; pe tentis, personaliter, uel ad domū, qualiter ipsi debeāt infra terminū decem dierū, & plus, & minus, eorū arbitrio assignandū, reaptare, reducere, & reparare uias, pontes, & fontes prędi ctos, aliàs incurrant pęnā decem librarū deñ. pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet.

De pœna occupantium uias publicas, uel uicinales, ac etiam terrenum, & his similia. Rub. XIX.

STATVIMVS, nemini licere aliquam uineam publicam, uel uicinalem, pōtem, fontem, uel terrenum fontis, & pōtis, uel aliud quodcunq; terrenum ad Communita tem spectans, & pertinens occupare, uel occupatū tenere, uel habere, sub pęna, si fuerit uia uicinalis, uigintiquinq; librarū deñ. si uerò fons, pons, uel uia publica fuerit, centū librarū, & si terrenum publicū, ducentarum librarū: & nihilominus Rector, seu Iudex ad petitio nem cuiuscūque, & ex suo officio, si aliquē inuenerit occupare, occupasse, uel occupatum habere quicquam ex prædictis, inquirat contra dictos occupantes, & faciat occupatum reduci in communem, & pristinum statum, & terrenum restitui de facto sine strepitu, & figura iudicii, omni iuris ordine omisso, sub pęna quinquaginta librarum deñ. de suo sala rio retinendarum. Qui Iudex per examen antiquiorum de contrata, uel aliorum, ubi oc cupatio, uel detentio facta fuerit, recipiat facti informationem, & ueritatem.

De pœna laborantium, uel cauantium ad pedem limitis, fossati, uel uiæ ali cuius. Rub. XX.

QVICVNQVE possidet à parte inferiori limitis, fossati, uel uiæ, nō possit, nec debeat laborare, uel cauare, seu cauari facere iuxtà uiam, fossatum, uel limitem præ dictum per spatium unius pedis communis, sub pœna quinquaginta solidorum. Et cui libet liceat accusare, & lucretur quartam partem pœnæ.

De fodientibus terram in uiis Communis. Rub. XXI.

NEMO audeat, uel præsumat fodere terram in uiis communibus, uel uicinalibus, aut eas aliquo modo deuastare, sub pęna, si publica fuerit, seu cōmunis, uigintiquinque librarũ deñ. Si autem uicinalis, centũ solidorum pęnam incurrat quilibet fodiens de facto, & sine aliquo processu exigendorum pro quolibet, & uice qualibet. Et quilibet possit accusare, & teneatur secretus, & habeat quartam partem pœnæ. Et Iudex teneatur, sub pœna uigintiquinque librarum denariorum, aptari facere, & in pristinum statum reduci dictas uias, & personaliter, uel alio quocũque modo, prout sibi uidebitur expedire, cogat in præmissis delinquentes.

De pœna colligentium, uel uendentium agrestas. Rub. XXII.

SANCIMVS, nemini, cuiuscunq; conditionis existat, licere colligere, uel asportare, seu asportari facere qualitercunq; uuam immaturam, seu agrestam ex alienis possessionibus, sub pœna decem librarum dñ. cuilibet asportanti usq; ad duos racemos. Ab inde uero supra, puniatur asportans in decem bononenis pro quolibet racemo de facto. & absq; aliqua diminutione exigendis. Quam pęnam si cōtrafaciens non soluerit infra tres dies, ligetur, & ponatur ad cathenam Communis cum racemis collo alligatis, & ibi permaneat ad minus per quatuor horas. Et quilibet possit à quocunq; accusari, & accusator lucretur quartam partem pœnæ, & teneatur secretus. Et eandem pęnam incurrant emētes dictam agrestam. Addentes, nemini licere, qui uineam propriam non habuerit, agrestam, seu agrestatam habere, uel tenere, sub pœna decem librarum denariorum: exceptis patronis uinearum, quibus liceat colligere.

Quòd Porci non eant per Terram Sancti Elpidii, sed teneantur in domo clausi. Rub. XXIII.

STATVIMVS, q; quęlibet persona cuiuscunq; cōditionis uolens retinere Porcos, unum, uel plures in dicta Terra, (sed tamen duos non excedant) teneatur, & debeat illos continuè clausos retinere in domo, nec permittere per dictam Terram uagari, nec minus ligatos tenere in stratis publicis, uel uicinalibus, uel in quouis alio loco in dicta Terra, sub pœna duodecim solidorum pro quolibet, & uice qualibet sine diminutione à quolibet contrafaciente exigendorum. Et Officiales super hoc diligenter indagent.

De pœna lauantium propè fontes. Rub. XXIIII.

NVLLA persona lauet, uel aliquam bructurã faciat in fontibus publicis, & cysternis Communis, uel in eis, aut aliquo ipsorũ coria, uel aliud quid turpe lauet, uel proiciat, sub pęna decem librarum dñ. pro quolibet, & qualibet uice. Si quis uero, uel si qua propè ipsos fontes per duas cannas ad minus lauerit, uel aliquid turpe fecerit, puniatur uice qualibet, & pro quolibet in solidis uiginti sine aliqua diminutione. Et Officialis possit procedere per inquisitionem, denunciationem, & inuentionem absque aliquo processu.

De Lino non battendo intus dictam Terram. Rub. XXV.

NVLLVS insuper audeat, uel præsumat Linum battere intra muros dictæ Terræ, sub pœna cuilibet contrafacienti, & uice qualibet quadraginta solidorum de facto, & sine aliqua diminutione. Et quilibet possit accusare, ac denunciare quoslibet contrafacientes, & habeat quartam partem pœnæ.

De pœna euntium ad precium extra districtum. Rub. XXVI.

NEMO de dicta Terra, uel in ea habitans uadat ad operam, & ad precium extra dictam Terram, & territorium, sub pœna decem librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet. Et cuilibet liceat accusare, & accusator teneatur secretus, & habeat quartam partem pœnæ. Huic autem statuto non subiaceant illi, qui extra Prouinciam irent ad operam.

De pœna extrahentium ligna extra territorium. Rub. XXVII.

AD hoc, ut abundātia lignorum in dicta Terra habeatur, statuimus, & ordinamus, quod ligna extra territoriū modo aliquo non exportentur sine licentia generalis Concilii, sub pœna uiginti florenorum pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet de facto, & sine aliqua diminutione exigendorum. Quam pœnam etiam ipsi uenditores lignorum pariformiter incurrant, ac etiam auxilium quo quo modo præstantes.

De pœna uendentiū lateres, cuppos, calcē, & his similia forensibus. Rub. XXVIII.

SI Quis, cuiuscunque conditionis fuerit, uendiderit, uel uendere fecerit quo quo modo alicui forensi non subiecto iurisdictioni nostræ aliquam quātitatem laterum, cupporum, calcis, & his similium, incidat in pœnam uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet sine remissione exigendarum. Et in eandem pœnam similiter incidat emptor exportās prædicta extra territorium dictæ Terræ, & possit à quocunque accusari, & accusator lucretur quartam partem, & teneatur secretus.

De habentibus foueas propè uias publicas, uel uicinales. Rub. XXIX.

VNVSQVISQVE habēs foueas iuxtà, seu propè uias, uel stratas publicas, seu uicinales, uel alibi, & eas incultas retinēs, adeò quod super eis nemo possit equitare, derelictasque relinquens, maxime quando aliis impedimētum præstarent, & damnū aliquod pateretur dolo, uel illius negligentia, ille, cuius est fouea, incidat in pœnam pro qualibet uice, & pro quolibet quadraginta solidorum & teneatur ad emendationem damni damnū passo. Et si contingeret aliquo tempore eas deuastari, teneatur ipsas reaptare, uel reaptari facere infra terminum octo dierum, sub pœna prædicta.

De tignis, siue trabibus, aliisque rebus non immittendis, nec appodiandis in muris, seu parietibus alterius. Rub. XXX.

NEMINI liceat aliquam rem, siue tigna, uel aliud immittere in pariete, uel muro alterius neque alio modo appodiare, nisi ius, & iustam causam habuerit. Contrafaciens uerò incurrat pœnam uiginti librarum denariorum, & nihilominus unumquodque immissum, appodiatum, seu ædificatum ad destruendum, & remouendū teneatur ad domini parietis petitionem: & renuens incidat in eandem pœnam uice qualibet. Et de prædictis lite mora corām Iudice, seu Rectore, illam cognoscere, & decidere, atque terminare teneatur, & debeat infra decē dies, uinculo iuramenti, nullo iuris ordine seruato, sed simpliciter, sine strepitu, & figura iudicii. Qui Rector, si infra dictum tempus negligens fuerit in terminando, incidat in pœnam decem librarum denariorum de suo salario retinendarum. Et facta iudicis declaratione, si immittens, seu ædificans recusauerit, quod immissum, impositum, uel ædificatum fuerit, remouere liceat domino parietis illud amouere, seu destruere pro suo arbitrio impunè non obstante aliqua contradictione.

De Cloacis, & Conductis non habendis. Rub. XXXI.

STATVIMVS, nulli licere cloacas, seu cõductus habere, per quas, seu quos proiciantur aquæ, uel aliæ turpitudines iuxtà uias, per quas homines transeunt, ne transeũtibus sit incõmodum, & uicinis fœtor, seu læsio aliqua. Et qui eas, uel eos habent, debeant recludere, uel per eas, seu eos turpitudinẽ aliquã non proiicere, sub pœna quinquaginta sol. uice qualibet, quã sibi ab aliqua persona protestatũ fuerit. Et si negligens fuerit infra decem dies à die protestationis factę numerandos eas recludere, in eandem pęnam incidat. Et Rector, siue Iudex ad instantiam cuiuslibet conquærentis prędicta facere obseruari teneatur, sub pœna uigintiquinq; librarum deñ. de suo salario retinendarum. Et nemini liceat sic habere necessarium, uel cloacam, siue sciacquatorium, uel aliud simile supra terrã, & extra domum suam uersus uias publicas, uel domum sui uicini, nisi accedente eius expressa uoluntate, uel nisi taliter faceret, q; læsionẽ suo uicino non inferat, & id, quod proicitur super domũ conuicini, uel ipsius iurisdictionem, nõ fluat, sub pęna centum sol. uice qualibet. Insuper ordinamus, q; habentes domos in muris, seu propè ripas Cõmunis, non possint ullo modo habere in dictis domibus cloacas, seu necessaria, per quas, uel quę stercus, uel colluuies fluat in foueas, uel ripas Cõmunis, ne uicinis, & transeuntibus malus fętor inferatur. Et si qui haberent, debeant infra quindecim dies eas, uel ea claudere, sub pœna uiginti librarum deñ. de facto exigendarũ pro quolibet cõtrafaciente, & uice qualibet.

De fenestris non habendis uersus uicinum. Rub. XXXII.

AD tollendam omnem occasionẽ litis, uel iurgii inter uicinos, hac præsenti lege decernimus, q; nulli personæ liceat habere, seu facere fenestram aliquam, seu aliã aperturam, ex qua possit in domo, uel platea, seu horto conuicini prospici, in muro, seu domo sua, iuxtà quam non habeat aliquam iurisdictionem, uel ius. Qui autem eam haberet, debeat ipsam claudere, uel claudi facere infra octo dies postquã fuerit requisitus per conuicinum suum, sub pęna in quolibet prædictorum casuum uice qualibet uigintiquinque librarum denariorum.

De Caminis Furnorum altius eleuandis. Rub. XXXIII.

ORDINAMVS, q; domini furnorum debeant caminos dictorum furnorum tantũ in altum eleuare, q; fumus eorum pręiuditiũ, uel grauamen non inferat alicui suo conuicino, nec aliter lædat, sub pęna centum sol. uice qualibet, qua accusatus fuerit.

Quòd nemini liceat facere cooperiri equam, uel asinam in plateis, uel stratis. Rub. XXXIIII.

VNVSQVISQVE faciens cooperiri equam, uel asinã in platea & stratis publicis, uel propè eas, adeò q; à transeuntibus cerni possit, puniatur uice qualibet, & pro quolibet, omni iuris ordine omisso, pœna centum solidorum, & credatur accusatori cum uno teste.

Quòd uendiretes debeant portionem Coloni excepture, & recepto precio, rem uenditam tradere teneantur. Rub. XXXV.

QVICVNQVE aliquam possessionẽ uendiderit, uel alio quouis titulo in aliũ dominiũ transtulerit, debeat partem illius laboratoris uel conductoris in uendi tione excipere, sub pęna cõtrafacienti decem librarũ deñ. & nihilominus laboratoris, uel alterius

tius portio semper sit salua, & illæsa, & in quolibet instrumento uenditionis in dubio sem per intelligatur excepta. Item uolumus, & ordinamus, q. unusquisque rem uenditam, recepto precio, emptori tradere teneatur, ne rem, & precium habeat, sed uno duntaxat contentus sit, præsertim si requisitus fuerit ab emptore, & uice qualibet, qua requisitus fuerit, contrafaciens puniatur iam dicta pœna.

De Pistoribus, seu Panifaculis, & Furnariis. Rub. XXXVI.

PISTOR quilibet faciens panem uenalem, & hi, qui sunt soliti facere, & uendere panē, teneantur, & debeant ex farina attaminata, seu bene discreta, & stamignata diligenter, competenter, & legaliter coquere, & uendere secundum tabulam consuetam secundum uarietatem temporum. Quicunq; autem reperti fuerint minoris ponderis dare panem, pro qualibet uncia minus iusti ponderis puniantur pœna octo solidorum. Et si non cōpetenter decoctus, & ex farina attaminata, seu bene discreta (ut supra) panis fuerit confectus, quilibet cōtrafaciens incidat in pœnā uice qualibet decem librarū dēn. Illi autē, qui sunt soliti coquere panem Ciuibus, & habitatoribus dictæ Terræ, debeant bene, & legaliter coquere, & bene eregere solum furni, nec accipere nisi quatuor panes pro qualibet tabula, quæ sit capax uigintiquinque manuum, seu cacchiatarum, sub pœna contrafacienti quadraginta solidorum pro quolibet, & qualibet uice. Et si quis ex dictis Furnariis non bene coxerit panem, & dominus panis ob id aliquod damnum, seu detrimentum passus fuerit, ultra pœnam prędictam teneatur ille, qui talem panem coxerit, ad emendationem damni iuxtà extimationē faciendā per duas probas mulieres exigendā de facto per Officialem Iudicis, uel Rectoris. Insuper nō liceat mulieribus quibuscunq; in dictis furnis filare, uel aliquod exercitiū muliebre exercere, sub pœna quinq; sol. pro casū qualibet, & uice qualibet. Teneaturq; Pistor, seu Pistrix de suo lumen in furno tenere, sub iam dicta pœna.

De Lanionibus, seu Beccariis. Rub. XXXVII.

OMNES, & singuli, qui carnes macellare uoluerint in hac nostra Terra cuiuscūq; generis, debeāt illas incidere, seu macellare modo, & forma infrascriptis, uidelicet, q. per XV. dies ante festum Paschatis Resurrectionis D. N. IESV CHRISTI, & plus, & minus, prout Mag. DD. Prioribus pro tempore existentibus uidebitur, fiant publicæ proclamationes, seu bandimenta per dictam Terram in locis solitis, & consuetis, q. quicunque uult assumere onus macellandi, & uendendi carnes uniuerso Populo debeant comparere cum capitulis corām sopradictis Mag. DD. Prioribus, seu generali Concilio, prout melius uidebitur expedire, de macellando toto anno futuro bene, & legaliter secundum q. conuentum fuerit. Qui autem promiserint, incipiant die Sabbati Sancti de mane præparare carnes in stationibus abundanter, & cum cultellis, & aliis necessariis bene mundatis, & turpitudines ante, uel intus stationes tergere, uel remouere, & semper sic facere toto tempore dicti anni: cui promissioni finis sit dies Cinerum proximè uentura. Et quotiescunque in præmissis defecerint, incidant in pœnam quadraginta solidorum. Addentes, q. in stationibus, in quibus uenduntur carnes ueruecum, agnorum, bouinarum, & porcorum, non possint dicti Beccarii, siue Laniones interficere, seu macellare pecudes, capras, & sues nondum saginatos, sub pœna decem librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet. Debeant etiam prædicti Beccarii, siue Laniones continuo tempore dicti anni habere ad sufficientiam carnes secundum uarietatem temporū, uet uecinas agninas, bouinas, & suinas, & abundanter omnibus petētibus in quocunq; membro, seu loco uendere, nec ulli renuere: & deficientibus ipsis Lanionibus uendere carnes, possint Mag. DD. Priores pro tempore existēces uendi facere à quocunq;, sub iam dicta pœna de facto exigēda, & uice qualibet, ipsasq; carnes separatim retinere, sub eadem pœna.

Qui si minori pondere uendiderint, puniantur uice qualibet, & pro qualibet uncia pęna decem solidorũ. Et si unam carnem pro alia darent, quilibet contrafaciens incurrat pœnã uigintiquinq; librarũ dẽn. quam si non soluerit ea die, qua fuerit inuentus, uel aliter repertus cum effectu, cum dictis carnibus collo appensis cum tubis ante cum sonantibus ducatur à Palatio Communis usque ad Ecclesiam Sancti Frãcisci per stratam publicam, & inde reducatur ad dictum Palatium. Insuper ordinamus, q̃ si dicti Macellarii darent, & uenderent carnes morticinas infectas, uel morbosas, cuiuscunq; generis sint, incidant in pęnam decem librarũ dẽn. de facto, & sine aliqua diminutione uice qualibet exigendarũ. Ac etiam teneantur, & debeant bene, & diligenter lauare, & mundare uentres, & interiora animalium, quæ mactauerint, & inciderint, ita, & taliter, q̃ fœtor, & putredo ab eis emundetur, sub pœna decem librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet. Item nullo modo audeant inflare, uel inflari facere aliquam bestiam, quæ uendi deberet in dicta Beccaria, aliquo flatu, uel uento, uel aliquo alio ingenio, sub pœna centum solidorum de facto exigendorum. Item non proiciant, uel proici faciant sanguinem dictorum animalium, interiora, uel aliquam aliam turpitudinem in plateis, uel aliis stratis, uiis, & locis publicis, unde possit fœtor reddi astantibus, uel habitantibus in dictis locis, sub pœna quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Item non possint emere carnes aliquas morticinas, uel morbosas, seu aliquam aliam bestiam ægrotam causa ipsam reuendendi, nec reuendant alicui modo aliquo, sub pœna decem librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet de facto exigendarum. Item teneantur, & debeant carnes scrofinas excoriare, ut cognosci possint à porcinis, sub pœna quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Item teneantur, & debeant habere bilances, & alia pondera Communis iusta, & adæquata, & bilances æquales tenere, nec una plus altera pondeat, sed stent omnino æquales. pęna centum solidorũ cum effectu exigendorũ. Item nõ possint modo aliquo mactare, seu interficere aliquam bestiam de nocte, & mactatas debeant tenere suspensas in Macello palàm, & non absconditas, sub pęna decem librarũ denariorum de facto exigendarum. Item nullo modo audeant, uel præsumant cum carnibus prædictis ponderare, nec ad pondus dare caput, pedes, ungulas, uel intestina alicuius bestiæ, sub pœna uiginti solidorum. Item nulli liceat interficere, uel excoriare aliquam bestiam cuiuscunque generis, nec carnes uendere alibi, q̃ in macello dictæ Terrę, uel ad portas eiusdem Terræ, sub pœna quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Volumus tamen q̃ in festo Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI, Carnis priuii, Paschatis, & in festo Sancti Elpidii cum quatuor diebus ante, & tempore nundinarum omnibus liceat uendere carnes liberè, & impunè: non obstantibus quibuscunque pactis cum Lanionibus habitis, in quibus reseruatũ hoc, & exceptum semper intelligatur. Qui uenditores prædictis temporibus teneantur, & debeant uendere dictas carnes, prout, & sicut dicti Beccarii pacti sunt, & non minus, sub pęna quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Item quilibet cupiens uendere carnem bouinam, suinam, uel aliam cuiuscũque generis requirat dictos Laniones pro uendendis dictis carnibus cum mercede, uidelicet sex solidorum pro carne bouina, & quatuor pro porcina: qui si noluerit uendere, & macellare, possit per quoscunque uendi, seu macellari facere. Item teneantur dicti Beccarii de mense Maii, Iunii, Iulii, Augusti, & Septembris uendere carnes recentes illo die proprio, quo interfecerint bestias, sed ab illo die in antea, & post illam diem, qua eas interfecerint in dictis mensibus uendere non debeant, sub pœna uiginti solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Aliis uerò mensibus possint illa die, qua interfecerint, sequenti uendere. Item nequeant prędicti Laniones aliquod genus carnium, seu animalium interficere, nisi requisitis Mag. DD. Prioribus pro tempore existentibus, qui teneãtur, & debeant statim mittere aliquem probum uirum ad uidendum dictas carnes, seu animalia, an sint bona, uel ne: nec possint uendere aliquod genus carnium, nisi fuerint dictæ carnes sigillatæ sigillo D. Potestatis, sub pœna decem librarum denariorum in omnibus præfatis casibus.

De Molen-

De MOLENDINARIIS. Rub. XXXVIII.

OMNES, & singuli Molendinarii, qui per Conductorem Molendinorum erunt retinendi, & habendi, antequam artem, & exercitium eorum incipiant exercere, debeant comparere, & compareant coràm Mag. DD. Prioribus, qui pro tempore erunt, & in eorum manibus, uel alterius ab eisdem deputandi, manibus tactis scripturis, iurent, bene, diligenter, sine dolo, & fraude aliqua dictam artem exercere, & promittant per solennem stipulationem cũ idonea fideiussione de nõ furando, uel alicui furto consentiendo, nec fraudem aliquam committendo in farina, uel blado: ac etiam iidem conductores teneantur prędicta obseruari facere. Qui Molendinarii à conductore repertis à Conseilio approbentur, alias artem in dictis molendinis exercere non ualeant, sub pęna pro quolibet contrafaciente uigintiquinque librarum denariorum, & uice qualibet. Qui pro molitura nõ possint, nec debeant accipere, seu tollere plus, quàm unam cuppettã pro qualibet quarta, seu modio, sub pœna quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet, & nihilominus ad restitutionem eius, quod acceperint, in duplum teneantur. Item teneantur, & debeant habere, & tenere cuppettam, & alias mensuras iustas, & bullatas bulla, seu signo Cõmunis, cum quibus liceat accipere molituram rasam cum rasura lignea, uel ferrea, & non cum aliis, nec aliter, sub pœna decem librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet, & credatur sacramento domini grani, uel alterius bladi, uel eius famuli, seu nuncii, & Rector quolibet mense teneatur de prefatis discuti, & inquiri facere, si omnes mensuræ molendinariorum iustę, ęquales, & bullatæ fuerint, & si quam inuenerit falsam, & non bullatam, pro qualibet mensura, quę falsa, uel non iusta inuenta fuerit, in uigintiquinque libris dẽñ. de facto puniatur quilibet retinens: de quibus possit à quolibet fieri accusatio, & habeat accusator medietatem pęnę. Si uerò aliquam inuenerit nõ bullatã, sed tamen iustã, in decẽ libris dẽñ. mulctetur quilibet retinens. Si quã autẽ inuenerit bullatã, & falsam, in libris uigintiquinq; dẽñ. puniatur omnino prefatus retinens. Item debeãt dicti Molendinarii facere bonã, & legalem farinã, non stridentem, non male molitam, non calefactã, uel cambiatã, uel aliquid alterius generis cũ ea admixtũ, sub pœna uigintiquinq; librarũ dẽñ. & ad restitutionem damni, uel interesse domino farinę teneãtur, & credatur simplici uerbo damnũ passi affirmantis cum iuramento, uel famuli, seu familiaris domini grani, uel bladi. Item teneantur, & debeant dicti Molendinarii unicuique reddere, & restituere eodem pondere farinam, quo granum acceperint, dempto pondere molituræ acceptæ, & diminutionis, sub iam dicta pęna uigintiquinq; librarũ dẽñ. & restitutione farinę deficiẽtis. Item cuilibet liceat tergere, uel mundare circũ circa macinas bis, ac ter, prout uoluerit, nec possit à quoquã impediri, sub pęna quadraginta sol. pro quolibet impediente, & uice qualibet. Item nulli liceat auferre alicui uicennam, sed qui primò iuerit, prius molae, sub pęna contrafacienti quadraginta solidorũ, & quilibet possit à quocunque accusari. & Molendinarius, qui impedierit aliquem, & non moleret primò uenienti, duplici pœna puniatur. Item nullus dictorum Molendinariorum, dum aliquis uoluerit molere, nõ obturet os canalis, nec molam eleuet, nec quicquam faciat damnosum molere uolenti, sed debeat ipsum molendinum bene aptare, ut bonam farinam faciat, sub præfata pœna. Item prædicti Molendinarii, uel conductores molendinorum teneantur, & debeant granum, seu bladum, quod ex molitura, uel pro molitura acceperint, mittere in capsam Cõmunis existentem ibi, & non alibi, sub pœna uigintiquinque librarum denariorum, & nihilominus requirere debeant Mag. D. Priores pro tempore existẽtes ad minus per quatuor dies antequam dicta capsa repleatur. Decernimus etiam q; nullus possit à dictis Molẽdinariis, uel Conductoribus molendinorum quo quo modo emere aliquam grani, uel bladi quantitatem, sub pœna quinquaginta librarum denariorum. Et eandem pœnam incurrat uendens in dicto molendino, & quilibet possit à quolibet accusari de prædictis, & accusator lucretur quartam partem pœnæ, & teneatur secretus.

De PISTRINARIIS. Rub. XXXIX.

ORDINAMVS, q. domini Pistrinorum teneantur, & debeant habere, & tenere omnia suppellectilia, seu massaritias ad usum pistrinorum necessarias bene aptatas, & compositas, & præsertim habere macinas bene ordinatas, & aptatas, necnõ torcularia, & cunctos bonos, & aptos, & habere, uel conducere, & retinere pistrinarios bonos, fideles, & in arte expertos, qui antequam eorum artem exercere incipiant, teneãtur iurare coràm Mag. DD. Prioribus ad delationem Cancellarii de bene, & fideliter eorum artem exercẽda. Teneantur etiam domini pistrinorum habere, & tenere omnes mensuras, ac omnia pondera iustas, & iusta, adæquatas, & adæquata, ac signo Communis signatas, seu signata, sub pęna decem librarũ deñ. pro quolibet, & uice qualibet. Item teneantur habere oliuaria bene aptata, & clauibus clausa, & unicuiq; oliuas ibidem conseruanti clauem sui oliuarii cõsignare, alias si damnum aliquod dominus oliuarũ passus fuerit, emendare omnino teneantur. Debeant etiam, & teneantur dicti Pistrinarii adhibere bonam curam, & diligentiam circa oliuas in eorum pistrinis repositas, ut debito tempore macinentur, neque eas nimis calefieri, uel aliter deuastari permittant, sub pęna decem librarũ deñ. pro quolibet, & uice qualibet: & nihilominus tam domini pistrinorũ, q̃ etiam ipsi pistrinarii, teneantur, & cogantur ad emendationem damni dominis oliuarum occasione præmissa passi. Item teneantur facere mixtas de decem quartis oliuarum, prout hactenus consuetũ extitit, sub pęna centũ sol. pro qualibet uice contrafacienti. Nec possint dicti domini pistrinorum accipere pro qualibet mixta, nisi bononenos quatuor, & expẽsas pro pistrinariis, sub iam dicta pęna. Teneantur quoq; dicti Pistrinarii bene, & fortiter torquere fiscos, seu cũcios, ut oleum ex inde exprimatur, & exeat omnino, ac etiam de dolio, seu capitello totũ oleum accipere, & bene colligere, nec aliquam fraudem in præmissis committere, sub pęna decem librarũ deñ. pro quolibet, & uice qualibet de facto exigendarũ. Qui pistrinarii si quam fraudem, uel dolum in eorum arte cõmiserint, purà furando oleum, oliuas, uel aliter defraudando, pœna furti teneantur, iuxtà casus occurrentiam, & nihilominus ipsi, & eorum domini ad restitutionem ablatorum teneantur omnino.

De Cerdonibus, seu Calceatiis. Rub. XXXX.

STATVIMVS, q. Cerdones, seu Calcearii eorum artem exercere teneantur, & debeant bona fide, & legaliter, ac sine aliqua fraude, nec uendere, seu dare unum genus corami nis pro alio, ut pura corduanum pro montone, & his similia, sub pęna decem librarum deñ. de facto à quolibet contrafaciente auferendarũ, & nostro Cõmuni applicandarũ pro medietate, & pro altera accusatori, & exequutori. Pro calceis autẽ, crepidis, cothurnis, ocreis, seu stiualibus, & aliis laboreriis accipere ualeant, & possint pro eorum mercede, & labore prout à Concilio generali ordinatum fuerit & plus ullo modo petere, uel accipere non possint, nec debeant, sub pœna uigintiquinq; librarum deñ. ut supra applicandarũ.

De thure, cereis, & candelis malitiosè confectis. Rub. XXXXI.

ORDINAMVS, q. nulli liceat uendere in dicta Terra, uel eius districtu thus, uel incensum malitiosè confectum cum aliqua re, nisi purum, & legale, sub pęna uigintiquinque librarum denariorum, & amissione rerum uenditarum, & uendendarum. Et eadem pœna puniatur uendens cereos, & candelas malitiosè confectas, quæ debeant fieri puræ, seu purè uendi: & non liceat cuiquã facere cereos, uel candelas causa uendendi, nisi cũ pura bombice, non autẽ cũ accia, uel aliquo alio genere, sub prędicta pęna. Volumus etiam, q. cerei faciendi bullari debeant bulla Artificis facientis, exceptis cereis à quatuor uncus infra, sub pœna uiginti solidorum pro quolibet cõtrafaciente, & uice qualibet.

Quo'd uen-

Quòd uendentes bladum, sal, & uinum ad minutum, uendant ad mensuram bullatam bullo, seu signo Communis. Rub. XLII.

OMNES, tam Ciues habitatores, q̃ etiam forenses, qui bladum cuiuscunq; generis, uel legumẽ, aut glãdes, castaneas, nuces pyra poma, lupinos, auellanas, & huiusmodi uendere uoluerint, teneatur, & debeant uendere ad mensurã bullatam bulla Communis, uidelicet ad quartã & coppum, seu prębendam, Et si aliquis uoluerit uendere magis ad minutum, teneatur uẽdere mensura Communis assignata, uel deputata, & bullata ut supra, sub pœna centum sol. pro quolibet cõtrafaciente, & uice qualibet. Sal autem ad pondus uendi debeat. si quis autẽ minus iusti ponderis dederit, pœna decem sol. pro qualibet uncia puniatur. Et Hospitarores, & alii uendentes uinum ad minutum, teneãtur, & debeant tenere, & habere uasa adiustata, & ęquata, ac bullata bulla plumbea Communis, uidelicet bucale, mezzettũ, tertium, & foglettã, sub pęna uigintiquinq; sol. pro quolibet, qualibet mensura, & uice qualibet. Et si quis dederit uinum nõ iustè mensuratum, incidat in pęnam prędictam. Eandem etiã pęnam incurrant uendentes oleum, acetũ, mel, & simi lia cũ uasis, ponderibus, & mensuris non bullatis, & non ęquatis; super quibus Officiales teneãtur q̃ talibet hebdomada diligẽter inquirere, & repertos culpabiles de facto punire.

De panno lini, & lanæ uendendo ad brachium. Rub. XLIII.

VNAQVEQVE mulier texẽs pannum lini in dicta Terra, & eius districtu debeat restituere pannum lini domino ad brachium Cõmunis ordinarium, seu ad cannam, sub pęna decem solidorum pro quolibet brachio, & uice qualibet. Et eadem pœna puniatur uendens pannum lanæ, & emens alio brachio, q̃ brachio Communis.

Quòd D. Potestas, & sui Officiales non bibant in aliqua taberna, uel etiam in domo priuata. Rub. XLIIII.

RECTOR noster, uel Iudex, Officiales, & ipsius familiares nõ possint, nec aliquis eorum possit bibere, uel comedere in aliqua taberna, uel domo priuata in dicta Terra sub quouis quæsito colore, sub pœna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet de eorum salario retinendarum.

Quòd D. Potestas, uel sui Officiales aliquid non recipiant ab aliquo detento. Rub. XLV.

STATVIMVS, & præsenti lege firmamus, q; Rector, uel Iudex, uel eius familia, & famuli non debeant, nec possint ab aliquo Ciue, uel habitatore dictæ Terræ detẽto in Palatio, uel carceribus aliquid accipere quacunq; occasione, uel causa, seu pro custodia, uel detentione, sub pęna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet de eorum salario de facto retinendarum, & nihilominus ad restitutionem pecuniæ, uel aliarum rerum extortarum per eos, uel eorum aliquem teneantur omnino.

Quòd deputatus ad aliquod officium Communis non subroget aliquem in locum suum. Rub. XLVI.

SI Quis Ciuis, uel habitator dictę Terræ, seu forensis deputatus fuerit ad aliquod officium Cõmunis, debeat ipse personaliter dictum officium exercere, nec possit aliũ loco sui subrogare abs'q; expressa licẽtia, & uoluntate Concilii generalis legitimè obtẽta, sub pęna uigintiquinq; libraꝝ den. pro quolibet, & deputatio, seu subrogatio sit ipso iure nulla.

Quòd causa amissa culpa Syndici emendetur per ipsum. Rub. XLVII.

SI in aliqua causa ciuili, uel criminali, uel etiam mixta, in qua uerteretur interesse Communis, negligentia Syndici, uel Procuratoris Communis ius Communis læsum fuerit, siue in prima, siue in secúda instantia, ipse Syndicus, uel Procurator omnia damna, expēsas, & interesse occasione prędicta passa per Commune reficere omnino compellatur.

Quòd uicini debeant currere ad rumorem. Rub. XLVIII.

QVOTIESCVNQVE in aliqua parte Terræ nostræ, uel eius districtu fuerit exortus aliquis rumor, omnes homines de illa contrata, & alii uenientes, & stantes, & qui sunt ita propè, quod audire poterunt dictum rumorem, teneantur statim accurrere, & capere malefactorem, seu delinquētem, si cognouerint delictum esse tale, quod capi mereatur, & captum postmodum Curiæ præsentare, sub pęna decem librarum den. Et Commune teneatur uenientes, capientes, & accurrentes in omni Curia indemnes conseruare, etiam si captum renuentem, & se capi non permittentem percusserint eum sanguine, uel sine, citra mortem, uel membri debilitationem, dumodo id non fecerint ex aliqua antiqua iniuria inter eos, quocunque non obstante.

Quòd liceat Hospitatori, seu Cauponi detinere Forensem nolentem soluere quod biberit, seu comederit. Rub. XLIX.

SI Forēsis aliquis quid comestibile, seu potabile ab aliquo Hospitatore, Caupone, uel Tabernario dictæ Terræ, seu alia persona acceperit, & soluere recusaret, sit licitum ipsis Hospitatoribus, Cauponibus, seu Tabernariis, uel alteri personę ipsum personaliter detinere sine metu alicuius pœnæ, dumodo statim Curiæ notificet, donec de his, quæ dederit, ei fuerit integrè solutum.

De pœna impedientium stratas publicas. Rub. L.

SI Quis aliquod exercitiū exercens, & dum illud exercet, in stratis publicis, dictas stratas impediret, ut per eas quilibet commodè transire non ualeat, puniatur pœna quadraginta solidorum: exceptis ædificantibus ad ornamentum dictæ Terræ.

De retinentibus pecudes, capras, porcos, & his similia propè Ecclesias. Rub. LI.

OB Reuerentiam, & honorem Dei, & Sanctorum, & Sanctarum eius, statuimus, quod nulli liceat retinere in dicta Terra, uel eius districtu pecudes, capras, porcos, & alia animalia propè Ecclesias, nec se illis appropinquare per longitudinem, seu mensurá quinque cannarum, ne malus odor in dictis Ecclesiis reddatur. Contrafaciens autem, tam domínus dictorum animalium, quàm custos soluere teneatur pęnam centum solidorum de facto, & sine aliqua diminutione exigendorum.

Quòd quiuis debitor Cōmunis, etiam si est creditor, non exigat, nisi ipse prius soluat. Rub. LII.

SI Quis, cuiuscunque conditionis existat, sit creditor Communis quauis de causa, & occasione, & ipse retineret, uel haberet aliquid de bonis Communis prędicti mobilibus, uel stabilibus, uel quauis alia causa esset debitor dicti Communis, nullatenus ei soluatur, uel tribuatur quod recipere debet, nisi prius soluat, uel restituat Communi quod soluere, uel dare, seu restituere tenetur eidem Communi, & hinc inde fiat iuridica compēsatio, sub pœna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet.

De pensio-

De pensionibus domorum, uegetum, & aliarum supellectilium. Rub. LIII.

CONDVCENS domum, uegetē, foueā, magazenū, uel his similia teneatur, & debeat soluere in principio conductionis medietatē pensionis, & alteram medietatē in medio tēpore, & nō soluēs dictis tēporibus, & terminis, omnia eius bona inuecta, & illata in dicta loca intelligātur obligata, & hypothecata domino, nec ex inde quisquā amouere possit, nisi domino cōcordato, uel integrè satisfacto, sub pęna uigintiquinq; librarū dēn. pro quolibet cōtrafaciente, & uice qualibet. Et super prędictis possit cognosci summariè, sola facti ueritate inspecta, absq; libello, uel petitione, & iuris ordine, & solēnitate omissis.

De sepe pendente super possessione uicini. Rub. LIIII.

SEPEM alicuius pendentem super cōuicini sui possessione ille, cuius est, teneatur incidere ad petitionem illius, cuius est possessio, infra terminū trium dierū, postq sibi denunciatum fuerit. Quod si non fecerit, dominus possessionis incidere ualeat impunè. Et idem dicimus de arboribus infructiferis in confinibus existētibus, ut ille, cuius sunt, penitus remundare teneatur, requirente conuicino, sub pęna decem librarū dēn. cuius quarta sit accusatoris. Si uerò fuerint arbores infructiferæ, quarū rami super alicuius possessione resideāt, possit ille, cuius est dicta possessio, accipere fructus ramorū impunè, dumodo possessionem sui uicini non intret, nec ascendat per pedem arboris: & si uoluerit ipsos ramos e dī, dominus arboris eos incidat: quod si nō fecerit, liceat illi impunè incidere. Et id, quod dictū est de ramis, obseruari uolumus de pedibus ipsarū arborum fructiferarum, & infructiferarū. Et si sepes alicuius pendeat super aliquā uiam publicam, uel uicinalem, cuilibet liceat eam impunè incidere quantū manus extenditur in altum, nulla facta requisitione. Et si sepes prunorū, uel aliarum arborū fructiferarum daret impedimētum alicui uicino, dominus incidere, & remundare teneatur, & non altius eleuare, nisi usq; ad decem pedes. Declarantes, q licentia data incidendi sepem se extendentē super uiā publicā, seu uicinalē non extendatur ad pedes ipsarū arborum, ex quibus sepes causatur, sed tantumodo ad remouendū impedimentū, quod ex ramis fieret transeuntibus. Et quicunq; tenet iuxtà aliquā uiā uicinalē, uel cōmunem, debeat dictā sepē, seu arbores imped ētes uiā ita incidere, & cultas tenere, q nullum faciant impedimentū per uiam euntibus, sub iam dicta pœna.

De pœna laborantium iuxtà terminos. Rub. LV.

NVLLVS iuxtà terminos fixos inter cōuicinos laborare audeat, nisi dimisso uno pede ad minus à longè undique circum circa dictos terminos, ita q termini semper stent in terra solida, & firma, & ita de facili amoueri non possint, sub pœna decem librarū dēn. Et in prædictis possit procedi per inquisitionem, uel accusationem quomodocunq;.

De habentibus domos in muris Communis, & de fenestris in eis non habendis. Rub. LVI.

STATVIMVS, q habentes domos, hortos, areā, seu spatiū iuxtà mœnia Cōmunis nō laborent, nec laborari faciant propè dicta mœnia per unū pedē ad minus, & habentes fenestras in dictis muris debeant illas claudere, uel ferratā immittere, adeò q nullus ex inde exire, uel introire possit, sub pęna quinquaginta librarū dēn. pro quolibet, & uice qualibet Cōmuni appli applicanā. absq; aliquo processu. Et Rector teneatur in principio sui officii banditi facere per loca solita dictę Terræ, q habētes fenestas, uel ostia in dictis muris teneantur dictas fenestras, uel ostium claudere, uel cācellos ferreos immittere intra quindecim dies à die dicti bandi computanā. Quibus elapsis, idē Rector, uel sui Officiales teneantur de prædictis diligenter inquirere, & contrafacientes punire in dicta pęna sine aliquo processu, sub pęna uigintiquinq; librarū dēn. de eius salario retinendarum.

De Lino non macerando propè Terram. Rub. LVII.

QVONIAM de maxime prosternentibus uirtutem foetor est, qui ex Lini maceratione magnus, & pestilens oriri solet: iccircò præsenti lege statuimus, q nullus audeat, uel præsumat macerare Linum, seu Canapam in foueis Communis, uel alibi propè Terram per dimidiũ miliaris, sub pęna uigintiquinq; librarũ deñ. pro quolibet & uice qualibet de facto, & sine diminutione exigendarũ. Et Notarii extraordinarii dicti Cõmunis teneantur uinculo iuramenti, & sub pęna decẽ librarũ bis in mense, incipiendo de mense Iulii, usq; & per totũ mensem Septẽbris inuestigare, an dicta Lina, seu Canapę macerentur, ut supra dictũ est, & quemlibet cõtrafacientẽ punire sine aliquo processu, & de facto.

Quòd nulli liceat exsiccare Vallatum Molendini Communis. Rub. LVIII.

PRAESENTI Statuto sancimus, q nemini liceat exsiccare uallatum molendini Communis, nec ex eo aquã diminuere, nec trabes, uel alia ligna per dictũm uallatum ducere, uel trahere, nec cũ animalibus transire aliunde, q̃ per põtem factum, seu faciendũ, nec linũ, seu canapã in eo macerare, seu macerari facere, nec fouea dicti uallati, uel clausam deuastare, uel quo quo modo aquam diuertere, etiam causa irrigandi hortos, uel campos, sub pęna cuilibet contrafacienti in præmissis, uel eorum quolibet uigintiquinq; librarum denariorum absque licentia Conductoris dicti Molendini.

De pęna auertentiũ aquam publicã, quò minus fluat per solitũ cursum. Rub. LIX.

STATVIMVS, q nemo quo quo modo, uel sub quouis quæsito colore audeat auertere aquas fluminum Clentis, Teonæ, seu Ethæ à locis suis, nec facere (ut dicitur) siccas, nec remouere à cursu solito, & dirigere in alium locum sine expressa licentia Mag. DD. Priorum pro tempore existentium, sub pęna decem librarum denariorum de facto exigendarum pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet. Addentes, q nemo id agere possit, etiam cum licentia præfata, de aquis ex fontibus publicis fluentibus, quò minus per solitum cursum eant, sub iam dicta pęna.

De Piscatoribus. Rub. LX.

HAC nostra lege sancimus, q omnes Piscatores maris debeant, & teneantur omnes pisces, quos ceperint, & uendere uoluerint, deferre ad hãc nostram Terrã, eosq; uendere in Platea dictę Terrę ad pondus, uel alio modo, & precio à Mag. DD. Prioribus taxando, & ordinãdo: nec possint illos extrahere de dicta Terra, nisi prius habita licentia à dictis Mag. DD. Prioribus, sub pęna in quolibet supradictorũ casuum decẽ librarũ deñ. pro quolibet, & uice qualibet de facto exigendarũ. Et si extra dictã Terram cum licentia, uel sine extraxerint, teneãtur soluere decem libras pro qualibet uice. Et Iudex teneatur in prędictis inquirere, & delinquentes punire prædictis pęnis, sub pęna decẽ librarũ deñ. de suo salario soluẽñ. Qui Piscatores, uel pisciũ uẽditores teneãtur recognoscere Mag. DD. Priores de sex libris pisciũ, anteq̃ uendatur, gratis, ex antiqua, & inueterata consuetudine.

De Operariis conductis ad laborandum. Rub. LXI.

STATVIMVS, q omnes operarii teneantur, & debeant statim post celebrationem Missæ dictæ, uel celebratæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Misericordiæ esse concordes de precio, & ire ad opus exercendum, pro quo conducti fuerint. Et si post dictã Missæ celebrationem amplius moram traxerint in Platea, incidant in pœnam quinq; solidorum pro quolibet, & uice qualibet.

De mensuris

De mensuris publicis retinendis. Rub. LXII.

PRAESENTI perpetuò ualituro statuto sancimus. q. Syndicus Cõmunis, aut alius à Concilio deputatus, seu deputãdus infra terminum unius mensis à principio sui officii teneatur, & debeat expensis dicti Communis habere, & tenere unam quartã lignea, coppũ, metrum, cãnatam, mistellũ, buccale, mezzettũ, tertium, foglettã, starteram, & alia põdera necessaria ferrata iusta, adæquata, & bulla Cõmunis signata, & ad mensurã solitam dicti Cõmunis sine aliqua fraude, cum quibus debeãt adæquari omnes mensuræ, & pondera, quibus utuntur uendentes, & ementes. Nec dictus Syndicus, uel deputatus tenere possit alias mensuras, seu pondera, q̃ ut supra ordinatas, & ordinata, & adiustata ad dictã mensuram Cõmunis. Et quicunq; uendiderit, uel emerit bladum, legumina oleum, uinum, & omnia alia, quæ uendi, & mensurari solent, teneatur cum mensuris, & ponderibus adæquatis cum dictis mensuris, & ponderibus publicis uendere, sub pœna quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet.

De uenditionibus Gabellarũ, Prouentuum, & bonorum Cõmunis. Rub. LXIII.

PRAESENTI Constitutione firmamus, q. omnes, & singulæ gabellæ, prouentus, & redditus aliorũ bonorum mobiliũ, & stabilium Cõmunis nõ possint quo quo modo, aut pacto uendi, tradi, & locari, nisi in publico, & generali Concilio, præcedẽtibus saltim tribus bandimentis factis diuersis diebus, & subhastationibus more solito, & consueto in locis publicis, & consuetis ubiq; per dictam Terrã, & plus offerenti dentur; & aliter facta uenditio, translactio, traditio, promissio, uel locatio nõ ualeat, & ipso iure nulla, & Mag. DD. Priores seu alii, qui contrariũ facere ausi fuerint, pœna quinquaginta librarum dẽñ. de facto exigendarũ plectantur, & dictæ uenditiones prouẽtuum, gabellarum, uel locationes earundem nõ possint fieri, nisi pro uno anno tantũm, sub iam dicta pœna, nisi pro euidenti utilitate Cõmunis aliud magis expedire uideretur. Et (ad obuiandũ fraudibus, & malitiis hominũ) statuimus, q. si quis, tam pro se, q̃ pro alio, & tam ad sui, q̃ alienã utilitatẽ, uel cõmodum quouis modo, uel quæsito colore ausus fuerit, uel tentauerit impedire tã terrigenas q̃ forẽses offerentes, uel offerre uolentes super dictis gabellis, seu prouẽtibus, aut pact cã fecerit cũ amicis, & beneuolis affinibus, uel cõsanguineis cõciliatus, uel aliquã operã sermone, uel facto adhibuerit, ut deperdãtur utiliores partiti, seu oblationes factæ, uel faciendæ, & minus preciũ offerentibus fauerit, uel facere intenderit, ut dicti prouentus minus offerentibus remaneant, aliaq; his similia impedimenta, & damna facere ausus fuerit, tentauerit, uel procurauerit quomodocunq; & qualitercunq;, pœna cẽtum librarũ dẽñ. puniatur pro quolibet, & qualibet uice de facto applicañ. Cõmuni pro medietate, & pro altera accusatori, cui com uno teste fide digno plena adhibeatur fides, & teneatur secretus. Et super prædictis possit per inquisitionem ex officio, uel aliis legitimis modis procedi. De qua quidem pœna contrauentori nolla possit fieri gratia, uel proponi in Concilio: pœna cõtrafacienti iam dicta, ut supra exigẽda: non obstantibus quibuscunq;.

De Modulis, seu Formis Laterum, Tegularum, siue Planellarum, & Imbricum, siue Copporum. Rub. LXIIII.

MODVLI, seu formæ laterum, planellarum, seu tegularum, & imbricum sint altitudine, longitudine, & latitudine sicut moduli, & formę existentes in armamentario Communis. & Furnacciarii teneantur, & debeant habere, & tenere pręd ctos modulos, seu formas bullatos, & ferratos bulla publica Communis. Si quis autem contrafecerit, pœna decem librarum dẽñ. puniatur pro quolibet, & uice qualibet. Et eadem pœna puniantur supradicti Furnacciarii, nisi fideliter, & bene coxerint dictos lateres, planellas, uel

cuppos, aut minus q̃ debent dictas planellas, lateres, & cuppos latitudine, longitudine, & altitudine minores, ac non bene impletas materiæ formas prędictas fecerint prout experientia docet. Et super prædictis Officiales præfati teneantur, & quilibet ipsorum teneatur semel saltem in mense diligentem facere inquisitionem, sub pœna prędicta.

De non laborando terras forensium exulum, uel banditorum. Rub. LXV.

NVLLI habitatori dictæ Terræ, seu eius territorii liceat laborare, & cultiuare terras, seu possessiones forensium non soluentium onera, & impositiones per dictam Communitatem impositas, & imponendas, seu banditorum dictæ Terræ, siue titulo locationis, siue emptionis fructuum, uel acceptionis pignorum, uel occasione alicuius factę causæ, etiam sub prętextu diuinorum operum pro certa mercede prę standorum, sub pœna quinquaginta librarum den̄. sine expressa licentia Concilii generalis dictæ Terræ pro tempore existentium. Et omnibus liceat accusare, & credatur iuramento accusatoris, & teneatur secretus, dumodo constet de cultura prædicta. Et si qui inuenti fuerint laborasse, puniantur pœna prædicta.

De differentiis inter conductorem, & locatorem finiendis. Rub. LXVI.

SI Aliqua lis, seu differentia oriatur inter locatorem, & conductorem, seu colonum de mala cultura, Rector, seu Iudex possit, & debeat dictas differentias decidere, & terminare fine debito sine strepitu, & figura iudicii, omni iuris solennitate, & ordine omisso. Et dictus Iudex, seu Potestas cogat locatorem, & colonum ad eligendum duos bonos uiros de contrata, ubi sita est possessio, de qua uertitur lis, & differentia, unum uidelicet pro qualibet parte. Qui electi teneantur ire ad locum differentię, si opus fuerit, quo uiso, referant Rectori, & secundum eorum extimationem, uel relationem in continenti colonus locatori condemnetur, etiam q. fuerit omissus omnis iuris ordo. Addimus quoque, nulli conductori, seu colono licere triticum, neque aliud genus bladi, uel leguminis metere, seu carpere, neque triturare, seu extrahere, uel extrahi facere de possessione conducta sine licentia domini possessionis, sub pœna decem librarum denariorum de facto soluendarū pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet sine diminutione.

De pœna colligentium spicas in aliena possessione. Rub. LXVII.

NVLLA persona præsumat tempore, quo secantur frumēta, ingredi possessionem alienam, nec ibidem morari causa colligēdi spicas, quousq; frumentum, uel bladum choadunatum fuerit, & compositum, nec appropinquare ad metam, siue caballittos cōtra uolūtatem domini, uel coloni, sub pœna uiginti solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Et unicuique liceat contrafacientem accusare, & habeat quartam partem pœnæ.

De Colonis Vinearum. Rub. LXVIII.

SANCIMVS, q. Conductor, seu Colonus alienarum Vinearum debeat illas bene, & diligenter colere, uidelicet per totum mensem Martii eas putare, uel putari facere, sub pœna centum solidorum pro quolibet modiolo uineæ non putato; & nihilominus infra octo dies post terminum supradictum putare, uel putari facere teneatur, & per totum mensem Aprilis fodere, seu ligonizzare; & per eundem mensem figere palos, seu canoas, & per totum mensem Maii pro prima uice, & mensem Augusti pro secunda ligonizzare, sub iam dicta pœna centum solidorum: & nihilominus perdat operas quas fecerit in uinea, seu uineis; & locator (si uoluerit) ualeat uineam, seu uineas prædictis colonis auferre, & ipsos ab eis, uel eis expellere: quacunque conuentione inter ipsos facta non obstante.

De Hebraeis

De Hebræis accipientibus pignora à filiis familias. Rub. LXIX.

NVLLVS Hebręus posſit, nec valeat mutuare pecunias ſub fœnore, pignoribus acceptis, à filiis familias Ciuium, & habitatorum Terrę noſtrę abſque licentia parentum. Et quilibet cõtrafaciens teneatur, ad petitionem parentum, reſtituere abſque aliqua ſolutione tam ſortis, q̃ fœnoris, & ultra incurrat pœnam uigintiquinque librarum denariorum ſine aliqua remiſsione pro quolibet pignore, & qualibet uice.

De pœna extrahentium agnos extra territorium abſque licentia. Rub. LXX.

ORDINAMVS, ꝙ omnes, & ſinguli Ciues, habitatores, & alii retinentes, & habentes pecudes in paſcuis noſtræ Terræ non poſsint aliquo pacto extrahere agnos natos, uel nutritos in territorio dictę Terræ, de Terra, & territorio ſine licẽtia Mag. DD. Priorũ pro tempore exiſtentiũ, ſub pęna uigintiquinq; ſol. pro quolibet agno extracto, & qualibet uice. Quæ licẽtia nullo modo concedi poſsit, niſi prius requiſito qui habet onus prouidendi pro carnibus totius Populi, ſi uoluerit emere, ne ne; qui ſi emere uoluerit, & diſcordes de precio eſſent, dicti DD. Priores interponant ſe ad concordiam, quos ſi concordare nõ potuerint, præfata licentia concedatur: & extrahentes teneantur ſoluere unũ bononenum pro quolibet agno Depoſitario Communis, ſub iam dicta pœna.

Quòd nulli liceat habere arbores ſupra fontes Communis. Rub. LXXI.

STATVIMVS, ꝙ nulli liceat habere, uel tenere arborẽ, ſeu arbores ſupra aliquẽ fontem Communis, ex quibus frondes ipſarum in fontem prędictum cadere poſſent, ne aqua deturpetur, ſub pœna quadraginta ſol. & nihilominus infra octo dies à die requiſitionis amouere, uel incidere teneatur. Quod ſi nõ fecerit, elapſo dicto termino, quilibet incidere eam, uel eas impunè poſsit; non obſtantibus quibuſcunque.

De Mulieribus filantibus in ſtratis publicis. Rub. LXXII.

MVLIERIBVS omnibus prohibemus, ne aliquo modo de nocte in ſtratis publicis, uel oſtiis domorum, etiam propriarum, ſtare audeant ad filandum, uel ad aliquod aliud exercitium faciendum. & de die nequeãt ſtare in feneſtris ad aptandum linũ, ſub pœna decem ſolidorum pro qualibet, & qualibet uice: nec minus ignem in dictis locis de nocte facere, uel fieri facere, ſub pœna prædicta.

De pœna facientium foueam celatam, & ponentium tribulos. Rub. LXXIII.

NVLLI liceat facere, uel fieri facere nullibi aliquam foueam celatam, ſeu cohopertam, uel ponere tribulos, niſi publicè prius banditi faciat per totam Terram, ut omnes caueant, ſub pœna uigintiquinque librarum denariorum.

De fęce non comburenda intus Terram, uel propè. Rub. LXXIIII.

NEMO audeat, uel pręſumat cõburere, uel cõbori facere intus noſtrã Terrã, uel extra per mediũ miliare fęcem, ſub pęna centũ ſol. ſine dimiutione de facto exigẽñ. & quilibet poſsit accuſare: & licentia de cõburendo concedi nõ poſsit, excepto tẽpore belli.

De pœna euntium extra diſtrictum ad molendum. Rub. LXXV.

STATVIMVS, & ordinamus, ꝙ nullus, cuiuſcunq; gradus, conditionis, dignitatis, uel præeminentiæ exiſtat, audeat quo quo modo, uel quæſito colore ire, uel mittere ad molendum, ſiue ad macinandum extra territorium dictæ Terrę granum, bladum, uel

legumina, uel huiusmodi, sub pœna quinquaginta librarum denariorum Communi applicandarum, nisi habita licentia à Communitate, uel Conductore Molendini dictę Terræ. Quilibet autem possit accusare, & accusator lucretur dimidiam partem pœnæ, & teneatur secretus, & eius iuramento credatur cum uno teste.

De pœna accipientium boues ad arandum, uel alia animalia. Rub. LXXVI.

SI Quis tantæ fuerit audacię, ut boues alicuius pro arando, uel equas pro triturando, uel equitando, uel alia animalia pro quocunque exercitio, uel usu contra domini uoluntatem acceperit, & eisdem usus fuerit, incurrat pęnam ipso facto decem librarum denariorum absq; diminutione aliqua soluendarum, & nihilominus ad solutionem mercedis teneatur pro tempore, quo usus fuerit.

De pœna non uenientium ad Concilium. Rub. LXXVII.

STATVIMVS, & firmiter ordinamus, q; omnes, & singuli Conciliarii teneantur, & debeant statim post sonum campanæ, ictibus completis, ante quàm fiat requisitio, seu rechiesta per Cancellarium Communis, accedere, uel uenire ad Conciliū, sub pęna unius caroleni pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet. Et Cancellarius Communis teneatur facere in quolibet Concilio dictam requisitionem, & demum completo Cōcilio, omnes, qui dicto Concilio non interfuerūt, in libro Speculi dicti Communis annotare, & eos debitores facere in dicta pœna, quam soluere integraliter, & cū effectu teneantur statim ut extracti fuerint, uel quilibet eorum extractus fuerit ad officium Prioratus, aliàs ad dictum officium non admittatur ullo modo. Priores autem, & Cancellarius, qui prędicta exequutioni non mandauerint, incidant in pęnam uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet de eorum salario retinendarum. Qui autem sunt de Concilio, sed non de Regimine, teneantur statim expleto Concilio, cui non interfuerunt, soluere prædictam pœnam, etiam captis pignoribus.

De pœna retinentium amasiam. Rub. LXXVIII.

QVI Vxorem habuerit, non possit, nec ualeat retinere amasiam, sub pęna quinquaginta librarum denariorum, quam dimittere per Rectorem cogatur, & compellatur omnino; qui si relapsus fuerit, incidat in pęnam centum librarum denariorum: si uerò tertia uice perseuerauerit in retinendo eam, soluat pœnam centum et quinquaginta librarum denariorum, & sic successiuè usque ad trecentas libras, arbitrio Rectoris.

Quòd existentes in officio publico, non postulent, neque aduocent, uel procurent. Rub. LXXVIIII.

ORDINAMVS, nulli existenti in aliquo officio publico Cōmunis licere, durāte dicto officio, pro aliquo corā Rectore, Iudice, uel Officialibus quibuscunq; postulare, aduocare, uel procurare, uel quouis modo intercedere, nisi nomine publico, in ciuilibus, uel criminalibus, sub pęna uigintiquinq; librarū denariorum pro quolibet, & uice qualibet.

Quòd Bayuli Communis quolibet die Sabbati teneantur mundare plateam Communis. Rub. LXXX.

BAYVLI Communis coniunctim, uel diuisim teneantur, & debeant quolibet die Sabbati mondare, tergere, uerrere, & scopare plateam publicam Cōmunis, & immūdicias ex inde recollectas amouere, & proiicere extra mœnia, sub pœna uigintiquinq; solidorum pro quolibet, & uice qualibet de eorum salario retinendorum.

De pœna

De pęna discohoperientiũ foueas, & immunditiã non remouentiũ. Rub. LXXXI.

STATVIMVS, q omnes, & singuli discohoperiẽtes, seu discohoperiri facientes foueas in platea Cõmunis, uel alibi existentes, teneantur, & debeant remouere, & asportare, siue asportari facere, statim cohoperta fouea, omnem immunditiam ex inde factam, sub pœna uiginti sol. pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet de facto exigẽdorum.

De libellis, seu supplicationibus super maleficiis non recipiendis. Rub. LXXXII.

CVM experientia rerum magistra nos doceat, q impunitates delictorum maxima in dies solent parere scandala, & crassantium audaciam ad delinquendũ inuitare, hac perpetuò nostra ualitura lege sancimus, q de pęnis maleficiorum nulla possit fieri gratia per Concilium; neq DD. Priores pro tempore existentes possint, nec ualeant aliquo pacto supplicationes super huiusmodi recipere, nec in Concilio proponere, sub pęna priuationis officii, & beneficii; quinimo si à Superioribus pro tempore contigerit huic statuto derogari, summopere, & taliter replicetur, & quoties opus fuerit, ut hoc statutum obseruetur inuiolabiliter.

De pœna receptantium Forenses causa habitandi, absque licentia Concilii generalis. Rub. LXXXIII.

NVLLA persona, tam Ciuis, q̃ Forensis nostræ Terræ habitator, uel eius territorii in futurum audeat, nec modo aliquo præsumat sub quouis quæsito colore, uel prætextu receptare, nec receptum, seu mansionem, uel domum, & habitationem etiam ad locationem, uel aliter quomodocunq dare, uel concedere alicui forensi uenienti huc gratia habitandi tam intus, q̃ extra dictam Terram, absq licentia Concilii generalis dictæ Terræ in scriptis obtinenda manu nostri Cancellarii, sub pęna quinquaginta librarum denariorum de facto exigendarum, & sine aliqua diminutione. Si quis uerò forensem accedẽtem ad hanc nostram Terram, uel eius territorium causa faciendi coloniam, siue laboritium, uel socciram acceprauerit (ut supra) absq licẽtia Mag. DD. Priorum pro tempore existentium, & decem Ciuium ab ipsis uocandorum, incidat in eandem pœnam applicandam pro medietate Communi, & pro alia accusatori, & exequutori æqualiter.

De pęna colligẽriũ oliuas tẽpore aquoso, nebuloso, uel pluuioso. Rub. LXXXIIII.

QVICVNQVE Oliuas tempore aquuoso, uel nebuloso, seu pluuioso contra domini uoluntatem, uel sine eius licentia collegerit, incidat in pęnam quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Et similiter colligẽs oliuas ad reficum, uel aliter dictis temporibus, incidat in pœnam centum solidorum de facto exigendorum.

Quòd recipiens emendam damni sua sponte, accusare nõ possit. Rub. LXXXV.

SPONTE recipiens emendam, pignus, uel promissionẽ damni, siue pro damno sibi facto, nec reseruauerit posse accusare, non possit, nec ualeat eum, qui secum sic concordauerit, pro dicto damno ullo modo accusare, dumodo promittens emendare damnum ad requisitionem damnum passi obseruet, & adimpleat promissa in faciendo uidere, & extimare damnum, & cum effectu emendet, uel paratus sit emendare, aut per eum non steterit. Quòd si recipiens (ut supra) dictam emendam postea accusauerit, debeat ipse eadẽ pęna puniri, & condemnari, qua ueniret puniendus, & condemnandus accusatus, & teneatur soluere. Et nisi aliter de quãtitate emendationis inter eos expressè conuentum fuerit,

tunc damnũm paſſo medietatem pęnę, in qua damnnm dans conueniri deberet, ſolui uolumus, & mandamus; non obſtantibus quibuſcunque.

Quòd liceat danti poſſeſsionem ad laboritium, uel aliter, ire per eam ſine pœna. Rub. LXXXVI.

DANTI, uel concedenti, ſeu locanti aliquam poſſeſsionem ad laboritium, ſeu coptumum liceat ſibi, & ſuæ familiæ, ac nuncio liberè ire, introire, & uidere dictam poſſeſsionem, & arbores incidere, & poma, ſi quæ ſunt, colligere, & exportare, dumodo honeſtè ſe gerat, & intollerabile damnum non inferat.

De emendatione beſtiarum damnum dantium interfectarum. Rub. LXXXVII.

SI Quis interfecerit porcum, uel pullum, ſeu alterius animal minutum, & ſupradictis ſimile inuentum damnum dare in poſſeſsione ſua, teneatur tantumodo ad emendationem, ſeu extimationem dicti animalis interfecti faciendam per duos probos homines de cõtrata cum iuramento eiſdem præſtando, compenſato in hoc damno ab ipſo animali dato, & illato; cuius damni extimatio ſimiliter fiat per duos de contrata. Si uerò percuſſerit, & mortuum non fuerit ſtatim, & uериſimiliter ex illa percuſsione non debere mori arbitretur, talis percutiens ad pęnã aliquam nõ teneatur: in hoc tantùm derogando ſtatuto de percutientibus, & occidentibus animalia aliena inuenta damnũ dare, quod locũ habere uolumus, ſi præfata animalia reperta fuerint damnũ dare in hortis, uineis, in grano, uel ordeo, faba, cicere, uel his ſimilibus, uel in uiridariis à mẽſe Maii, donec fuerit ſecatum.

De pœna ludentium ad rotulam per noſtram Terram, & uias Sancti Auguſtini ueteris, & Sanctæ Mariæ Ieſu de obſeruantia. Rub. LXXXVIII.

NVLLI liceat per ſtratas Terrę noſtrę ludere ad rotulã, uel caſeum, ſub pœna quatuor librarum deñ. pro quolibet, & uice qualibet, nec minus extra dictam Terrã per uias, quibus itur ad Diuam Mariam de Ieſu de obſeruantia, & ad S. Auguſtinum in Terra ueteri, ſub pęna quadraginta ſolidorum pro quolibet, & uice qualibet. Et cuilibet liceat accuſare, & lucretur quartam partem pœnæ, & ſibi credatur cum iuramento.

De pęna nõ tergentiũm, ſeu mundantiũ ripas, ſeu ſcarpas Cõis. Rub. LXXXIX.

VNVSQVISQVE cuiuſcunq; gradus, & conditionis exiſtens habens domos in ripis, uel ſcarpis Cõmunis teneatur, & debeat dictas ripas, quatenus domus ſua ſe pretendat, quolibet anno de menſe Maii tergere, & bene mundare, ſub pęna quadraginta ſolidorũ pro quolibet contrafaciente, & uice qualibet ſine diminutione exigendorũ.

De pęna ferentium ligna fructifera, etiam de poſſeſsionibus propriis ſine bullectino. Rub. LXXXX.

STATVIMVS, nemini licere portare, uel portari facere, etiam de propriis poſſeſsionibus ligna oliuarum, & aliarum arborum fructiferarũ abſq; bullectino in ſcriptis hãbendo à Mag. DD. Prioribus pro tempore exiſtentibus manu Cancellarii dictæ Terræ, ſub pęna cõtrafacienti decem librarũ deñ. uice qualibet ſoluendarũ ſine diminutione.

Statutorum Eccleſiaſticæ Terræ Sancti Elpidii de Cauſis Extraordinariis Liber Quartus fœliciter explicit.

IN DEI NOMINE. AMEN.

MVNICIPALIVM LEGVM, AC STATVTORVM

ECCLESIASTICAE TERRAE SANCTI ELPIDII

Damnorum Datorum Liber Quintus fæliciter incipit.

De officio Officialium Damnorum Datorum, & modo procedendi super eis. Rub. I.

OFFICIALES Damnorum Datorum, seu etiam Conductores huius modi Prouentus, teneantur, & debeāt, ante quàm eorum officium exercere incipiant, constituti coràm Mag. DD. Prioribus iusiurandum per Cancellarium Communis offerendum, & in scriptis redigendum, manibus tactis scripturis, pręstare de bene, fideliter, diligenter, & accuratè, omni prorsus fraude, negligentia, ac ocio remotis, eorum officium à principio usque ad finem exercere, & omnia, & singula infrascripta statuta obseruare, ac etiam idoneum fideiussorem pręstare de non concordando cum aliquo uolenti damna inferre, & nemini licentiam damnum dandi concedendo, sub pęna centum florenorum pro quolibet, & uice qualibet ipso facto Communi dictæ Terræ applicandorum in casu contrauentionis, per ipsos, uel ipsorum Officiales, ultra pœnas in his, & similibus per infrascripta statuta impositas. Qui Officiales, seu conductores officii maioris damnorum datorū teneātur, & debeant semper, & continuè habere, & tenere quatuor probos, & idoneos Officiales à generali Concilio approbandos, sub pęna pro quolibet Officiali non retento, & quolibet die quatuor librarum den. officii autem minoris unum Officialem idoneum, & ut supra approbandū, qui similiter iurare debeat ut supra. Qui quidem Officiales coniūctim, uel diuisim habeant, & quilibet ipsorum habeat omnimodam iurisdictionem, & auctoritatem perquirendi, inuestigandi, reperiendi, & rimandi die, noctuq; contra omnes, & singulas personas damnum dantes, tam personaliter, q̄ cum bestiis in Terra, & territorio dictę Terrę. Quibus omnibus, & singulis Officialibus plena in eorū officio adhibeatur fides. Et Officiales principales, seu cōnductores dicti officii possint, & ualeant procedere, cognoscere, & punire damnum dantes personaliter, uel cum animalibus inuentos tam per ipsos, q̄ eorum Officiales, omnesq; & singulas inuentiones per ipsos, uel eorum Officiales faciendas infra triduum à die factæ inuentionis Cancellario Cōmunis assignare teneantur, & debeant, & de eis copiam in Cancellaria dimittere, ac infra eundem terminum notificare damnum passo, sub pęna decem librarum den. pro singulis inuētionibus, & insuper ad emendationem dicti damni teneantur, & in quolibet prędictorum casuum dictæ inuentiones sint nullæ, & pro non factis. Sub qua copia inuentionū teneatur Cancellarius se subscribere cū appositione diei, quo eidem pręsentatę fuerūt. Post uerò inuentiones factas, & incameratas (ut supra) citari faciant damnum dantes cum cędula continente nomen Officialis inuētoris, eiusq; custodis, siue testis approbati, ac damnū dantis personaliter, uel cū bestiis, cū appositione loci, & temporis, ut infra terminū duorū dierū debeant cōparere corā maiori Officiali, uel minori ad se excusandū à dictis inuētionibus. Quo termino elapso, & dictis citatis non cōparentibus, detur terminus per publicū Pręconē per loca solita, & consueta ad allegandū quinq; dierū: quibus elapsis, fieri faciant bādimenta per dictā Terrā, q; omnes, & singuli inuenti, & processati in libro dictorū maio

rum Officialium compareant die sequenti ad audiendũ sententias in Palatio Mag. DD. Priorum. Quæ sententiæ in scriptis cotàm supradictis Mag. DD. Prioribus, uel maiori parte eorum proferantur: & dictæ sententiæ, seu condemnationes in scriptis per Bayulũ Communis notificentur condemnatis personaliter, uel domi, adeò q; ad ipsorum notitiã perueniant. A quibus sententiis liceat infra quinq; dies continuos à die notificationis reclamare, & appellare ad Iudicem competentem. quibus elapsis, trãseant in rem iudicatã. Qui Iudex appellationum teneatur dictã causam reclamationis, uel appellationis infra quindecim dies continuos terminasse, sub pęna decem librarum dẽñ. de suo salario retinẽdarum: & ita se diligentem reclamãs, seu appellans habeat, q; infra dictum tempus faciat causam expediri, aliàs sit ipso iure deserta. Si uerò præfati inuenti, & citati ut supra, comparuerint in termino eisdem assignato quandocunq; usq; ad sententiam exclusiuè audiantur in eorum defensionibus, seu excusationibus summariè, simpliciter, de plano, sine strepitu, & figura iudicii, sola facti ueritate inspecta, omni prorsus iuris solennitate, substantialitate, & ordine omissis. Et si aliqua differentia orietur inter præfatos Officiales, & inuentos damnũ dare, Mag. DD. Priores pro tempore existentes sint, & esse intelligantur Iudices ordinarii, & competentes, ante tamen condemnationem; qui summariè (ut supra) audire, cognoscere, & terminare debeant dictam differentiam. Quorum decisioni, & determinationi partes acquiescere teneantur, & ab ea nullo modo reclamare, appellare, de nullitate dicere, neq; recursum habere, etiam ad arbitrium boni uiri, sub pœna decem librarũ dẽñ. pro quolibet contrafaciente: & nihilominus appellans, reclamans, de nullitate dicẽs, seu ad arbitrium boni uiri recurrens non audiatur per Iudicem ad quem. Et præfati Officiales, seu conductores debeant ipsas inuentiones per sententiam expedire infra triginta dies à die factæ inuentionis, aliàs dictæ inuentiones sint ipso iure nullæ, quò ad pęnarum solutiones, non autẽ quò ad damnum passum pro emendatione damni illati. Qui quidẽ Officiales, tam maiores, q̃ alii ab ipsis deputati teneãtur, & debeant, finito eorum officio, stare ad syndicatum per quinq; dies continuos, non computato die responsionis, coràm Mag. DD. Prioribus, seu Syndicatoribus per ipsos eligendis, & deputandis, reddituri rationem de gestis per eos in officio; nec possint, eorum officio durante, aliquod xenium, seu donum cuiuscunq; speciei ab aliquo, etiam sub prætextu consanguinitatis, seu affinitatis, recipere, aut aliquam bestiam pro lignis exportãdis, uel facere arari, seu laborari uineã, uel possessionem propriam, uel cõductam, in totum, uel in partem, seu animalia, unũ, uel plura alicui dare ad custodiam, nec arborem pro lignis comburendis, aut pro ędificio sibi dari facere, neq; cum aliquo Ciue, uel habitatore dictę Terrę, & territorii in aliquo loco bibere, uel comedere, aut alia seruitia quomodocunq; recipere, (quibus mediantibus facilitèr oriri posset indulgentia in non perquirendo, & puniendo damnum dantes) sub pęna centum librarum dẽñ. pro quolibet, & uice qualibet applicãdarum dicto Communi pro dimidia, & altera dimidia accusatori, & exequutori. Et similiter pręfati Officiales, uel quilibet ipsorum damnum dantes personaliter, uel cum bestiis, aut ipsorum familia, incidãt, & quilibet ipsorũ incidat in pęnã tripli, in qua alius damnũ dans ueniret condemnãdus. Et quilibet in supradictis casibus possit dictos Officiales cõtrauenientes accusare, cui cũ uno teste fidedigno credatur, & teneatur secretus, & lucretur quartã partẽ pęnę, ut supra.

De modo procedendi super accusationibus, & denunciationibus in damnis datis. Rub. II.

STATVIMVS, & ordinamus, q; Officialis, seu conductor officii accusationum sit notarius, qui per se, & non per substitutũ officium exerceat. Siue autẽ procedat per uiã accusationis, denunciationis, seu querelę. in quolibet casu damnorũ datorum quomodolibet in nostris statutis compręhenso, siue accusatio, uel denũciatio fuerit generalis, uel particularis, debeat, & teneatur accusatum, seu denunciatum citari facere per cedulam in

scriptis

fcriptis tenoris infrafcripti,uidelicet. Die tali citetur talis ad præfentandum,& fe excufandum corà Notario accufationum infra triduum à quadã accufatione,feu denũcia,eò q̃ tali anno,& mẽfe ipfe perfonaliter,aut ipfius animalia,uel eius famuli damnum dederint, aut,talibus mandantibus,damnũ datũ fuerit in tali re,feu poffefsione fita, & laterata, &c. Quæ citatio fi perfonaliter fieri contingat, & infra dictum terminum citatus non comparuerit,iterum citetur pro fecunda ad comparendum,& fe defendendum, ut fupra,infra fequentem diem.Et fi dictus citatus non comparuerit,in eius contumacia condemnetur per fententiam præuiis bandimentis, fecundum formam ftatuti proximè præcedentis,& contra ipfum procedatur ad exequutionem, elapfis quinq; diebus ad appellandum. quibus tranfactis,ulterius non audiatur,tanq̃ uerè confeffus, & conuictus,& ueris probationibus fuperatus;qui terminus à die notificationis currere incipiat. Si autem domi fieret dicta citatio,fi citandus erit terrigena,uel territorii habitator, citari debeat cum affixione cedulæ iu oftio accufati,uel denunciati: & fi infra dictum terminum citatus non comparuerit,aut infra alium pro fecunda,(ut fupra)procedatur contra ipfum, ut fupra dictum fuit contra perfonaliter appræhenfum. Si uerò citandus forenfis erit, tunc citetur cum cedula tenoris fuprafcripti ad ualuas Palatii, & ibidem affixa ad comparendũ, & fe excufandum coràm præfato Notario infra terminum fex dierum. Qui fi infra dictum terminum non comparuerit,iterum citetur,ut fupra,& detur fibi terminus quatuor dierũ: quibus elapfis,ad fententiam condemnatoriam procedatur,ordine fupradicto feruato. Vbi autem citatus in termino aliquarum prædictarum citationum comparuerit,& contenta iu accufatione,feu deuuncia,uel quærela confeffus fuerit, pariter ut fupra cõdemnetur,& propterea fiat exequutio. Si uerò in totum,uel iu partem negauerit, tunc eidem fic comparenti,uel eius legitimo Procuratori per dictum Notarium ftatuatur terminus triũ dierum currentium ad probandum,& probatum habendum,& ad allegandum,& excipiendum quicquid uult,& poteft per omne genus,& fpeciem probationum, etiam per inftrumenta: quo termino elapfo,ipfo iure intelligatur proceffus publicatus,eidemq; comparẽti ftatuatur terminus duorum dierum currẽtium ad allegandum,ac probandum,& probatum habẽdum(ut fupra)contra proceffum,perfonas,& dicta teftium; & dicto termino decurfo,intelligatur fine aliqua citatione,aut requifitione in caufa conclufum, & bandimentis interuenientibus,ad audiendam fententiam pro tali die.Pofsit fubinde ferri fententia abfolutoria,uel cõdemnatoria, prout iuftum fuerit. Si autem comparens forenfis fuerit,tunc nullo modo audiatur,nifi præftito idoneo fideiuffore de ftando iuri,& iudicatum foluendo.Dicimus etiam,q̃ ipfe cuftos animalium damnum dantium ipfemet fe excufet,& dominus non pofsit eum excufare,qui fi famulum, feu cuftodem dictorũ animalium excufare uoluerit,admittatur folùm ad confitendum,& pro eo promittat, & fideiubeat,aliàs nullo modo admittatur. Qui cuftos,feu famulus fi foluendo non effet,dominus ipforum animalium condemnationem faciẽdam foluere teneatur. Volumus quoq; q̃ dictus Officialis,feu conductor accufationum teneatur eadem die,uel fequenti,qua accufatio,feu denuncia facta fuerit,mittere copiam ad Cameram, feu Cancellariam Cõmunis propria manu fcriptam,in qua fint defcripti teftes ab accufatore,feu denunciatore uominati,aliàs dicta accufatio,feu denũciatio ipfo iure fit nulla, & teneatur nihilominus ad emendationem damni illati,& ad omne intereffe. Item ftatuimus,præfatum Notarium accufationum teneri,ad inftantiam principalis petentis,aut eius Procuratoris, uel fideiufforis,fub pœna decem librarum deñ.dare,& exhibere copiam actorum, & omniũ fcripturarũ integrã,perfectam,& fine ulla diminutione infra duos dies à die petitę copię,fumptibus tamen,& expenfis petentis,cum hoc tamen,q̃ fumptibus, & expenfis dicti Notarii, feu conductoris teneatur, & debeat ftatim q̃ fuerint fibi præfentatæ accufationes,feu denunciationes,propria manu fcribere,& regiftrare in libro accufationum.Et(ad hoc,ut expeditio caufarum prædictarum celeriter fiat,& expediatur)ordinamus,q̃ præfatus Notarius teneatur,& debeat expedire,decidere,& terminare per fententiam condemnatoriã,

uel absolutoriam omnes,& singulas causas accusationum,denunciationum,& querelarũ infra terminum unius mensis à die factæ,seu porrectæ accusationis,seu denunciæ,aut initiati processus,sub pœna unius floreni uice qualibet,& pro qualibet causarum prædictarum Communi applicandi,& de facto exigendi. Vtq; temporibus ut supra descriptis dictus Notarius prędicta exequi possit,statuimus,ꝙ super prędictis,& aliis suum officium cõcernentibus,possit,& ualeat per se,seu per familiam Rectoris,uel Iudicis uigore sui officii detinere quamcunq; personam pro testimonio perhibẽdo, & alia quacunq; legitima causa,prout sibi in suo officio uidebitur expedire,illamq; carcerare, seu carcerari facere, & illas sic carceratas detinere,dumodo non ultra tres dies. exceptis tamen mulieribus, quæ in aliqua Ecclesia propinquiori, uel alio loco, prout honestius fieri poterit, examinari debeãt. Item statuimus,ꝙ quilibet,siue dominus,uel possessor,laborator,colonus,tutor,uel curator,seu coptumatarius,siue masculus,siue fœmina,dumodo maiores extiterint annorum duodecim,admittãtur ad accusandum,etiam sine consensu,& licentia patris, directi domini,seu auctoritate tutoris, uel curatoris, uel illius, sub cuius potestate est: & omnia gesta per eos super dictis accusationibus,denunciis,seu querelis ualeant,& teneant,ac si facta essent à uero,& directo domino,& per maiores uigintiquinq; annis,& ac si non essent sub aliena potestate. Insuper ordinamus,ꝙ accusationes,denunciationes, uel querelæ fieri possint,& ualeant infra sex menses à die illati damni,& non ultra: & Notarius pręfatus nõ debeat,neq; possit ultra dictum tempus dictas accusationes,denunciationes,uel querelas recipere,uel admittere,sub pœna decem librarum den. pro qualibet accusatione, denuncia, seu querela; & in quolibet prædictorum casuum præfatę accusationes,querelę,& denunciæ ipso iure sint nullę,& nullius roboris,uel ualoris,& nullo modo super eis procedi possit. Teneatur insuper dictus Notarius,seu conductor omnes,& singulas condemnationes & pœnas tempore eius officii factas exigere,uel exigi facere,alias dictas pœnas pertinentes damnũ passo,& quodlibet interesse de suo soluere teneatur eidem. Volumus quoq; præfatum Notarium,seu conductorem stare per quinq; dies cõtinuos,finito eius officio,ad syndicatum corãm Mag. DD. Prioribus,uel Syndicatoribus ab eis deputandis,reddit urum rationem de omnibus,& singulis gestis per eum in officio.

De probationibus faciendis in damnis datis. Rub. III.

QVIA facillimè sequeretur impunitas damnorum, si probationes angustarentur, propterea ordinamus, ꝙ in damnis datis, seu dandis quibuscunq; sufficiat probatio unius testis cum iuramento damnum passi,seu accusatoris dicentis in sua accusatione uidisse aliquem,seu aliquos damnũ dantes personaliter,uel cum bestiis in possessionibus, uel rebus suis propriis,seu conductis. Quę probatio pro legitima,& plena habeatur usq; ad integram pœnam statutariam,cuius medietas sit Communis nostræ Terræ, & altera ipsius accusatoris patroni. Si autem per unum testem tãtũm fieret probatio,credatur dicto testis usq; ad quantitatem uiginti solidorum monetæ,& non ultra. Assertioni autem iuratæ accusatoris,seu denunciatoris de uisu,etiam ꝙ non fuerit munita testimonio alterius,dum tamen sic cum iuramento asserens habeatur pro homine bonæ conditionis,& famæ,credatur usq; ad summam decem sol. Et similiter familiaris testimonio,& partiario credatur usq; ad dictam quantitatem decem sol. Hoc autem,quod dictum est in his duobus proximis casibus,uidelicet de dicto solo unius testis,& de assertione iurata accusatoris,seu denunciatoris,uel etiam de dicto familiaris,& partiarii, intelligatur quouis modo, & cuilibet ipsorum credatur,tam de damno q̃ de emẽda,usq; ad dictam quantitatem. Et si in quolibet prædictorũ casuum exciperetur de testium idoneitate,stetur arbitrio Mag. DD. Priorũ pro tempore residentium. In omnibus autem supradictis casibus uolumus admitti debere probationem negatiuam,dumodo proponatur probãda, & cum effectu probetur per duos testes idoneos,& omni exceptione maiores,cohortata loco, & tempore; quo

re: quo casu tantùm, & non aliter, nec alio modo intelligatur exclusa, & superata probatio affirmatiua, & nihilominus sic deponentes affirmatiuã puniantur in libris uigintiquinq; den. pro quolibet occasione falsę assertionis, & periurii. Et casu quo dicti negatiuam deponentes falsum deponere reperientur, eadem pœna puniantur. Volumus autem, q. in omnibus, & singulis damnis datis non admittãtur ad testimonium perhibendum testes tam mares, q̃ fœminæ minores duodecim annorum; maiores uerò dictæ ætatis, tam mares, q̃ fœminæ ad testificandum admittantur, & eis plena adhibeatur fides, non obstante minoritate uigintiquinq; annorum, & sexu muliebri: & possint testes in dictis causis recipi, iuris solennitate omissa, parte præsente, uel absente, dumodo citata, & dum tamen iurati fuerint, & iuramentum pręstiterint de ueritate dicenda, & ualeat, & teneat eorum receptio, & testimonium, ac si iuris solennitas seruata fuisset.

De licentiis dandis, & abolitione concedenda in damnis datis. Rub. IIII.

STATVIMVS, & ordinamus, licere domino, & rei possessori, nõ tamen colono, aut laboratoribus, dare, & cõcedere licentiam omnibus, & singulis personis, quibus dare, & concedere uoluerit, eundi ad eorum possessiones, & in eis ligna faciendi, fructus colligendi, damnumq; inferendi personaliter, uel cum bestiis sine aliqua pęna, dumodo de dicta licentia constet manu publici notarii, seu per duos testes, uel saltem per unum testem cum iuramento domini, seu possessoris rerum, & possessionum prædictarum: cui cum dicto iuramẽto domini, uel possessoris credatur, & pro plena probatione habeatur. Declarãtes, q. dicta licentia, si fuerit manu publici notarii concessa, duret, & durare possit per annum solùm, & dicto anno elapso à die datæ licentiæ, nisi esset renouata, uel denuo concessa, nullius sit roboris, uel ualoris. Si autem oretenus fuerit concessa, & non constiterit per publicum instrumentum, duret solummodo per decem dies. Item statuimus, q. si quis accusauerit, uel denunciauerit aliquem damnum dantem personaliter, uel cum bestiis, & ipsum retrahere noluerit à dicta accusatione, seu denuncia, eam aboleri eidẽ liceat quandocunq; ante sententiam condemnatoriam, ac retrahi, aboleriq; facere: sequuta autem dicta sententia, abolitio, & retractio omnino denegetur. Qua abolitione facta infra tempora legitima, ut supra, dictus accusatus, seu denunciatus nullo modo molestari debeat, perinde ac si unquam minime accusatus, seu denunciatus fuisset, & damnũ non dedisset. Volumus autem pro dicta abolitione, seu retractione, q. dictus aboleri faciens, & retrahens teneatur, & debeat soluere pro qualibet persona abolita, seu extracta, Officiali, seu conductori bononenum unum, Insuper adiicimus, q. dicta abolitio, seu extractio facienda intelligatur fieri, & concessa duntaxat pro medietate penę, seu portionis ipsi accusatori, seu denunciatori contingente, non autem pro parte Officialis, seu conductoris. Pręsens autem statutum de abolitione cõcedenda nolumus ullo pacto locum sibi uendicare in damnis datis, & factis personaliter, in quibus abolitio nullo modo damnum danti suffragetur.

De EXTIMATORIBVS. Rub. V.

STATVIMVS, (ut damna patientibus emendentur) q. pro legitima extimatione omnium, & quotumcunq; damnorum datorum, per Conciliũ generale nostrę Terræ eligi, ac particulariter deputari debeãt duo probi uiri pro quolibet Quarterio; sicq; deputati in uno quarterio teneãtur extimare damna data ab hominibus, uel animalibus de dicto quarterio, delato prius per Mag. DD. Priores pro tempore existentes corporali iuramento de bene, & fideliter extimãdo, remotis ab ipsis prece, precio, odio, amore, & timore, ac omni prorsus fraude. Extimationibus autem per ipsos faciendis partes stare debeãt tacitæ, & contentę, omni reclamatione, recursu, appellatione, & quacunq; alia cõtradictione remotis. Et si cõtingeret damna inferri per dictos deputatos extimatores, uel aliquos

de ipsorum familia, uel eorum consanguineos, & affines usque in tertium gradum secundũ ius Canonicum computandum, tunc ad instãtiã damnum passi Mag. DD. Priores teneantur deputare duos alios probos uiros de quarterio damnum passi, extimaturos medio iuramento (ut supra) damna data per prædictos; quorum extimationi similiter partes acquiescere debeant. Si uerò partes essent concordes, ut extimatio damnorum datorum fieret per duos probos uiros cõmuniter electos, habeatur perinde ac si facta esset per homines ad id (ut supra) deputatos. Extimationes autem damnorum datorum fieri debeãt infra quindecim dies à die illati damni, & non post; aliàs dictæ extimationes sint nullę ipso iure. Qui extimatores teneantur, & debeant eadem die, uel saltim sequenti, qua requisiti fuerint à damnũ passis uel ipsorum familia, se conferre ad loca damnorum datorum, & extimationem facere, & referre, sub pęna quadraginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet, & nihilominus ad emendatiõnem damni de suo teneantur. Dicti uerò Extimatores & eorum quilibet habere, petere, & exigere ualeat pro eorum labore, & mercede bononenos duos à damnum passis reficiendos à damnum inferentibus. Exequutio autem dictarum extimationum damnorum datorum fieri debeat à Rectore, seu eius Officialibus ad instantiam damnum passi realiter, & personaliter statim uiso publico instrumento, parte citata. Et si ille, contra quem exequutio huiusmodi facta, uel fienda fuerit, aliquid obiicere, uel se defendere uoluerit, non audiatur, nisi detentus steterit in Palatio, aut facto actuali deposito de quantitate petita. Et prędictarum extimationum exequutiones peti, & fieri possint, & debeant infra sex menses à die factæ extimationis; quo tempore elapso, nullatenus fieri possint, immo sint ipso iure nullæ, & inualidæ.

Quomodo debeat emendari damnum clandestinũ, uel occultè illatum. Rub. VI.

ITEM ordinamus, quod si contingeret aliquod damnum clandestinè de die, uel de nocte in alienis possessionibus, uel rebus inferri, & ignoraretur persona, uel animal damnum inferens, tũc facta accusatione, querela, seu denuncia per damnum passum, Officialis accusationum, constito prius sibi de damno, quod asseritur, illato, inquirat contra omnes, & singulas personas uicinas circum circa possessionẽ, in qua damnum datum esset, & examinet decem uicinos propinquiores (ut supra) magis conuersantes in dicto loco damni dati, qui uerisimiliter sciãt, uel scire possent dictum damnum. Qui si probauerint, aliquem damnum dedisse personaliter, uel cum bestiis, condemnetur secundum formam statutorum dictæ Terræ. Vbi autem non reperiretur qui damnum dederit, nec esset probatum per quem tale damnum illatum fuerit, tunc tales uicini propinquiores, & conuersantes ut supra, condemnentur solùm ad emendationem damni. Et de prædictis uicinis proximioribus stetur, & credatur sacramento damnum patientis. Et prædicta omnia Officialis præfatus obseruare teneatur uinculo iuramenti, & pęna decem librarum deñ. uice qualibet. Hoc tamen excepto, quod si tales personæ legitimè probarent, se damni dati innocentes fore, & eorum animalia dictum damnum non dedisse, & denunciarent alias personas, & animalia fuisse per ueras probationes, & inditia, tunc, & eo casu aliæ personę & animalia, contra quas, & quæ damnum datum esse per ipsos, & ipsa probaretur, & uera inditia haberentur, teneantur ad pœnam dicti damni dati, seu illati.

De duplicatione pœnarum. Rub. VII.

STATVIMVS, quod omnes, & singulę pęnę damnorum datorum in hoc uolumine statutorum contentę, si damna data, cõmissa uel illata fuerint noctis tempore personaliter, uel cum bestiis, in quolibet casu damnorum datorum duplicentur. Nox autem intelligatur de sero post sonum campanę, que pulsatur ad laudes, usque & ante sonum campanæ, quæ pulsatur de mane ad primam. Volumus autẽ, quod si aliquis Ciuis, uel habitator nostrę Terrę, ac etiam forensis per quatuor uices occasione damnorũ datorum personaliter condemna-

cōdemnatus, & punitus fuerit per nostros Officiales, tanq̄ incorrigibilis, qualibet uice, ultra dictas quatuor uices, pęnę ei dupliceutur. Et si damna de nocte facta fuerint, quadruplicētur, & nihilominus, ultra pęnas prędictas, arbitrio Mag. DD. Priorum pro tempore existentium, & Rectoris tribus ictibus funis publicē torqueatur, aut fustigetur, uel in exilium mittatur, prout ipsis secundum qualitatem personę, & damnorum illatorum conuenient magis uidebitur. Quorū pariter arbitrio, & declaratione pręmissis puniātur pęnis nō ualentes de pęnis per eos incursis propter damna data soluere in pecuniis, aut ęre omnibus, & singulis, quibus satisfieri debet, iuxtà statutorum nostrorum ordinationes.

De beneficio confessionis, & solutionis infra tempus habendo in damnis datis ab animalibus, Rub. VIII.

ITEM duximus statuendum, q. si aliquis fuerit inuentus, accusatus, inquisitus, uel denunciatus ab aliquo generaliter, uel particulariter occasione damnorū datorū cum animalibus, & prius q̄ ob id molestetur, uel tempore excusationis cū uera assignatione qualitatis, & quantitatis bestiarum, quæ damnum dederint, & damni dati, & loci qualitatis Officialibus, seu Conductoribus confessus fuerit damnum, ob talem cōfessionem quartam partem pęnę lucrari debeat: quæ confessio nullo modo suffragetur postq̄ negauerit damnum dedisse, uel confessus fuerit pòst sententiam condemnatoriā. Et si infra quintam diē pòst sententiam condemnatoriam (si intimatus fuerit) integraliter, & sine aliqua diminutione in pecunia, quibus debetur, de pęna debita satisfecerit, alia quarta pars relaxetur, ita ut qui digni erunt dictis beneficiis ad medietatem pœnæ, & non ultra, teneātur. Quarta autem pars semper dinumerari debeat etiam post admissionem unius ex pręfatis beneficiis respectu integrę quantitatis, in qua, si aliquod beneficium cōcederetur, condemnatus fuisset. Pręsens uerò statutum locum habeat in damnis datis quomodolibet per bestias, exceptis illis, in quibus cautum est beneficia nō operari, sicut etiam in damnis manualiter datis, in quibus pariter nolumus aliquod de pręmissis beneficiis admitti.

In quibus casibus damnum dantes non teneantur nisi ad emendam, & extimationem damni, Rub. VIIII.

ITEM statuimus, & ordinamus, q. damnū dantes personaliter, uel cum bestiis in possessionibus, & locis illarum personarum, quę quomodolibet occasione cuiusq; concessionis, uel priuilegii, aut alia ex causa si ipsę personaliter, uel cum bestiis damnum darēt in possessionibus de territorio nostræ Terræ non teneantur ad aliquam pęnam, sed ad emēdam tantum damni, (ut pariter seruetur ęqualitas) prædicti omnes, & singuli damnū dantes non teneātur ad aliquam pœnam, quinimo ab illa sint liberi, & immunes, sed tantùm obligati sint ad emendationem damni per homines ad id deputatos extimandi, nisi in casu, quo ipsi damnū passi, qui quauis ex causa (ut supra) excusari possint, declarauerint per publicum instrumentum per Cancellarium nostri Communis conficiendum, & in libris publicis redigendum, cum opportunis renunciationibus, se uelle subiacere in futurū pęnis omnibus, & singulis in damnis datis, uel dādis quomodolibet personaliter, uel cū bestiis per nostra statuta irrogatis; quo casu, facta tali declaratione, pręfati damnū dantes teneātur ad pęnā, sicut alii damnū dantes in possessionibus illorū, qui ex quauis causa à solutione pęnarū incursarū se ipsos, aut eorū familiā, uel bona defendere nō ualeant, nec possint.

De pœna negantium nomen suum Officiali, ac possessionem, in qua dicitur fecisse damnum. Rub. X.

QVONIAM (in quantum fieri potest) semper obuiandum est malitiis uolentium Officiales deludere. propterea ordinamus, q. si qua persona inuēta damnum dare, aue accusata inquisita, uel denunciata nomen suum proprium, & patriam dicere, & manifestare recusauerit, uel negauerit, uel aliter, q̄ proprio nomine, nomen suū mutando,

dixerit se nocari, Officialibus, Conductoribus, uel eorum Notariis, puniatur de facto uice qualibet pęna decem librarum deñ. pro tertia parte dictis Officialibus, seu Conductoribus, & pro alijs duabus tertijs Communi applicandarum. Et licitum sit Officiali quemcunq; repertum damnum dare, qui eidem nomen suum, pronomen, & cognomen, seu locum habitationis eius dicere noluerit, capere, & captum ducere ad Palatiũ D. Potestatis, & ibi eum detinere, donec illud duxerit exprimẽdum, & pęnam soluerit, quam incurrerit. Statuimus etiã, q; si quis accusatus, denunciatus, uel inquisitus fuerit de damno dato personaliter, uel cum bestiis, & negauerit possessionem, cuius gratia fuerit accusatus, pertinere ad accusatorem, siue denunciatorem, talis accusatus, uel denũciatus teneatur, & debeat probare infra quinq; dies continuos à die excusationis suæ computandos, possessionem, in qua damnum datum esse dicitur, & in accusatione, uel denuncia cõtentum, ad dictum accusatorem, uel denunciatorem non pertinere. Quod si infra dictum tempus sufficienter, & legitimè probare non potuerit, ultra condemnationem expensarum, damnorum, & interesse, pręuia debita taxatione ad fauorem accusatoris facienda, uice qualibet puniatur pęna octo librarum deñ. ut supra applicañ. Liceat insuper damnũ passo, quotiescunq; inuenerit damnum dantẽ in eius possessione, qui eidem nomen propriũ, pronomen, & cognomen indicare noluerit, uel forensem pignotare, & ab eodem pignus accipere impunè pro extimatione damni, dumodo illud pręsentet eodẽ die, uel sequenti Officiali damnorũ datorũ, & eidem notificet; & possit eum personaliter capere, & eidẽ Officiali præsentare.

De impunitate reducentis animalia, & de pęna impedientium, uel reaccipientium. Rub. XI.

VNICVIQVE liceat inuenienti animalia damnũ dantia in sua possessione, uel eius famulo, uel habitanti cũ eo, uel laboratori, colono, seu coptumatario capere, ducere & Curiæ, uel Officiali super damnis datis, uel quibus debet, ipsa præsentare, & ad hospitium ducere eadem die, qua inuenta fuerint damnum dare, quæ non relaxentur, donec fuerit soluta pęna, & damnum emendatum declarãdum per extimatores, iuxtà formam statutorũ dictę Terrę: & credatur sacramento inuenientis, si bonę famę fuerit, & fide digna, de inuentione animaliũ, cũ uno teste fide digno, dumodo cõstet de damno. Nullus autẽ audeat, uel pręsumat impedire dictũ reducentem, sub pęna cẽtum sol. pro quolibet, & uice qualibet de facto exigẽdorũ. Et si aliquis dicta animalia reacceperit, seu abstulerit, puniatur in libris decẽ deñ. ultra pęnã damni illati, & pęnã iniuriarũ, & ad emendã damni in duplũ teneatur declarandã solũmodo per iuramentũ dicti reducẽtis, uel damnũ passi.

De pœna damnum dantium post protestationem, uel studiosè. Rub. XII.

DAMNVM dans personaliter, uel cũ bestiis post protestationẽ sibi personaliter factam, etiã extraiudicialiter, coràm tamẽ duobus testibus fidedignis, uel domi eius solitæ habitationis in scriptis dimissam penès aliquã personã stantem in dicta domo, uel ostio dictę domus affixam cum pręsentia duorũ testium, puniatur talis persona, cui facta fuerit dicta protestatio, damnum in posterum dans in possessionibus protestantis, uel cõmunibus cum dicto protestante, in centum solidis, ultra pęnam damni illati. Studiosè autem damnum inferens cum bestiis, puniatur pęna, qua puniretur qui non studiosè dedisset, & ultra in centum solidis. Et præsumatur damnum fuisse studiosè datum, quando quis duceret, uel custodiret aliquod animal, seu ligaret ubi damnũ infertur, uel si his quid simile fiat: quod tamen locum non habeat in eo, qui cum animali transiret.

De pœna mandantium damnum fieri, & auxiliatorum. Rub. XIII.

QVIA in nonnullis statutis, damnũ dantibus solùm pęnę sunt impositę, & propterea in dubium redigi soleat, qua pęna sint puniendi qui mandant damnum inferri, ideò statuimus, q; siue personaliter, siue cum bestiis damnũ fuerit factum, mãdans, & ille;

cuius

cuius occasione factum est damnũ, eisdem pœnis, siue pecuniariis, siue corporis afflictiuis puniatur, quibus ipsimet damnum inferentes punirentur: eodemq; tempore ad eãdẽ pœnas cõtra ambos procedi possit, & ualeat, omniaq; statuta, tam quo ad irrogandas pœnas facta, q̃ pro diminuendis pœnis condita æqualiter in damnificante, & damnum fieri faciẽte obseruentur. Auxiliatores autem damna dantium, qui in ipso damno faciendo operam aliquam præstant, ad medietatem dictę pęnę teneantur, in qua damnum dãtes uenirent puniendi. Cõsultores autem, & tractatores nisi in facto auxilium aliquod præstiterint, & non sint de principaliter fieri facientibus, ad nullam pęnam teneantur. Et si fuerint plures mandatores, omnes eadem pœna in solidum teneantur, ac unica solutione pœnæ omnes liberentur. Auxiliatorũ uerò plurium singuli ad suam præfatã pęnę medietatẽ teneantur.

Quòd Officiales posśint de similibus ad similia procedere, & condemnare in damnis datis. Rub. XIIII.

PRAESENTI statuto censemus, q̃ in omnibus, & singulis damnis datis, & casibus damnorũ datorum personaliter, uel cum bestiis, in quibus particulariter nõ esset ordinata, determinata, & specificata pœna tenore alicuius statuti in hoc uolumine nostrorũ statutorũ cõpręhensi, dicti Officiales posśint procedere, punire, cõdemnare, & exequi facere de similibus ad similia. Et si similes casus nõ reperirentur, tunc idẽ Officiales posśint procedere, & exequi arbitrio Mag. DD. Priorũ usq; ad summã unius floreni, considerata tamẽ qualitate delicti, seu damni dati, & qualitate, cõditioneq; personarũ damnũ dantiũ.

De portionibus pœnarum tangentibus Officialibus. Rub. XV.

OFFICIALES Damnorum Datorũ, seu Conductores huiusmodi prouentuũ in omnibus, & singulis inuẽtionibus, tam de damnis datis personaliter, q̃ cũ bestiis teneantur, & debeant contra damnũ dantes, & delinquẽtes, prout in statutis pręsentis uoluminis compræhensum, & declaratum fuerit, procedere, repertosq; culpabiles punire, & condemnare secundũ formã dictorũ statutorũ. Dictiq; Officiales, seu Conductores de omnibus, & singulis pęnis quomodocunq; & qualitercunq; in pręsenti uolumine declaratis, & irrogatis, nisi aliter applicatas fuisse reperiretur, eum effectu habere debeant, & obtinere tres quartas de omnibus inuentionibus, accusationibus, & denunciationibus licitis, & de legitimis pœnis, de quibus conscientias Mag. DD. Priorũ pro tempore existentiũ onerari uolumus: & intẽdimus, ut sit procul à dictis Officialibus omnis fraus, & malitia.

De pœna damnum dantium in hortis. Rub. XVI.

HAC nostra lege ordinamus, q̃ si aliquis hortũ clausum alicuius propriũ, uel conductum, ubi fuerint olera, popones, citrullæ, cœpæ, allia, porri, & similia, intrauerit, & damnũ non dederit pro solo introitu si intus Terrã, puniatur pęna unius floreni: si uerò extra Terrã, in medietate dictę pęnę. Si autẽ clausum nõ fuerit, in quolibet prædictorũ casuũ in medietate dictarũ pęnarũ puniatur. Si uerò post dictũ introitũ damnũ dederit in horto clauso, colligendo de dictis rebus, uel aliqua ipsarũ, etiã in minima quantitate, si intus Terrã, in decem libris deñ. si uerò extra Terrã, in centũ sol. puniatur. Si uerò in horto nõ clauso damnũ dederit, in medietate eius pene, quæ pro horto clauso imponitur, puniatur. Si autẽ in pręd ictis locis, uel aliquo ipsorũ de prędictis rebus, uel aliqua ipsarũ uastũ, uel furtũ fuerit, uel cõmiserit, in uigintiquinq; libris deñ. condemnetur, & ad emendã damni teneatur. Et an uastum sit, uel furtum, liberè stetur declarationi faciẽdę per Mag. DD. Priores. Si quis uerò inuentus fuerit extra, uel propè aliquem hortum, uel posseśsionem portare aliquid de prędictis, nec ostẽderit, unde, uel à quo habuerit, puniatur perindè ac si inuẽtus fuerit damnum dare intus prædicta loca propinquiora loco, ubi fuerit inuentus.

P O

Et si plures fuerint damnum dãtes in dictis locis, liceat uni ex sociis accusare suos socios, & lucretur medietatem pœnæ, & ipse sit immunis, & exemptus ab omni pœna, in quam occasione huiusmodi incurrisset, & insuper teneatur secretus.

De pœna damnum dantium in uineis. Rub. XVII.

ITEM statuimus, quod quicunque introierit in uineis alienis propriis, uel cõductis cultis, & laboratis à kal. Martii usque ad kal. Nouembris, pro solo introitu in libris quatuor deñ. aliis uerò temporibus, in medietate dictę pęnę uice qualibet puniatur. Si uerò post dictũ introitũ damnũ dederit, colligẽdo agrestas, seu uuas acerbas, uel maturas, ultra pęnã dicti introitus, usque ad duos racemos inclusiuè, puniatur in quadraginta sol. pro quolibet & uice qualibet. A duobus uerò racemis supra usque ad quatuor inclusiuè, pro quolibet racemo in sol. uigintiquinque: ab inde uerò supra usque ad decem racemos inclusiuè, in duodecim libris deñ. puniatur in totũ pro quolibet, & uice qualibet. Ab inde uerò supra, habeatur pro uasto, & furto, & soluere teneatur quadraginta libras deñ. sine remissione, & diminutione exigeñ. quas nisi eadẽ die soluerit, qua intulerit damnũ, uel inuentus fuerit portare, uel in domo habere dictam uuarũ quantitatẽ, per Curiã Rectoris, uel Iudicis ligari debeat ad cathenã existentẽ in muro Palatii Cõmunis cũ dictis uuarũ racemis collo appensis per diem integrũ, ibi permansurus, ut aliis transeat in exemplũ. Si uerò aliter damnũ dederit, colligendo olera, capreolos, uel pedagnolas, uel cannas, aut uites, uel aliter damnum dederit in dictis uineis, ultra pęnã introitus, in quadraginta sol. puniatur pro quolibet, & uice qualibet. Si quis uerò introierit in uineã alienã nõ cultã, uel laboratã, uel damnũ post introitũ in ea dederit, puniatur in medietate pœnę in quolibet casuũ pędictorũ cõtentæ. Idemque ius seruetur cõtra asportãtes uuas agrestas, seu maturas existentes in agris, & possessionibus extra uineas, & in pergulis, siue arboratis: quibus casibus ita puniantur, sicut damnũ dedissent in uineis, in quolibet casuũ prædictorũ. Si uerò collegerit alios fructus, uel poma existẽtia in dictis uineis, puniatur in quadraginta sol. & damnũ emẽdet. Si quis uerò herbã fecerit in aliqua uinea à kal. Martii usque ad kal. Nouẽbris, in quadraginta sol. puniatur: aliis uerò temporibus, in decẽ sol. Transiens autẽ cũ bestiis per dictas uineas dictis temporibus, in libris octo deñ. & si sine bestiis, in libris quatuor deñ. pro quolibet, & uice qualibet puniatur. Aliis uerò tẽporibus, in medietate dictę pœnæ mulctetur. Si quis autẽ inuentus fuerit propè aliquã uineã cum uuis seu agrestis tempore quo dicti fructus pendent pręsumatur damnũ dedisse, & illas collegisse in uinea propinquiori loco, quo inuentus fuerit, & puniatur, ac si cõpertus fuisset damnũ dare intus dictã uineã propinquiorem nisi euidenter docuerit, unde & à quo dictas agrestas, uel uuas habuerit. Colligentes autẽ agrestas, uel uuas lambruschas de sepibus, seu uitibus incultis existentibus in arboribus, & possessionibus incultis, in quolibet casu in medietate dictarũ pœnarũ puniatur.

De pœna damnum dantium personaliter in canneto. Rub. XVIII.

ORDINAMVS, quod si quis damnũ aliquod dederit in canneto alieno, incidẽdo, uel rumpendo, uel asportando cannas, uel extrahẽdo occhios, seu ocinos cannarũ, in decem libris deñ. pro quolibet, & uice qualibet puniatur. Si uerò frondes fecerit, uel herbam, uel aliter quomodocunque damnum dederit, in medietate dictæ pœnæ puniatur.

De pœna incidentium uites. Rub. XIX.

QVIS QVIS cuiuscunque conditionis, uel status inciserit aliquã uitem alicuius pergulę existentis intus dictã Terrã; si à pede, in uiginti libris deñ. puniatur. Si uerò inciserit caput dictę uitis, in centum sol. puniatur. Si quis uerò inciserit, uel mutilauerit

aliquam

aliquam uitem alicuius pergolæ,uel arboratę existentis extra dictā Terram,in duodecim libris deñ. pro quolibet,qualibet uite, & qualibet uice. Si quis uerò inciserit, mutilauerit, uel deuastauerit aliquā uitem existentem supra aliquā arborem ubicunq;, in decem libris deñ. puniatur. Si quis autē inciserit aliquā uitem alicuius uineæ laboratę,pro qualibet uite usq; ad decem uites in quinquaginta libris deñ. puniatur. Ab inde uerò supra,duplicata pęna irremissibiliter sine diminutione puniatur pro qualibet uite ultra alias pęnas præfixas ex forma iuris, uel statutorų nostrorū cōtra huōi incisores, & deuastatores: quas nisi soluerit infra decē dies,manus sibi amputetur. Et in quolibet casuū prædictorum damnū dantes,incisores,& deuastatores ad emendationem damni teneantur,& compellantur.

De pœna incidentium arbores fructiferas,& infructiferas. Rub. XX.

SI Quis contra uel pręter uoluntatem domini possessionis inciserit aliquam arborem oliuarum à pede,seu plātones oliuarum uirides, uel euulserit in totum, uel in partem, uel igne combusserit,aut remundauerit,uel aliter deuastauerit,adeò q. ad siccitatē,uel fere diminutionem dictam arborem reduxerit, in quinquaginta libris deñ. puniatur pro qualibet, & uice qualibet,ultra damni emendationem. Si quis uerò ramum,uel ramos alicuius arboris oliuarum inciserit, pro qualibet ramo in uiginti libris deñ. uice qualibet puniatur, dumodo pœna ramorum incisorum unius pedis oliuarū non excedat quantitatem quinquaginta librarum deñ. Si uerò extirpauerit,uel inciserit,seu stropolauerit aliquā partem alicuius pedis oliuarum,non in totum,sed pro maiori parte,in decem libris deñ. puniatur pro quolibet,& uice qualibet. Et si in quolibet prędictorū casuum condemnationem pręedictam nō soluerit infra decem dies, fustigetur per totā Terram nostrā. Si uerò arborem quamcunq; sustinentem uitem,uel pręparatam ad sustinendā uitem,uel aliā arborem domesticam fructiferam ad hominum usum inciserit: si à pede, seu stipite, in triginta libris deñ. uice qualibet puniatur. Si uerò ramos,uel plantas arborū prædictarū, inciserit, euulserit,uel stirpauerit,in centum solidis puniatur pro quolibet ramo,uel planta, dumodo cōdemnatio ramorum, uel plantarum unius pedis quantitatem uiginti librarum non excedat. Exceptis incisoribus arborū quercus,cerri,eschuli,ilicis pyri syluestris fructus producentium,qui pro qualibet arbore à pede incisa,seu euulsa uel extirpata,uel ad siccitatem reducta,pœna duodecim librarum denariorū pro quolibet,& uice qualibet puniatur. Incisores autem ramorum arborum prædictarum fructus syluestres ferentium puniātur pro quolibet ramo in centū solidis uice qualibet. Si uerò plantæ paruæ,seu stirpes incisæ fuerint,pro qualibet planta,& stirpe parua in medietate dictarum pęnarum in quolibet prędictorū casuū puniatur,& condemnetur incidēs. Et prędicta locū non habeant in spinis, uetricis, & genistis, hisq; similibus, in quibus damnum dantes pro qualibet salma puniantur in decem solidis. Si quis autem fractam,seu sepem fregerit, pro sola fractura, si fuerit uineę,uel horti,in quadraginta sol. & si alterius possessionis,in uiginti sol. puniatur. Si uerò inciserit,uel aliter deuastauerit,pro quolibet passu dictæ sepis incisæ, seu deuastatę pœna quadraginta solidorum puniatur. Si uerò in dicta sepe fuerint arbores de aliquo genere arborum prædictarum, & ipsas inciserit, puniatur delinquens ad similitudinem supradictarum pœnarum, iuxtà distinctionem superius factam. Et in quolibet prædictorum casuum sufficiat probatio unius testis de uisu. Sacramento autem domini credatur usq; ad quantitatem uiginti solidorum.

De pœna damnum dantium personaliter in arboribus fructiferis. Rub. XXI.

STATVIMVS, q. si quis damnū dederit, uel fecerit in arboribus fructiferis, dū fructus in eis pendent,existentibus in possessionibus laboratiuis cultis, colligendo,& asportando,uel colligi,uel exportari faciendo de pomis,aut aliis fructibus existentibus in

dictis arboribus, pro quolibet, & uice qualibet puniatur in quinquaginta sol. Si quis uero alicuius possessionē ingressus fuerit, in qua essent arbores fructiferæ, non animo asportandi de dictis fructibus extra dictā possessionem, sed causa comedēdi eos ibi, in uigintiquinq; sol. puniatur. Si uero fructus, & poma prædicta baculo, uel alio modo battendo, uel percutiendo cadere fecerit causa pascendi, uel nutriendi animalia, pro quolibet, & uice qualibet, & qualibet arbore discussa pœna decem librarum dēn. puniatur. Si uero dictę arbores fructiferæ extiterint in locis incultis, & sodiuis, damnum dantes media pęna puniantur. Fructuum autem prædictorum appellatione glandes quoq; comprahendātur. Percutientes autem, uel battentes pyra, & mala syluatica ubicunq; sita, pęna quadragiota sol. pro quolibet, & uice qualibet puniantur. Si quis uero damnū dederit in oliuis, & fructibus ipsarum, asportādo, colligendo, percutiendo, uel debattendo pro pascendis animalibus, uel asportari, colligi, uel percuti faciendo, puniatur pœna duodecim librarum denariorum. Si uero secum asportauerit, pœna furti puniatur. Dantes uero damnum in melarantiis, colligendo, uel asportādo, uel aliter quomodolibet damnum inferendo, puniatur pœna decem librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet.

De pœna asportantium fructus, uel in domo habentium. Rub. XXII.

ITEM ordinamus, q; quicunq; in quocunq; loco inuentus fuerit per Officialē damnorum datorum portare olera, poma, fęnum paleam, ligna, canas, glandes, sorbas, ficus, nuces, & quoscunq; alios fructus similes, & uincum, teneatur, ad simplicem eiusdē Officialis, uel suæ familię requisitionem, ostendere portasse de possessionibus suis, aut alienis cum licentia domini, aliàs pœnas incurrat in proximo præcedenti capitulo, seu statuto cōtentas, & ordinatas, ac si in possessionibus alienis damnum dedisset, uel compertus fuisset. Excipimus tamen famulos asportantes fructus de possessionibus dominorum suorum, qui præsumantur asportare cum licentia domini, nisi dominus contra eum querelam porrexerit: quo casu ad pœnas prædictas teneātur. Item disponimus, & ordinamus, q; tam dicti Officiales damnorum datorum, q̄ etiam Officiales Rectoris, uel Iudicis teneantur, & debeant inquirere, & timari in domibus, & habitationibus quorumcunq; non habentium, nec possidentium possessiones proprias, uel cōductas cum arboribus fructiferis pro inueniendis dictis fructibus. Quibus inuentis in dictis locis, teneantur habentes, uel tenentes ostendere, unde, uel à quo habuerint dictos fructus, infra sequentem diē, à quo fuerint inuenti. Quòd si elapso dicto termino, non ostenderint, unde, uel à quo habuerint, pœna decem librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet puniantur, ultra alias pœnas statutas pro dictis fructibus repertis. Et quilibet possit prædictos defe rentes, uel habētes in domo accusare, uel denunciare Officialibus damnorum datorum, uel Curiæ, & lucretur quartam partem pœnarum, & teneatur secretus, & credatur eius iuramento cum dicto unius testis. Et Officiales Rectoris teneantur, ad petitionem cuiuscunque perquirere in alienis domibus pro dictis fructibus inueniendis, uinculo iuramēti, & pœna decem librarum denariorum.

De pœna damnum dantium personaliter in fœno, uel in palea. Rub. XXIII.

ORDINAMUS, q; accipiens, uel asportans de fœno alieno fœnato composito, uel non composito existente in pratis, siue agris giuffatis, uel custoditis, uel alibi, pro qualibet salma pena octo librarum denariorum puniatur pro quolibet, & uice qualibet. Ab inde uero infra, seruetur statutum de damnum dantibus in pratis, uel giuffatis. Accipiens uero paleam compositam, uel non compositam existentē in area, uel albi, pro qualibet salma in libris quinque denariorum pro quolibet, & uice qualibet puniatur. Ab inde uero infra, in medietate dictæ pœnæ condemnetur accipiens.

De pœna damnum dantium personaliter in bladis, leguminibus, linis, & his similibus. Rub. XXIIII.

SI Qua persona damnum dederit in bladis, leguminibus, linis alienis, & his similibus, metẽdo, aut colligendo, siue exportãdo, uel alio modo deuastando, taliter q̃ dominus damnũ susteatur, in quadraginta sol. pro quolibet, & uice qualibet puniatur. Si quis uerò transitum fecerit personaliter, uel cum bestiis per possessionem alicuius bladatam, seu leguminibus, uel lino, uel similibus seminatã à calendis Martii in posterum, si quidem personaliter tantù m, in uiginti solidis pro quolibet, & uice qualibet condemnetur. Aliis uerò temporibus, in solidis decem. Si autem cum animalibus, dominus illorum, uel custos puniatur secundum formam statutorum loquentium de damnis datis ab animalibus.

De pęna damnum dantium personaliter in pratis, & hęrbis giuffatis. Rub. XXV.

ITEM disponimus, q̃ si quis personaliter damnũ dederit in prato alicuius, uel hęrbis giuffatis, uel custoditis à calendis Aprilis usq; quò dictæ hęrbæ secatæ erunt, metendo, & falciando præfatas hęrbas, uel secatas, seu messas asportando, uel aliter damnum in illis cõmittendo, pro quolibet, & uice qualibet puniatur in uiginti sol. Si autẽ postq̃ præfatæ hęrbæ secatæ fuerint, uel messæ à domino, damnũ dederit, hęrbis existẽtibus in dictis pratis, uel giuffatis, maxime illas asportando, aut alio modo damnũ dando, in sol. quadraginta puniatur pro quolibet, & uice qualibet. Si quis autem trãsitum fecerit per dicta prata, & giuffata, si quidem personaliter, in solidis decem puniatur: si autẽ cum bestiis, condemnetur secundum formam statutorum loquentium de damnis datis ab animalibus.

De pœna asportantium ligna aliena, uel cannas, seu uites. Rub. XXVI.

ACCIPIENS, uel asportãs ligna aliena accatastata pro igne faciendo, pro qualibet salma, & uice qualibet pœna quatuor librarum dñ. puniatur. Accipiens uerò, seu asportans de lignis alienis, non tamen accatastatis, medietatem dictæ pœnæ incurrat pro qualibet salma, & uice qualibet. Si uerò minorem quãtitatem unius salmæ, si quidem de accatastatis, pœna quinquaginta sol. uice qualibet puniatur. Si uerò de non accatastatis, in medietate dictę pœnæ puniatur. Si quis autẽ acceperit, & asportauerit ramos euulsos, uel à pede separatos uirides, uel siccos pro qualibet salma, & uice qualibet pœna quadraginta sol. puniatur: in minori uerò quantitate, pęna uiginti sol. condemnetur. Si quis autem per Officiales damnorũ datorum, uel Curiã Rectoris, uel Iudicis inuentus fuerit portare de lignis quercuũ, stirpium, ęsculorum, cerrorum, & aliarũ arborum glandiferarũ de possessionibus, uel syluis alienis, pęna decem librarũ dñ. pro qualibet salma puniatur. Et si minorem quantitatem unius salmæ portare inuentus fuerit, media pœna plectatur. Et si taliter inuentus assereret portare de suis syluis, aut possessionibus, ad simplicẽ requisitionem dictorũ Officialium compellatur statim ostendere, ubi, & à quibus dicta ligna habuerit. Et si ostendere non potuerit asportasse de sua possessione, aut de loco, ex quo ei licuerit asportare, supradicta pœna mulctetur. Et si in prædictis, uel aliquo prædictorum aliqua differentia uel dubietas inter Officiales, & portantẽ de dictis lignis oriretur, Mag. DD. Priores habeant auctoritatem declarandi, & decidendi; quorum declarationi qualibet pars acquiescere teneatur. Et cuilibet liceat accusare etiam socios damnificantes, qui propter talem accusationem à pœna, quam ipse incurrisset, liberetur. Asportantes autem cannas ueteres, uel siccas, seu uites de aliena possessione præter domini uoluntatem, incidat in pœnam quatuor librarum denariorum pro quolibet fascio, & uice qualibet. Declarantes q̃ si unus, idemq; incidens, & asportans fuerit, ad pœnam incisionis, & asportationis cumulatiuè teneatur: non obstantibus quibuscunque.

De pœna asportantium ligna oliuarum,ficuum,nucum,& his similium arborum fructiferarum. Rub. XXVII.

NEMO audeat,uel præsumat asportare ligna oliuarum,ficuum,nucum,& his similium ad comburendum,uel uendendum,uel quacunque alia ex causa sine bulletta,uel licentia domini possessionis subscripta manu Cancellarii,sub pœna decem librarum den. pro quolibet cōtrafaciente,& uice qualibet.Saluo,q̃ licitum sit domino possessionis,uel suis familiaribus deferre,uel deferri facere impunè de prædictis. Et super prędictis procedi possit per inuentionem,accusationem,denunciam,& querelam,etiam per Rectorē ipsum,& eius Curiam,qui lucretur quartam partem dictarum pœnarum. Addentes, nulli licere,etiā conducto ad precium,nec laboratoribus,colonis,uel inquilinis,aut coptumatarus quouis tempore rumpere,uel incidere pedes,& ramos arborum oliuarū,seu modo aliquo ipsas deuastare,aut sic deuastatas exportare,aut in loco consumere,& ardere,sub pœnis superius statutis contra incidentes,& asportantes, seu deuastantes ligna aliena.

De pœna incidentium , uel asportantium de lignis Syluarum , uel Rotarum Communis. Rub. XXVIII.

VT damnis intollerabilibus,quę in Syluis,& Rotis Communis quotidie fiunt,obuietur,hac perpetuò ualitura lege sancimus,nemini licere,cuiuscunq; gradus, condi tionis,status,aut pręeminētiæ existat,incidere,uel incidi facere, asportare, uel asportari facere ligna uiridia,uel sicca,seu demortua de dictis syluis,uel rotis Cōmunis,sub pęna decē scutorū auri pro medietate Cōmuni applicandorū,& pro altera accusatori,& executori æqualibus portionibus de facto sine aliqua tela iudiciaria,sententia,uel cōdemnatione,& aliquorū beneficiorū admissione integraliter exsoluēd. & absq; aliqua remissione exigēd. Eandemq; pęnā incurrat qui repertus fuerit habere in domo, uel alibi de dictis lignis: & pater teneatur pro filio,frater pro fratre,patruus,seu auūculus pro nepote,dumodo in cōmunione permaneant,& dominus pro famulo: & cuilibet liceat accusare, & esse possit officialis,& lucretur quartam partem pęnæ, ut supra. Damnū uerò inferens cū animalibus in dictis syluis,uel rotis,in libris quatuor den. pro quolibet animali, & uice qualibet puniatur.De quibus pęnis nulla possit fieri gratia,etiam per Concilium generale. Et si facta fuerit,etiā cū derogatione pręsētis statuti,nullius sit roboris,uel momēti: & nihilominus DD.Priores pro tēpore existētes,& Cancellarius proponētes dictas gratias,incurrāt easdē pęnas pro quolibet de eorū salario retinēd. Percutientes uerò,uel cadere facientes glādes,uel mala,seu pyra rustica, in duobus scutis uice qualibet puniatur, ut supra applicād.

De pœna facientium suatcum,uel cansarolas. Rub. XXIX.

SI Quis fecerit cansarolam per alienā possessionem bladatā,aut satā leguminibus,aut lino,horticiuā,uineatam,uel cānetatam,puniatur pęna decem sol. pro quolibet, & uice qualibet,& pro qualibet bestia,quā per dictam cansarolā duceret: & si sic per transeuntes damnū fieret,ultra pęnam prædictā,dominus,siue custos illarū soluat pęnā damnorū da torū cū bestiis,uel personaliter,prout in statutis de dictis pęnis cautū est,nisi uię publicę, uel uicinales essent impeditæ aliquo obstaculo,quò minus per eas possit iie,uel nō essent certe determinatæ: quo casu unicuiq; liceat facere cansarolā per alienā possessionē,in parte tamen domino minus damnosa,recto tramite: tēporis pręscriptione,uel aliquo in contrariū faciēte non obstan. Faciens uerò suarcū (quod eo ipso intelligatur,q. quis per alienā possessionē itineris abbreuiandi causa pertransierit) simili pęna puniatur. Cōducentes uerò animalia,uel euntes equestres teneātur tantū de solo trāsitu bestiarū in casibus pręfictis prohibitis. Et si super prædictis oriis aliqua quæstio oriretur,Mag.DD.Priores habeant auctoritatem decidendi,& terminandi per inspectionem loci, uel aliàs, prout ipsis uidebitur. Quorum decisioni,& sententiæ partes omnino acquiescere teneantur.

De pœna

De pœna non retinentium Canes ligatos,& de damnis ab eis illatis. Rub. XXX.

QVICVNQVE Laborator,Colonus,uel alius habitator nostræ Terræ,& eius territorii,& custos ouiũ,& aliorum animaliũ habuerit,uel tenuerit canes,teneatur, & debeat à die festiuitatis S. Mariæ de mense Augusti usq; quò uineæ fuerint uindemiatæ,tenere dictos canes suos,aut alienos,qui sub eorũ custodia essent,cõtinuè die,noctuq; ligatos, aut si illos ligatos retinere noluerit, per dictum tempus teneatur in collo cuiusq; canis portionem unius funis longitudinis ad minus unius passus Communis cum ligno forti,& bene aduncato à capite funis prædictæ sufficienter ligato dimittere, ita, & taliter, q; non possint dicti canes liberè introire,stare,& exire in dictis uineis. Et liceat unicuique repertenti canes in suis uineis non gestantes cum dicta fune lignum aduncatum, uel sine uncino,illos impunè occidere,& in dictis uineis,& per eas,& extra eas illos prosequi,& occidere(ut supra)impunè. Trãsgressores autem huius legis,pro quolibet cane sic reperto, uel dissoluto,uel non gestante dictum lignum aduncatum modo supradicto, pœna quatuor librarum denariorum plectãtur sine aliqua diminutione: quarum quartam partem lucretur accusator,& teneatur secretus.

De pęna forensium damnum dantium personaliter, uel cum bestiis. Rub. XXXI.

CVM honestum,& congruum rationi sit,ut quod quisq; iuris in aliũ statuerit, ipse eodem iure utatur,iccircò præsenti lege sancimus,q; forenses damnũ dantes quomodocunq;,& qualitercunq; personaliter,uel cum bestiis in territorio dictę Terrę,eadem puniantur pœna,qua Ciues,incolæ,& habitatores Terræ nostræ per statuta secorum dictorum forẽsium puniuntur,dictosq; forenses,uel eorũ animalia reperta damnum dare unicuiq; liceat capere,reducere,& Curiæ,uel DD.Prioribus pro tempore existentibus præsentate,ut penès hospitem (ut moris est) custodienda deponantur,ut pœnas incursas persoluant,& damni emendationem. Hoc autem intelligatur de uicinis circunstantibus proximioribus; alii uerò remotiores personaliter,uel cum bestiis (ut supra) damnum dare reperti,duplici pœna puniantur,uel minus,arbitrio Mag. DD. Priorum.

De pęna animalium damnum dantium in arboribus fructiferis. Rub. XXXII.

ITEM statuimus,q; si bos,uel uaccha,iuuẽcus,uel iuuẽca,bubulus,uel bubula,equus, uel equa,mulus, uel mula damnũ dederit in arboribus fructiferis, (exceptis arboribus oliuarum,de quibus inferius disponetur) sine pomis,& fructibus hominibus comestibilibus dictarum arborum,corrodendo,seu alio quocunq; modo deuastando,dummodo ob dictum damnum arbores exsiccatæ nõ sint,dominus,uel custos dictorũ animaliũ in sol. uiginti pro quolibet dictorũ animaliũ,& uice qualibet puniatur. Si uerò asinus,uel asina damnũ dederit,ut supra,dominus,uel custos in medietate dictę pęnę puniatur. Si autem porcus,uel scrofa,uel porcastra,hyrcus,uel capra damnum dederit,ut supra,in duodecim sol. pro quolibet,& uice qualibet condemnetur. Si ouis,montonus,castratus,siue aries,in quinq; sol. Si uerò animalia bouina,bubalina,uel caprina,uel aliquod ipsorũ damnũ dederit in arboribus oliuarũ,ut supra,ubicunq; existentibus,corrodendo,aut aliquo modo deuastando,dñs,uel custos dictorũ animaliũ puniatur in sol. triginta pro qualibet bestia,& uice qualibet. Pro aliis uerò animalibus quibuscũq; in dictis arboribus oliuarum damnũ faciẽtibus,dñs,uel custos in uiginti sol. pro quolibet,& uice qualiber puniatur. Pro allectiminibus uerò lactantibus animaliũ prædictorũ in præsenti statuto nominatorũ damnũ dantibus in quouis prædictarũ arborũ,in omnibus supradictis casibus ad medietatẽ dictarũ pęnarum solũmodo teneatur. Si uerò prefatę arbores propter huiusmodi corrosiones,seu deuastationes factas à predictis animalibus, uel aliquæ ipsarũ effectæ fuerint aridæ uel siccę infra annũ à die illati damni, ultra pęnas præfatas,domini,uel custodes ad emẽdationẽ damni domino teneãtur,iuxtà extimationẽ faciendã per Extimatores Cõmunis,

De pęnis animalium damnum dantium in uinea, canneto, horto, bladis, leguminibus, & lino. Rub. XXXIII.

ORDINAMVS, ꝙ si bos, uaccha, iuuencus, uel iuuenca, equus, uel equa, mulus, uel mula alicuius personæ damnum dederit in horto, tamen clauso, canneto, & uineis cultis, & laboratis à calendis Martii usq; ad calendas Nouembris dominus, uel custos dictorum animaliũ puniatur in uiginti sol. pro quolibet, & uice qualibet. Si autẽ in uineis non cultis, uel non laboratis per duos annos, in medietate tantùm dictæ pęnę puniatur. Et si asinus, uel asina, porcus, uel scrofa, capra, uel hyrcus in dictis locis, & temporibus damnũ dederit, pro quolibet, & uice qualibet in uiginti sol. puniatur. Pro pecudibus uerò ouinis, & ueruecinis damnũ dantibus in dictis locis, & temporibus, pro quolibet, & uice qualibet in quatuor solidis cõdemnetur. Pro pullis uerò equinis, asininis, mulinis, uitulis minoribus sex mensium, suillis, agnis, & hœdibus utriusq; sexus lactantibus damnũ dantibus in dictis locis, & temporibus, ad medietatem dictarum pęnarum dominus, uel custos teneatur pro quolibet, & uice qualibet. Pro pullis autem gallinaceis, uel anserinis cuiusq; sexus, speciei, & ætatis damnũ dãtibus in dictis locis, & temporibus pro quolibet, & uice qualibet in quinq; sol. puniatur. Aliis autem temporibus damnũ dantibus supradictis animalibus in supradictis locis, ad medietatẽ dictarũ pęnarũ in quolibet casuũ prędictorum domini, uel custodes animalium præfatorũ teneantur. Si uerò prędicta animalia, uidelicet bos, uaccha, iuuẽcus, uel iuuẽca, equus, uel equa, mulus, uel mula alicuius damnũ dederit in bladis, leguminibus, uel lino à calendis Martii usq; ad mediũ mensem Aprilis, in decẽ sol. puniatur dominus, uel custos pro quolibet, & uice qualibet. Si uerò asinus, uel asina, porcus, uel scrofa, hyrcus, uel capra damnum dederit in dictis locis, & temporibus, ad medietatem tantùm dictæ pœnæ teneatur dominus, uel custos. Si autẽ ouis, mõtonus, castratus, uel ueruex damnũ dederit in dictis locis, & temporibus, in duodecim denariis pro quolibet, & uice qualibet puniatur dominus, uel custos. Aliis autẽ temporibus, uidelicet a supradicto medio mense Aprili usq; ad festũ S. Mariæ de mense Augusti, si in blado, legumine, & lino: si bos, in quindecim sol. si asinus, uel porcus, in decẽ sol. si capra, uel hyrcus, in quinq; sol. si ouis, uel aries, in duobus sol. puniatur dñs, uel custos. Si autem in couis adunatis dicta animalia damnũ dederint, in duplũ condemnetur dñs, uel custos.

De pœna animalium damnum dantium in pratis, giuffatis, fœno, & palea, ac naualibus, seu magesis. Rub. XXXIIII.

SI Bos, uaccha, iuuencus, uel iuuenca bubulus, uel bubula, equus, uel equa, mulus, uel mula damnum quomodolibet dederit in pratis, siue hęrbis giuffatis, & custoditis à calendis Martii usq; quò hęrbæ præfatę fuerint secatæ, dominus, seu custos dictorũ animalium in quindecim sol. condemnetur pro quolibet præfatorum animalium, & uice qualiber. Si uerò asinus, uel asina, porcus, uel scrofa damnum dederit in præfatis locis, & temporibus, ad medietatem dictæ pœnæ solummodo teneatur dominus, seu custos. Si uerò bestiæ ouinæ, siue pecudinę damnũ dederint in dictis locis, & temporibus, in duobus sol. puniatur dominus, uel custos. Pro pręfatorum uerò animaliũ alleuiminibus lactantibus damnũ dantibus in dictis locis, & temporibus, ad medietatẽ tantùm dictarũ pęnarũ teneãtur domini, uel custodes. Aliis uerò temporibus animalibus porcinis damnũ dantibus in pratis, tufando uel scauando, dominus, uel custos in decem sol. pro quolibet, & uice qualibet puniatur. Si uerò dicta animalia damnũ dederint in fęno secato cõposito, uel non cõposito existente in agris, uel alibi, uel in palea cõposita, uel non cõposita existẽte in area, uel alibi, duplicata pęna dñs, uel custos puniatur. Pro bestiis autẽ caprinis, pecudinis, seu ouinis damnũ dantibus in dictis paleis, uel fœno, in duobus sol. pro qualibet, & uice qualibet puniatur dñs, uel custos. Quæ omnes, & singulę pęnæ respectiuè pro medietate diminuan-

diminuantur, si per allevimina dictorum animalium lactantium damnum illatum fuerit in supradictis rebus. Nec praefatae poenae locum sibi uendicent in foenis, & paleis habitis pro derelictis a dominis: quod eo ipso pro derelictis intelligatur, quoties dominus illas, uel illa extra clausuram paleatii, uel alibi praetermiserit, uel reliquerit. Animalibus uero praefatis transeuntibus per noualia, seu magesas tempore aquoso, uel pluuioso, puniatur custos, uel dominus in quarta parte poenae, quae pro bladis statuta est.

De poena animalium damnum dantium per discursum. Rub. XXXV.

SI Animalia cuiuscunq; generis, uel speciei damnum dederint in possessionibus, ac rebus, & locis, in quibus damna dari per nostra statuta prohibetur, per discursum, siue transitum, aut trascursum, dominus, uel custos animalium praefatorum teneatur tantum ad medietatem poenae, ad quam teneretur, si nõ per transcursum damnum datum fuisset. Si uero ex trauscursu, uel discursu praedicto nullum damnum illatum fuerit, aut causatũ, ad nullam prorsus poenam teneatur praefatus dominus, uel custos.

De poena incidentium insita de arboribus fructiferis, & de bestiis inter ea non pascendis. Rub. XXXVI.

AD reprimendum quamplurima damna, quae saepe fieri contingunt in insitis arborum fructiferarum, statuimus, & ordinamus, q. si quis inciserit, decortauerit, deuastauerit, seu euulserit aliquo modo insita aliqua de arboribus fructiferis facta, incidat in poenam uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet insito, & uice qualibet de facto, & sine diminutione, uel remissione aliqua exigendarum. Neque etiam aliquis possit inter ea aliquod animal cuiuscunque generis, uel speciei depascere usque ad annos sex a die, quo facta fuerint, sub poena pro qualibet bestia quadraginta solidorum, & uice qualibet, dumodo nõ esset insitum solùm in loco campestri, ubi si ibidem damnum datum fuerit, puniatur dominus, uel custos in quadraginta solidis pro qualibet bestia, & in quolibet praedictorum casuum, ultra poenas incursas, teneatur ad damni emendationem.

De poena animalium pascentium inter plantones oliuarum. Rub. XXXVII.

ORDINAMVS, q. inter plantones oliuarum per sex annos post ipsorũ plantationem aliqua animalia, tam Ciuiũ, q̃ forensium cuiuscunq; generis, uel speciei nõ possint, nec ualeãt depascere, nec cõuersari: & si secus factũ fuerit, etiã q. nullũ damnum datũ fuerit in ipsis plantonibus, illorum animalium dominus, uel custos ad pęnã uiginti sol. pro quolibet, & uice qualibet teneatur sine aliqua remissione: exceptis bestiis pecudinis, seu ouinis, quę ad pęnã quatuor sol. teneantur per dominũ, seu custodẽ (ut supra) soluẽ.

De pęna incidentium ramos ulmorum, & similium arborum, & oliuarum pro depascendis animalibus. Rub. XXXVIII.

ITEM ordinamus, q. si quis teneret aliquam bestiã cuiuscunq; generis, uel speciei ad pascendũ frondes ramorum, & pedũ ulmorum, quercuũ, & similium, necnon oliuarum in alienis possessionibus incisarũ, teneatur ad pęnã quinq; sol. pro qualibet bestia grossa, & pro minuta duorum sol. Declarãtes, q. casu, quo (absq; eo, q. inter dictos ramos retineret animalia ad pascendum) reperiatur aliquem incidisse dictos ramos, & ex dictis ramis sic incisis fecisse, & recolligisse frõdes, uel dictos ramos cũ frondibus in eis existẽtibus asportasse, ad effectum pascendi dicta animalia, uice qualibet praefatus sic contrafaciens puniatur in poena quadraginta solidorum irremissibiliter soluendorum.

De pœna aucupantium, & uenantium per blada, uel legumina, aut etiam lina aliena. Rub. XXXIX.

QVONIAM ab Aucupatoribus, & uenatoribus quamplurima damna inferri, uel dari in dictis bladis, leguminibus, & linis, maxime dum propè maturitatē sunt, compertum est, ideò statuimus, q nulli liceat à medio mēsis Aprilis quousq; fuerint blada secata, & lina, ac legumina euulsa, quoduis genus aucupii, & uenationis exercere intus dicta blada, legumina, & lina sata, maxime occasione capiēdi Qualeas, Perdices, Lepores, & huiusmodi, absq; uolūtate, & licentia domini, sub pœna quadraginta sol. pro quolibet, & uice qualibet. Liceat insuper domino incidere, deuastare, eleuare, & asportare quodcunque artificium causa uenandi, uel aucupandi paratū. Et qui uineam causa uenandi, uel aucupandi introierit à calendis Augusti usq; quò fuerint uineæ uindemiatę, incurrat pœnā unius floreni pro qualibet persona, & qualibet uice de facto, & sine diminutione soluēdi, aliis uerò temporibus gratia uenandi, & aucupandi unicuiq; liceat ire, & redire per possessiones, absq; tamen dãno: q si damnum dederint, debitis pęnis, sicut alii, coerceantur.

De pęna animaliū pascētiū subtus arbores oliuarū, uel quercuū, & nucū. Rub. XL.

ITEM ordinamus, q animalia porcina à calendis Septembris, & per totum dictum mensem non possint pascere, ire, uel stare subtus arbores nucū, pendentibus tamen fructibus, sub pœna uiginti sol. pro quolibet animali, & uice qualibet. Nec etiam pręfata animalia à calendis Septembris usq; ad mediū mensem Decembris possint quo quo modo pascere, ire, uel stare subtus arbores glandiferas, pendentibus, & existentibus in eis fructibus: pęna prędicta pro quolibet, & uice qualibet. Nec etiam boues, uaccę, oues, pecudes, uel capræ possint subtus dictas arbores glandiferas pascere, ut supra sub pęna pro quolibet boue, uel uaccha decem sol. & qualibet oue, uel capra sex sol. & uice qualibet. Nec minus pręfata omnia, & singula animalia, uel aliquod ipsorū pascere, ire, seu stare possint subtus arbores oliuarū à calendis Octobris per totum mensem Decembris, pendentibus tamen, & existētibus in eis fructibus, sub pęna pro quolibet animali porcino uigintiquinq; sol. & pro boue, uaccha, & uitulo maiori anno duodecim sol. & ab anno infra, in medietate, pro qualibet uerò pecude, seu oue, hyrco, capra, & ariete duodecim sol. pro qualibet uice.

De pęna nō habētiū oliuas in propriis possessionibus, & eas uēdentiū. Rub. XLI.

ITEM statuimus, q nullus non habens arbores oliuarum in eius possessionibus uēdens, asportans, uel in domo habens, uel retinens oliuas, puniatur pœna furti, prout in statuto de furtis; & in his possit procedi per inuentionem, inquisicionem, & accusationē, & per statutum superius sub rubr. de pęna asportantium fructus, & in domo habētium, cui non intelligatur in aliquo derogatum per hoc statutum. Addentes, in eandem pœnam incidere emptores dictarum oliuarum à dictis personis.

De non habendo sepem, seu fractam propè conuicinum ultra duos pedes ad pedem Communis. Rub. XLII.

SI Quis habuerit sepem, uel fractā propè, uel iuxtà suum conuicinū, debeat illam tenere altius ultra duos pedes Cōmunis, ne suo conuicino damnū aliquod inferat occasione dictę sepis, sub pęna centum sol. pro quolibet, & uice qualibet. Et si habens, uel tenens dictam sepem altius, q̄ dictum est, requisitus à suo cōuicino, uel post protestationem sibi factam infra tres dies dictam sepem non inciserit usque ad dictam mensuram, liceat conuicino propria auctoritate incidere, uel incidi facere usq; ad prędictā mensuram impunè,

De pœna

De pęna portantium, habentium, uel retinentium perticas pro circulis faciendis. Rub. XLIII.

INVENTVS deferre, tenere, uel habere, seu alicui dedisse perticas pro faciendis circulis, si requisitus minime docere potuerit habere in suis possessionibus, uel unde, seu à quo legitimè habuerit, pęna centum sol. plectatur. Et Officialis teneatur, ad querelã cuiuscunq; uel etiam ex officio procedere per inuentionem, accusam, uel denunciam.

De his, qui de damnis datis accusari possunt, & pro eis tenentur, & obligantur. Rub. XLIIII.

STATVIMVS, & ordinamus, q. pro damno dato in aliqua possessione accusari possit, & puniri damnum dans, non obstante q. damnum dans impubes sit maior decem annorum, & prædicti damnum dantes maiores decem annorum de damnis datis per eos, uel aliquem ipsorum personaliter teneantur, & obligentur, ac cõdemnati possint, dum tamen pubetes damnum dantes, uidelicet tam fœmina, q̃ masculus usq; ad decem annos inclusiuè media pœna ordinata per statuta Communis nostræ Terræ, qua maiores deberent puniri, puniantur, & cõdemnentur: ab inde uerò supra, ad totã pęnã teneantur. Si uerò damnũ darent cum bestiis, & animalibus teneãtur, & puniantur, tamq̃ maiores, ea pœna, qua maior pubes puniretur secundum formam statutorum. Et pro damnis datis, & condemnationibus de ipsis factis, seu faciendis teneatur, & obligetur pater pro filio, auus pro nepote, & cœteri ascendentes pro eorum descendentibus, quos in potestate habuerint in eadem domo, & familia commorantes, etiam si dicti descendentes damnum dantes minores fuerint decem annis: maritus pro uxore, frater pro frate simul ad communem uictum commorantes, & patrimonium indiuisum habentes: dominus, seu domina pro famulo seu famula, cuiuscunque fuerint ætatis damnum dantes cum bestiis, & animalibus ipsius domini. Si uerò famulus, uel famula alicuius damnum dederit, seu daret per se ipsum, uel ipsam sine bestiis, & animalibus domini, tunc, & eo casu dominus, uel domina eius pro ipsis duntaxat teneatur usque ad quantitatem eorum salarii & mercedis, si ullam recipere deberent pro tempore seruitutis, nisi dicti patroni, uel domini fuerint de dictis damnis per eorum famulos locupletati: quo casu teneãtur ipsi domini, uel patroni ad pœnam, & emendationem damni, quatenus fuissent locupletati & usq; ad utilitatem ipsorum dominorum inde prouenientem: nihilominus ipse famulus teneatur, & puniatur secundum formam statutorum. Vtrum autem famulus, uel famula tempore damni dati per eos debeant à patronis aliquid recipere, nec ne, stetur, & credatur sacramẽto dictorum patronorũ. Et si patroni eorum sacramento dicerent se ad aliquid non teneri dictis famulo, uel famulæ, tũc dominus, seu patronus pro dictis famulis maribus, & fœminis non teneatur ad aliquid pro ipsis soluendum, nisi contrarium appareat per legitimas probationes famulorum, uel damnum passorum.

De pœna facientis fraudolosam accusam, uel denunciam. Rub. XLV.

STATVIMVS, & ordinamus, q. nullus Officialis, seu quis alius, quocunque nomine censeatur, audeat, uel præsumat facere aliquam accusam, uel denunciam calumniosam, uel fallam, per se, uel per alium de aliquo damno dato. Et qui contrafecerit per se, uel per alium puniatur in libris decem den. uice qualibet, qua cõtrafecerit. Et qui se excusando, seu etiam accusando allegando dixerit, seu proposuerit accusam, seu denunciã falsam seu calumniosam esse, teneatur, & debeat tẽpore propositionis prædictę iurare ad Sacra Dei Euãgelia, se ad prædicta animo calumniæ nõ prosilire, sed illa uera esse & se posse probare: ac etiam infra decem dies à die propositę allegationis prędictę, seu accusationis

instituto teneatur, & debeat probasse, dictã accusam, seu denũciã falsam, seu calumniosam esse. Quod si non probauerit infra dictũ tempus condẽnetur in triplo eius, in quo denũciatus condemnandus esset uirtute accusationis, uel denunciæ de eo factę de damno dato, & insuper ad expensas in lite factas sacramẽto partis declarandas teneatur, & condemnetur. Intelligatur autẽ tunc quis falsò, seu calumniosè accusasse, uel denunciasse de damno dato, quando per accusatum, uel denunciatum cõtrarium clarè probaretur eius, quod in accusa, uel denuncia cõtineretur. Et idem obseruetur in omnibus, & per omnia in quocunque, qui falsò, uel calumniosè nominasset, uel indicasset damni datorem, seu alicuius animalia. Nec intelligatur falsò, uel calumniosè accusasse, uel denunciasse, si quis nominauerit, uel dixerit possessionem suam, & non esset, dumodo ad eum propter aliquod interesse ius competeret accusandi.

Quòd condemnationes damnorum datorum non cancellentur, nisi domino seu damnum passo satisfacto, uel concordato. Rub. XLVI.

OFFICIALIS Damnorum Datorum nullo modo possit, nec ualeat, seu debeat sententiam, uel condemnationem aliquam damnorum datorum cassare, uel annullare, nisi prius satisfacto, uel saltem concordato domino damnũ passo de emenda, & damno sibi illato. Quilibet autem contrafaciens incurrat pœnam decem librarum denariorũ, & nihilominus ad emendationem damni teneatur, & compellatur omnino.

Quòd Laboratores non ferant de fructibus sine uoluntate domini. Rub. XLVII.

NVLLVS Laboratorum de possessionibus alienis, quas ipsi colunt, ferat unas, uel alia poma, aut ligna, seu cannas, aut palos sine expressa licentia domini possessionis. Contrafaciens autem pro quolibet, & uice qualibet in uiginti solidis sine remissione puniatur, & damnum domino emendare teneatur.

Quòd non liceat laboratoribus, coptumatariis, seu aliis precio conductis incidere, nec asportare ramos oliuarum, & aliarum arborum, & cannarum, nec etiam conductis ad colligendum oliuas ad partem, uel ad putandum. Rub. XLVIII.

ITEM statuimus, & ordinamus q. nulla persona conducta precio ab aliqua alia persona, nec etiam laboratores, inquilini, & coptumatarii audeant, uel præsumant quouis tempore, maxime collectionis oliuarum, & putationis rompere, aut incidere pedes, & ramos arborum oliuarum, seu alio modo ipsas deuastare, aut sic deuastatas asportare, aut in loco consumere, & ardere, sub pœnis iam præfinitis in aliis statutis contra incidentes, deuastantes, & asportantes ligna huiusmodi irrogatis. Item pariter eorundem statutorũ pœnis puniantur incidentes, & asportantes alias arbores fructiferas, uel infructiferas, aut ramos dictarum arborum, & cannas uirides, seu siccas absque licentia dominorum, uel conductorum, ipsorum iuramento probanda.

De modo, & ordine giffandi. Rub. XLIX.

VOLENTES (quantum possumus) scandalis obuiare, & ut hi, qui ius pascendi emunt à Communitate, seu Gabellario, pascuis uti possint, hac nostra perpetuò ualitura lege sancimus, q. nemini habenti possessiones in territorio, & districtu dictæ Terræ liceat custodire giuffatas, nec custodiri, uel giuffari facere, nisi solùm, & dũtaxat modios tres pro quolibet boue aratorio, dumodo huiusmodi giuffatæ non excedant salmas

decem

decem in femine,cuiuscunq; numeri fuerint dicti bones. Pro qualibet uerò Mandria pecudum,nbi fuerint ones fœtosæ,modiolos uiginti. Pro aliis uerò ouibns non fœtosis modiolos decem : & unicuiq; bestias non habenti,usq; ad quantitatem decem modiolorum liceat giuffare. Habenti autem terras incultas,seu sodinas de quibus tamē impositiones, & collectas soluat Cōmunitati,liceat eas giuffare,& custodire à die decimaquinta mensis Martii,usq;,& per totum .xv. diem Maii,sub pœna decem scutorum pro quolibet contrafaciente,& ultra dictam quantitatem giuffante applicañ. pro dimidia Cōmunitati,pro altera uerò dimidia accusatori, & executori æquis portionibus. Qui nolentes giuffare teneantur,& debeant describi facere per Cancellarium Communitatis locum possessionis, & numerum modiolorum giuffandorum,& ulterius teneantur per immisionem cannarum designare,in qua parte agri dictas giuffaras facere intēdant, aliàs si prædicta non obseruauerint,nulla pœna in damnis datis in dictis terris giuffaris committatur. Volumus insuper, q; singulis annis per Concilium generale deputentur duo Ciues ad renidendum bona,possessiones,& res custoditas,giuffaras, &reguardatas ad usum animaliū,ut supra. Qui ciues habeant omnimodā auctoritatem, & facultatem inquirendi cōtra giuffantes, & reguardantes ultra supradictum numerum, illosq; excedentes in giuffando,& reguardando,cogendi,& compellendi ad relaxandum,& reducendum ad numerum, & quantitatem modiolorum suprascriptam ipsis concessam. Recusantes uerò, & renuentes reducta, & resecata per supradictos homines obseruare,eadem pœna decem scutorum, ut supra,puniantur.

De pęna cōducentium pecudes,sues,aut porcos, & capras intra cortinas. Rub. L.

ITEM ordinamus,quòd nullus de dicta Terra,uel habitans in ea,cuiuscunque conditionis existat, audeat, uel præsumat ad pascendum, etiam in locis, in quibus nullum damnum inferri posset,ducere pecudes,capras,& porcos, seu sues infra cortinas infrascriptas,uidelicet pecudes intra cortinas, quæ incipiunt à domo existente in possessione Bernardini Magistri Ambrosii in contrata Soglioli per directum usq; ad domum,seu Colūbariam D. Nicolai Briocti sitam in eius possessione in contrata Montis Matangoli,& inde per directum ad picturam hæredum Augustini Alexandri usq; ad uiam, quæ ducit ad Ciuitatem Firmi, & inde per directū usq; ad pratum Centii Simonis Bistrizzæ in contrata Salecti,& inde per directum usque ad caput agri hæredum Pauli de Sarnano, & inde in capite uinearum,ubi extat uia Communis,& inde per directum ad agrum de Coruia,qui est hæredum Boccolini de Mōte Sancti Martini, & inde per directum ad domū Baptistæ Magistri Christophori in contrata Chianarisii,& inde per lineam directam usque ad domum Bartholomęi Magistri Petri in contrata Marani, idest ubi sunt ulmeæ, & inde per directum ad Fornacem Nicolai Sr Augustini in contrata Sancti Ioannis, & inde descendendo usque ad domum hæredum Sr Permarini in contrata Sancti Ioannis, & inde per directum ad agrum Sancti Georgii, & inde ad fontem Plaggiarū, qui extat in uia Communis,ac inde per directum usque ad domū Cicchi Carneualis,protendendo per uiam continuè usque ad supradictā domum Bernardini Magistri Ambrosii. Porcos autem,seu sues,& capras nemo ducat intra cortinas infrascriptas,uidelicet quę incipiunt à Fonte murata Fluminis Aethę in contrata,quæ dicitur de Cerretino, à pede possessionis Bernardini Magistri Ambrosii per directū usq; ad domum hæredum Augustini Alexandri subtus uiā Castri Monturani,& inde per directū ad pontem à Sole, quando itur Firmum,& inde per directum usque ad domum illorum de Rosciis de Amādula,& inde ad domum Antonii Palumbi in contrata Castri Noni,& inde per directum usque ad pontem de Calenicchia,qui est in uia Molendini,& inde per directum ad domum hæredum Syluestri Beccarini in cōtrata Mastrinatum iuxta uiam Communis, & inde ad domum D.Angeli, quæ erat hæredum Marconi in pede Stabieſę, & per directum ad Sanctum

Syluestrum, & inde per directum usque ad domũ Pasqualis Bulgarucții, quæ dicitur La Palumbara in contrata Redaldi, & inde per directum ad domum Tosi in contrata Sassuni, & inde per directum ad domum Thomæ Mantelli in contrata Pagliari, & inde per directum ad fontem Petræ in contrata nuncupata della Morte, & inde per directum ad Fontem Cistinam, seu Iacobi Mantelli in capite contratæ, quæ dicitur La Patana, & inde per directum ad Pontem Sancti Matthęi, redeundo per Flumen Aethę continuè usq; ad Fontem supradictam in contrata Cerretini, prout dictũ est in confinibus, & cortinis pecudum, sub pœna conducenti pecudes unius floreni pro qualibet uice applicandi Communitati pro dimidia, & pro altera Officiali exequenti. Sues uerò, & capras conducens ut supra, incidat in pœnam unius Iulii pro qualibet capra, & quolibet porco, seu sue, & uice qualibet applicandi ut supra. Et Capræ pasculare possint usque in pede costæ uiæ, quæ dicitur Via Realis, quę protendit à mare usque ad Montana loca uersus Flumen Aethę.

Statutorum Ecclesiasticæ Terræ Sancti Elpidii Damnorum Datorum Liber Quintus fœliciter explicit.

IN DEI NOMINE. AMEN.

MVNICIPALIVM LEGVM, AC STATVTORVM

ECCLESIASTICAE TERRAE SANCTI ELPIDII

De Causis Appellationum Liber Sextus fœliciter incipit.

P R O OE M I V M.

CVM Vniuersitati, & Hominibus Terræ Sãcti Elpidii ab Apostolica fuerit Sede olim indultum, & concessum, ut posint perpetuò eligere, & cõstituere Iudicem in causis Appellationum, & nullitatum, tam super ciuilibus, & criminalibus causis, quàm etiam super aliis quibuscunque negociis, prout habetur in Bulla Apostolica super huiusmodi concesione expedita in forma consueta, cuius tenor infra sequitur, & est talis, uidelicet.

SIXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis Filiis Vniuersitati Hominum Terrę nostrę Sãcti Elpidii ad mare Firmanæ Diocesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Syncerę deuotionis affectus, què ad Nos, & Romanã geritis Ecclesiam, non indignè meretur, ut ea uobis fauorabiliter concedamus, quæ uestro prospero, & fœlici Regimini fore cognoscimus oportuna. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte uestra petitio continebat, q olim pro eo, quia non nulli incolæ Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, tam in ciuilibus, q̃ in criminalibus, & aliis negociis in iudicio, & extra aliquando ad finem differendi solutionẽ, eorum, quę debẽt aliquando ad finem euitandi condemnationem in criminalibus, uel iam factę condemnationis solutionem, seu negociorum ad communia Ciuitatum, Terrarum, & locorum dictę Prouinciæ pertinentium, expeditionem impediẽdi, aliosq; malos effectus, ad Curiam generalem dictę Prouincię appellare, ac aliàs appellationibus huiusmodi consueuerunt abuti, ad obuiandũ hoium malitiis, & subterfugiis, ex quibus uaria persępe scandala oriebantur, & occasio tribuebatur omnibus delinquendi sub spe per appellationes easdem, excessuum impunitatem, aut ad solutionem pœnę dilationem consequendi, seu causa, & negocio de qua agebatur ad Curiam generalem Prouinciæ pręfatæ deducta, Communitatem loci, cui pœna ueniebat applicanda, ad uotiuã compositionẽ super pœna huiusmodi inducendi, sicq; iustitia periclitabatur, & nonnunq̃ ex negligentia Syndicorum earundem Communitatum in causis, aut aliàs deficientium, non solùm criminosi absolutionẽ consequebantur, sed Cõitates ipsas in expensis condemnari obtinebant, & ex malefactis per eos premia reportabant, quo fiebat ut offensi impunitatem huiusmodi tolerare ęquo animo non ualentes se uindicare, & excedentes propriis manibus punire nitebantur, fuit ferè omnibus Ciuitatibus, & Terris maioribus, & mediocribus, ac nõ nullis ex minoribus dictæ Prouinciæ, Apostolica auctoritate concessum, ut proprios Iudices appellationum haberent, ad quos dũtaxat primo loco, & deindè ad dictam Curiam appellari deberet, & sic obseruatum est in dictis locis per longa tempora, postq̃ successiuè concesiones prædictæ factæ fuerunt, & in locis ipsis modo prædicto talium subterfugiis extitit obuiatũ. Cùm autem, sicut eadem petitio subiungebat, Terra nostra Sancti Elpidii ad mare dictæ Prouinciæ, quæ nõ inter minores, sed mediocres Terras eiusdem Prouincię in illius Con-

ftitutionibus computatur,fit admodum populosa & non folùm çqualis,fed etiam maioris reputationis, quàm fint nonnullæ aliæ Terrę, quibus diuerfimodè concefsiones huiufmodi factæ fuerunt,& ex appellationibus,quas incolæ dictæ Terræ noftræ ad prælatam Curiam interponunt,multa fcandala in dicta Terra fuccefferunt, & fuccedant omni die,nec pofsit illis commodius obuiari,quàm modo prędicto, pro parte ueftra nobis fuit humiliter fupplicatum,ut quòd de cętero in dicta Terra ueftra effe debeat Iudex appellationum,ad quem,quoties ab his, qui inibi,& eius territorio pro tempore fuerint,appellandum erit duntaxat,& non ad alium in ciuilibus, criminalibus,& aliis quibufcunq; negociis in iudicio,& extra appellari debeat,quódq; uos Iudicem ipfum,ac ftatuta officiũ eius concernentia ordinare debeatis, uobis concedere, aliasq; uobis opportunè prouidere de benignitate Apoftolica dignaremur. NOS igitur ueftris huiufmodi fupplicationibus inclinati uobis,q. de cętero in dicta Terra ad inftar uicinorum locorum effe debeat perpetuis futuris temporibus Iudex appellationum,ad quem, quoties ab his,qui inibi,& eius territorio pro tempore fuerint,appellandum erit duntaxar,& non ad alium in ciuilibus,criminalibus,& aliis negociis in iudicio, & extra appellari debeat, quódq; uos Iudicem ipfum hac prima uice,& toties,quoties opus fuerit, ftatuta officium eius concernentia conftituere,& ordinare alicuius licentia,& auctoritate fuper hoc minime requifitis liberè,& licitè pofsitis,& debeatis,auctoritate Apoftolica pręfentium tenore concedimus. Decernentes ex nunc,quafcunq; appellationes,quas ad alium,q̃ per uos ordinandum,Iudicem prædictum interponi contigerit, necnon quicquid fecus fuper his à quoq̃ quauis auctoritate,fcienter,uel ignoranter contigerit attentari,nullius effe roboris, uel momenti: non obftantibus Apoftolicis,ac dictæ Prouinciæ Conftitutionibus, & ordinationibus,cęterifq; contrariis quibufcunq;. Volumus autem, q. hi, qui ab eodem Iudice per uos ordinando qualitercúq; fenferint pro tempore fe grauatos,in cafibus,in quibus aliàs eis appellare licet,pofsint,& ualeant ad Iudicem appellationum Curiæ præfatæ generalis, cùm uoluerint,liberè appellare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftræ concefsionis,& uoluntatis infringere, uel ei aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prǽfumpferit,indignationem omnipotentis Dei,ac Beatorũ Petri, & Pauli Apoftolorum eius fe nouerit incurfurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Millefsimo Quatringentefimo Septuagefimo primo, Quinto Idus Septembris. Pontificatus Noftri Anno Primo.

B. Io. Amerinus.
A. Guidiffa'us.
A. De Monte.
L. Dathus.
Io. De Tartarinis.

Omiffo Sigillo plumbeo pendente cum cordulis rubeis,& flauis, in quo infcriptus eft titulus, SIXTUS PAPA QUARTUS.

Reg.ta. apud me L. Grifum.

SUCCESSIVE Vigore,& uirtute Bullæ præfcriptæ ex originali fumptę, fideliter,& hic infertæ,hæc, quæ fequuntur, Statuta, & Decreta in Caufis Appellationum huiufmodi perpetuò obferuanda in hac Terra,ædita,& canonicè fancita fuerunt.

De APPELLATIONIBVS. Rub. I.

APPELLANDI Vsus quàm sit frequens, quàmq; necessarius, nemo est, qui nesciat: quippe cùm iniquitatem iudicantium, uel imperitiam corrigat, licet nonnunquam bene latas sententias in peius reformet. Ideò statuimus, & præsenti Lege perpetuò ualitura sancimus, Iudicem Appellationum huius nostræ Terræ habere omnimodam facultatem, auctoritatem, & potestatem audiendi, cognoscendi, & fine debito terminandi omnes, & singulas causas Appellationum, nullitatum, in integrum restitutionum, & reductionum ad arbitriũ boni uiri ad eum deuolutas ob læsionem, quam quisque Ciuis, incola habitator, uel penitus alienigena prætenderet quomodolibet illatam uirtute quarumcunq; sententiarum diffinitiuarum, seu interlocutoriarum à Rectore, Iudice, Socio milite, uel aliis quibuscunq; Officialibus pro tempore iurisdictionẽ in hac nostra Terra exercentibus, & etiam uirtute laudorum, seu arbitramentorum ab arbitris, seu arbitratoribus electis, tam uirtute præsentium statutorum, quàm etiam de communi partium consensu, & uoluntate, tam in ciuilibus, quàm etiam in criminalibus, seu mixtis, licentiam concedentes unicuique Ciui, incolæ, habitatori, uel alienigenæ, quotiescunque se læsos esse senserint, appellandi, de nullitate dicendi, in integrum restitutionem, reductionemq; ad arbitrium boni uiri petendi, ac eius officium implorandi; dumodo coràm præfato Iudice appellationum à nostra Communitate deputato, seu deputando remedia sibi competentia mõstret, & coràm eo causas præfatas agitet. Si quis autem à sententiis diffinitiuis, seu interloquutoriis, siue à laudis, & arbitramentis (ut supra) à nostris Iudicibus, & particularibus personis prolatis, contra formam nostrorum Priuilegiorum, seu Indultorum, coràm quocunque alio Iudice appellare præsumpserit, pœna uigintiquinque librarum denariorum de facto exigendarum, & nostræ Communitati applicãdarum omnino mulctetur, & puniatur, & nihilominus Mag. DD. Priores pro tempore existentes omni cura, diligentia, & sollicitudine utantur, ut causæ prædictæ ad Iudicem nostrum appellationum remittantur cognoscendæ, & diffiniendæ, prout sibi iustum, & æquum uisum fuerit.

De Appellatione uiua uoce facta. Rub. II.

CVM tempus quandoque, & locus in scriptis appellari coràm Iudice ad quem, uel Iudice à quo nõ patiatur, propterea ordinamus, unicuiq; de dicta Terra, uel aliũde, ue in præcedenti statuto putanti, uel sentiẽti se indebitè læsum ab aliquibus Officialibus, licere appellare, & appellationem interponere uiua uoce, sine aliqua scriptura; quæ appellatio probari possit etiam per testes, nec in ea requiratur de necessitate aliqua petitio apostolorũ, & perinde teneat, & ualeat, ac si in scriptis interposita foret, & causæ legitimæ eius, ac pariter nullitatum, & recursus insertæ, ueluti si essent apostoli legitimè petiti.

Quomodo procedatur in causis Appellationum. Rub. III.

VNVSQVISQVE Appellans ab aliquo grauamine, siue interlocutoriæ, siue præcepitiante sententiæ diffinitiuæ prolationẽ, uel post, uel à quocunq; alio actu, præter q̃ à diffinitiua mera, in iudicio, uel extra, tam in ciuili, q̃ criminali illato, uel inferri comminato, à Rectore, Iudice, seu Officialibus quibuscunque iurisdictionem, uel ius aliquod in hac nostra Terra habentibus, uel à quibuscunq; arbitris seu arbitratoribus, & de nullitate agens, uel petens reductionem ad arbitrium boni uiri, aut in integrum restitutionem coràm Iudice appellationum, & eius Curia infra quatuor dies à die interpositæ appellationis, uel nullitatis dictionis, aut petitionis reductionis ad arbitrium boni uiri,

uel restitutionis in integrũ computandos appellationis causam prosequi teneatur. & debeat, faciens citari partem appellatam, ut in dicto termino compareat: & ipse appellans, uel causam agens teneatur, & debeat se, dicto termino durante, coram dicto Iudice præsentare. In causis uerò appellationum, prouocationum, nullitatum, aut reductionum ad arbitrium boni uiri, & restitutionum in integrum à diffinitiua sententia, seu laudis, & arbitramentis ad præfatum Iudicem quomodolibet deuolutis, seu deuoluendis appellans infra sex dies continuos à die interpositę appellationis computandos dictam appellationis, & nullitatis causam prosequi teneatur, & debeat, & ita se diligẽter, & accuratè gerere, q́ pars aduersa in iudicio uocetur: & ipse omnino se coràm Iudice appellationis pręsentare, dicto durante tempore, teneatur. In omnibus autẽ, & singulis causis supradictis procedatur. & procedi debeat sine libello, litis contestatione, iuramento de calumnia, & aliis solennitatibus, & ordinibus iuris, & iudiciorum pęnitus reiectis. sed solùm uisa comparitione, & (ubi opus esset) personæ legitimentur, & successiuè detur terminus octo dierum continuorum, aut maior, uel minor, Iudicis arbitrio, secundum exigentiam facti utrique parti ad iustificandum, & impugnandum, tam per testes, quàm per instrumenta, & per omne genus probationum quomodolibet competentium, & ad probatum habendum: quo termino elapso, seu transacto, detur terminus ad accipiendum copiam de productis, & pr[…]atis, arbitrio Iudicis, si quę producta fuerint, & probata, & ad opponendum, & probandum, & probatum habendum contra ea utrique parti, & demum terminus arbitrio Iudicis cõstituatur ad allegandum: quo elapso, Iudex causam quanto citius fieri poterit, expediat, primam sententiam, laudum, & arbitramentum in totum, uel in partẽ approbando, uel confirmando, seu aliter, prout sibi iustum, & ęquũ esse uidebitur. Addentes, q́ si Iudex appellationum in supradictis causis, uel aliqua ipsarum de iure dubitauerit, tunc pro libito suæ uoluntatis possit, & ualeat sumptibus: & expensis ambarũ partium dubia secretè transmittere ad consilium sapientis partibus non suspecti, & secundum eius consiliũ decidere teneatur, & terminare quanto citius poterit.

Quanto tempore instantia Appellationum duret. Rub. IIII.

PRO celeri expeditione Causarum Appellationum, statuimus, & ordinamus, q́ Iudex causas appellationis, nullitatis, reductionis ad arbitrium boni uiri, restitutionis in integrum, aduersario contumace, uel non contumace, ad instantiam appellantis omnino expedire teneatur antequam infrascripta fatalia labantur. uidelicet si causa est ciuilis, tam ab interlocutoria, uel alio grauamine q̃ diffinitiua sententia, infra quadraginta dies continuos, exceptis feriis repẽtinis messium, & uindemiarum, ac diebus festiuis Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI cum quatuor diebus præcedentibus, & omnibus subsequentibus usque ad Epiphaniam inclusiue, & diebus Paschatis Resurrectionis eiusdẽ D. N. IESV CHRISTI cum septem præcedentibus, & septem subsequentibus. Si uerò causa esset criminalis, infra unum mensem continuum, non computatis dictis feriis, expediatur. Quæ tempora currere incipiant à die appellationis querelæ, nullitatis, petitionis, reductionis ad arbitrium boni uiri, uel restitutionis in integrum: quibus temporibus elapsis, causa appellationis, & ipsa appellatio omninò deserta intelligatur ipso iure, etiam sine alia Iudicis declaratione. Possit tamen Iudex quandocunq; declarare causam desertam, & condemnare deserentem in expensis. Et prædictis temporibus elapsis, Iudex, à quo appellatum fuerit, possit, & debeat procedere, ac si nunquam appellatum extitisset, & exequutioni demandare. etiam q́ nulla fides de desertione facta fuerit per Iudicem ad quem. Addentes, q́ quilibet appellans in scriptis causam iniquitatis, & nullitatis in appellatione deducere, & intentare possit, debeat, & teneatur. Et q́ simul & semel agitari debeat, & per Iudicem diffiniri, & etiam cum appellatione simul, & nullitate intentari possit, & peti restitutio in integrum, & reductio ad arbitrium boni uiri, nisi competat aduersus actum,

sus actum,

sus actum, à quo appellatur, uel restitutio in integrum, uel reductio ad arbitrium boni uiri petatur. Et singuli termini ordinati in causis appellationum, quo ad eorum progressum, siue finem, seu quo ad modum, & ordinem procedendi, intelligantur similiter ordinati in causis nullitatis, reductionis ad arbitrium boni uiri, & in integrum restitutionis, ita q. eis elapsis, omnis uia agendi de nullitate, omnis reclamatio, prouocatio, reductio ad arbitrium boni uiri, & restitutio in integrum, & appellandi aditus auctoritate præsentis statuti sit præclusus, & interdictus. Nec per hoc nostrum statutum dispositioni iuris communis quo quo pacto derogare intendimus quo ad tempus dicendi de nullitate, uel petendi restitutionem in integrum, uel reductionem ad arbitrium boni uiri, nec aliquid de nouo inducere, nisi unà cum appellatione deductum fuerit, ac super illis cognitum, & decisum fuerit.

De forma renunciañ. appellationi. Rub. V.

VT uiolentiæ, & fraudibus Officialium obuietur, statuimus, neminem posse appellationi renunciare, nisi coràm Iudice appellationum nostræ Terræ, Aliter autem facta renunciatio sit nulla, irrita, & inanis ipso iure, etiam si esset iuramento uallata; & intelligatur per uim, & metum extorta, ac dolo, & fraude Iudicis à quo, & partis aduersæ, neque sit obligatoria: quibuscunq; clausulis, & sub quauis forma, & conceptione uerborum in dicta renunciatione appositis non obstantibus.

Quòd Officiales dictæ Terræ teneantur infra terminum curare, ut acta exhibeantur. Rub. VI.

APPELLANS quilibet omni diligentia, & cura requirat Iudicem ad quem, ut mádet Rectori, uel Iudici, siue alijs Officialibus, à quibus esset appellatum, per suas literas, q. infra terminum à dicto dicto Iudice appellationum statuendum edere debeat omnia acta quomodolibet coram eo facta, cum sententia, & condénatione inde sequuta, integra, & illæsa; quo termino elapso, si non fuerint exhibita, iterum requiratur Officialis à quo, ut infra alium terminum arbitrio Iudicis decernendum omnino acta prædicta, & sententiam exhibere debeat; quibus terminis elapsis, Iudex appellationum teneatur, & obligatus sit, parte appellante, instante, seu requirente, declarare sententiam, & processum nullum: & nihilominus Officialis à quo, ob suam negligentiam, & inobedientiam, uel missionem in non edendo acta prædicta, & condemnationem, à qua fuit appellatum, omne damnum, & interesse de suo proprio Communi, seu particulari personæ reficere teneatur. Exhibitis uerò actis, debito tempore procedatur per dictum Iudicem appellationis secundum formam præsentis statuti in causa, prout iuris fuerit.

Quòd Rector, & alii Officiales deferant appellationi. Rub. VII.

RECTOR, uel Iudex, uel quiuis alius Officialis Terræ nostræ Sancti Elpidii, ubicunque ab eorum interlocutoria, seu diffinitiua, uel quouis alio modo quisquam se læsum dixerit & uiua uoce, uel in scriptis appellauerit ad nostrum Iudicem appellationis, teneatur, & debeat omnino appellationi deferre, nec ullo modo dictum appellántem, eius bona, uel fideiussores directè, uel indirectè dicta de causa molestare audeat, uel præsumat, nullamq; noxiam, seu nouitatem facere, dicta appellatione interposita. Si quis autẽ tantæ fuerit audaciæ, uel temeritatis, q. huic nostræ Legi contra ire præsumpserit, incidat in pœnam quinquaginta librarum denariorum de ipsius contrafacientis salario retinendarum, & damnum parti appellanti reficere teneatur, & debeat; non obstantibus quibuscunque. Si uerò esset appellatum à sententia continente pœnam personalem, uel amissio-

tem membri, Officialis non deferens pœnam mille librarum denariorum incurrat ipso iure, nec aliqua exceptione se tueri posit.

Quod Iudex appellationum dictę Terrę teneatur, & debeat per suum Notarium registrari facere omnia, & singula acta, & instrumenta. Rub. VIII.

IVDICEM Appellationum uolumus, & mandamus teneri uti omni diligentia, & cura, ut ipsius Notarius describat omnia, & singula coràm eo exhibita per quoscúque appellantes, & de his dare copiam partibus petentibus, & quorum interest, sub pœna uigintiquinque librarum denariorum de salario dicti Iudicis retinendarum, & Communi applicandarum, & decem librarum denariorum de proprio dicti Notarii huic nostro statuto contrauenientis: recepta tamen competenti mercede à dicto Notario de copiis dádis secundum formam, & modum nostrorum statutorum.

Ex quibus causis sententia annullari non posit. Rub. VIIII.

CVM propter frequentem Notariorum mutationem, & Officialium in causis appellationum deputatorum, & eorum negligentiam, uel culpam acta sępissime amittantur, & quæ reperiuntur, propter aliquod superueniens inualida efficiuntur, & quando que abolentur, ita q. legi minime possunt, uel dilacerata existunt in totum, uel in partem, propter quod Commune, uel etiam particulares personæ damnum pati possent: ideò statuimus, & ordinamus, q. quælibet sententia, tam condemnatoria, q̃ absolutoria in Archiuio publico reperta cum aliis sentẽtiis, uel quæ inde sumpta esset, & in publicam formam redacta post annum à die sentẽtię latę annullari, uel infringi minime posit ratione actorum amissorum, uel abolitorum, seu dilaceratorum, quinimo præsumatur legitimũ processum præcessisse, & omnes solennitates interuenisse, & perinde ualeat, & teneat, ac si de processu legitimè constaret, & appareret, nec ullo modo posit post dictũ decursum tempus de nullitate dici, uel proponi, seu excipi, sed omnis uia reclamandi, & de nullitate dicendi occasione præmissa sit pœnitus prohibita, præclusa, & interdicta, & talis sententia plenam faciat fidem, & exequutioni demandetur, ac si omnes solennitates, & substantialitates, ordinesq; iuris, & statutorum dictæ Terræ interuenissent. Addentes, q. sententia criminalis lata in appellationum causis non posit, nec ualeat ullo pacto infringi, seu annullari, uel in nihilum reduci ratione solennitatis, & substantialitatis, ac ordinis iudiciarii omissi, sed perindè ualeat & teneat, ac si omnes solennitates, & substãtialitates iuris, & statutorum (ut supra) requisitæ pręcessissent, dumodo sit seruata forma in pręcedentibus tradita per statuta dictæ Terræ.

Quibus diebus, & temporibus termini, & tempora non currant in causis appellationum. Rub. X.

TEMPORA, & terminos appellationum nolumus currere, sed ipsas causas in eodem statu manere, si Iudex appellationum aliquo tempore esset absẽs uel infirmus, uel ob aliquam euidentem necessitatem impeditus, uel officium uacaret: item omnibus diebus, de quibus per Iudicem in causa de uoluntate partium terminos & tempora non currere pronunciaretur, uel quoties ipsius causæ Iudex propter contumaciam, uel inobedientiam alterius partium pronunciauerit parti aduersæ tempora, seu terminos in causa prædicta non currere: quo casu illi parti, pro qua per dictum Iudicem pronũciatum est, tempora nec termini currant. Nec similiter currant tempora feriarum messium & uindemiarum, & repentinarũ, & dierum festiuitatũ Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI cum quatuor præcedentibus, & omnibus subsequentibus usque ad Epiphaniam inclusiuè

inclusiuè, & Paschatis Resurrectionis eiusdem D. N. IESV CHRISTI cum septem præcedentibus, & septem sequentibus, & festiuitatum Diui Elpidii de mensibus Maii, & Nouembris. Alia uerò tempora uolumus esse iuridica, & continua.

Quòd appellantibus non currat aliquis terminus ordinatus per statutum ad soluendum. Rub. XI.

DISPONIMVS, quod pendente causa appellationis in criminalibus, aliquis terminus datus per statutum alicui nostræ Terræ ad soluẽdum nullatenus currat, imò in eodem statu remaneat, in quo erat tempore appellationis interpositæ: & causa appellationis finita, tempora currere incipiant.

Quòd Appellatione pendente, nil innouetur. Rub. XII.

NEMO audeat, uel præsumat dare aliquod impedimentum appellare uolenti, seu appellatione pẽdente directè, uel indirectè, occultè, uel palàm, nec ullam nouitatem facere, sed causa ipsa, super qua fuit appellatum, sit, & esse debeat in eo statu, in quo erat tẽpore appellationis usque ad diffinitiuam sententiam, sub pœna quinquaginta librarum denariorum Officiali de suo salario retinendarum per Depositarium Communis. Si uerò pars appellata, uel alius quicunque innouauerit, uel impedimentum fecerit contra appellantem, uel quo quo modo impedierit, ut causam appellationis prosequi non possit, eadem pœna puniatur, & Communi præfato applicetur: non obstantibus quibuscunque.

In quibus causis liceat appellare, uel non. Rub. XIII.

QVIA, iure attestante, fraus, & dolus nemini debent patrocinari, sed ipsis potius (in quantum possibile est) obuiãdum est, ideò statuimus, quod nullus in notoriis per facti euidentiã, nullusque in iudicio sponte confessus, conuictus, nec aliquis manifestè contumax, nemo etiam in causa momentaneæ possessionis, nec à syndicatu aliquo, nec ab aliquo præcepto, uel processu, seu exequutione prætextu fortificationis, seu reparationis, uel custodiæ diurnæ, uel nocturnæ, seu occasione alicuius impositionis collectarum, taleatũ, subsidiorum, uel aliorum onerum realium, uel personalium per Communitatem dictæ Terræ impositorum, uel imponendorum, nec etiam ab interloquutoria, seu læsione in iudicio, uel extra latam ante diffinitiuam sententiam per quemcunque Officialem in dicta Terra, nec ab aliqua exequutione, quę fieret in ciuili causa uirtute alicuius instrumẽti, pręcepti, uel scripturæ manu propria debitoris confectæ, nisi per talem interloquutoriam, siue actum tale grauamen, seu lęsio inferretur, quod non posset per appellationem à sententia diffinitiua corrigi, uel reparari. Quæ omnia grauamina, uel læsiones modeterentur, & corrigantur, seu reparentur per appellationem à diffinitiua. In quibus quidem casibus Officialis à quo non teneatur deferre, & Iudex ad quem non teneatur admittere.

Quòd uictus uictori in expensis cõdemnetur in causis appellationũ. Rub. XIIII.

VT temerè appellantium improbitas coerceatur, statuimus, & ordinamus, quod Iudex, qui de appellatione cognoscit, teneatur, & debeat uictum uictori in expensis legitimis condemnare, & ipsas taxare, & moderari, citatione præcedente, infra decem dies à die latæ sententiæ computandos: & Iudex, corãm quo peteretur exequutio talis sentẽtiæ, uel expensarũ, teneatur, & debeat, omni appellatione, & exceptione remotis, de facto, sine strepitu, & figura iudicii cogere partem condemnatam ad restitutionem dictarum expensarum: non obstantibus quibuscunque.

De salario Iudicis appellationum. Rub. XIIII.

STATVIMVS, & ordinamus, q. in qualibet causa appellationis interponendæ coràm Iudice appellationum Terrę nostrę Sancti Elpidii idem Iudex appellationum consequi debeat,& possit pro sua mercede,tempore quo datus terminus ad allegandum in causa,à qualibet parte denarios sex pro qualibet libra quantitatis,super qua causa uerteretur,uel occasione rei,super qua appellatum esset, uel quantitatis condemnationis. Et Commune nostrum aliquid soluere dicto Iudici pro onerario minime teneatur. Prædictum autem salarium à partibus soluendum non excedat summam, & quantitatem unius floreni monetæ à qualibet parte; cui idem Iudex omnino acquiescere teneatur,& debeat,sub pœna uigintiquinque librarum denariorum de eius salario retinendarum,si cōtrafecerit quo quo modo in prædictis,uel aliquo prædictorum.

Statutorum Ecclesiasticæ Terræ Sancti Elpidii de Causis Appellationum, & Nullitatum Liber Sextus fœliciter explicit.

IN DEI NOMINE· AMEN·

MVNICIPALIVM LEGVM, AC STATVTORVM

ECCLESIASTICAE TERRAE SANCTI ELPIDII

De Vectigalibus, seu Gabellis Liber Septimus feliciter incipit.

De officio, & iurisdictione Publicanorum, seu Conductorum Gabellarum Terræ Sancti Elpidii. Rubrica. I.

STATVIMVS, & ordinamus, cuilibet Conductori, seu Officiali posito ad Gabellam Communis exigẽdam licere omnes, & singulos soluere debentes aliquam Gabellam cuiuscunque rei cogere, & compellere, ipsosq; pro exactione dictæ Gabellæ grauare realiter, & personaliter, usque quo dicta Gabella debita per eos fuerit integraliter, & cum effectu persoluta, prout, & sicut eis uidebitur, & placebit fore necesse, & oportunum, liberè, & impunè. Possitq; circa prædicta procedere sine strepitu, & figura iudicii, iuris ordine seruato, uel non seruato, sola facti ueritate inspecta, & per inditia, & informationes sufficientes, arbitrio nostri Rectoris, cõtra quoscunque fraudantes Gabellam prędictam, dumodo formam prę̃sentium statutorum non excedat. Et quilibet possit accusare, & denunciare prędictam Gabellam defraudantes, & habeat quartam partem pœnæ, & teneatur secretus. Quam quartam habeat de ea pœna, quam Iudex, siue Rector fecerit in Commune uenire. Et Mag. DD. Priores pro tempore existentes omni cura, & diligentia utantur, ne dicti Gabellarum prouentus inutiles fiant, eo q; nonnulli indebitè onera subire recusant; pro quorum defensione, & manutentione de ę̃re publico omnimodam habeant facultatem erogandi, dumodo euidentissimè constet, pro defensione iurium dicti Communis id fecisse, & erogasse. Et si eorum negligentia, uel culpa iura Communis læderentur, in futurum omni officio, & beneficio nostri Communis priuari debeant. Liceatq; dictis Conductoribus perquirere, & inuestigare Capsas, Valisia, Ballas, uel alias quascunque res, & contra fraudantes dictam Gabellam, uel non permittentes se scrutari procedere simpliciter, & sola facti ueritate inspecta, sub pœna decem librarum denariorum non permittenti res suas rimari, uel scrutari.

De modo, & ordine uendendi, & locandi Gabellas, & prouentus Communis. Rub. II.

HAC præsenti Lege inuiolabiliter obseruanda decernimus, q; omnia, & singula pedagia, Gabellæ, prouentus, ac introitus publici nostri Communis uendi, alienari, seu quomodolibet locari nullatenus possint, nisi prę̃cedentibus publicis bandimentis diuersis, & interpellatis diebus, hortantibus quoslibet ad plus offerendum dictis prouentibus, ut introitus nostri Communis augeãtur. Factis autem, & acceptis oblationibus, à Mag. DD. Prioribus pro tempore existentibus congregetur Concilium generale, & ibi dictæ oblationes referantur, & denuò ad incantum ponantur, & illis, qui ultimo loco plus obtulerint, uendãtur, & omnino locentur. Quę oblationes nullatenus à Mag. DD. Prioribus accipiantur, nisi dicti offerentes in continenti fideiussores idoneos, & exigibiles præstiterint. Et si minus idoneos acceperint, (ne nostrum Commune detrimentũ aliquod patiatur ex culpa, & negligentia prædictorum Mag. DD. Priorum, & Cãcellarii) ipsi omnino

teneantur,& obligati de eorum proprio intelligantur,nec aliter dicta alienatio, uenditio, seu locatio à dicto Concilio approbari possit,nisi seruato ordine suprascripto. Volumus autem, quod anteq in locandis huiusmodi prouentibus suffragia reddantur, iuramentum à Cancellario cuilibet uota reddenti deferatur,quod non fraude,dolo,odio,amore, timore, seu alia irrationabili causa suffragia reddet,sed tantum ad publicam utilitatem. Quibus solēnitatibus,& ordinibus,ut supra seruatis,Mag.DD.Priores instrumēta prędictis plus offerentibus facere teneantur cum capitulis,& pactis inter eos conuentis,& hactenus in dictis instrumentis apponi solitis,& specialiter,& expressè quod emptores, seu cōductores prędicti quouis quæsito colore,causa,seu ratione nullatenus possint, nec ualeant petere per uiam gratiæ,seu iustitiæ aliquam remissionem,seu dilationem ad soluendum, imò teneantur,& debeant soluere precium conuentum de sextaria in sextariam,uel aliter, prout conuentū fuerit,in pecunia numerata.Et si debito tempore nō satisfecerint,Mag.DD.Priores,& Camerarius,seu Depositarius Communis possint,& debeant illam quantitatē sub fœnore accipere,& nihilominus ad omne interesse,quod propter retardatam solutionem Commune incurrerit, teneantur,ne ob illorum moram Communitas damnum aliquod patiatur. Et Rector,seu eius Curia possit realiter, & personaliter,tam principalem, q̄ fideiussorem eodem cōtextu cogere,& retinere,nulla excusatione pręcedente,donec satisfecerint de summa principali,expensis,& damnis quomodolibet ob dictam moram à Cōmune passis,& in posterum ad dicta officia nullatenus admittantur. Et DD.Priores pręmissa omnia,& singula summo studio,& diligentia executioni demandare curent,pariter & Rector noster, & eius Officiales,sub pœna uigintiquinq; librarum den.pro quolibet, & uice qualibet. Et in eandem pœnam incurrant prædicti Mag.DD.Priores,& Cancellarius,si ipsi,uel ipsorum aliqui offerunt dictis prouentibus,seu cum offerentibus participarent tempore oblationis,uel postea quandocunq;, quæ pœna de facto ab eis exigatur, & nostro Communi applicetur. Et quicunq; cum Communitate pręfata litigauerit occasione pręmissa,uel aliter solutionem precij conuenti euitauerit, uel aliter subterfugerit,nō possit in futurū modo aliquo dictos prouentus conducere per se,uel aliū, uel etiā eisdem offerre,sub pęna centū librarū deñ pro.quolibet cōtrafaciente Cōmuni nostro applicāda.

De non admittendo aliquem in socium Gabellarum,seu prouentuum Communis. Rub. III.

PRAESENTI Statuto ordinamus,quod nullus Conductorum, seu Emptorū Gabellarum præsumat deputare, recipere, seu admittere quouis quæsito colore directè, uel indirectè aliquem in socium sine expressa licentia Mag.DD.Priorum unà cum Concilio generali. Et qui cōtrafecerit,tam receptans,& admittens,q̄ in socium assumptus puniatur in centum libris denariorum de facto, & sine diminutione exigendis, & nihilominus dictum officium aliquo pacto, uel sub quouis quæsito colore exercere non possit.

De Gabella extractionis rerum à Terra,& territorio. Rub. IIII.

STATVIMVS, quod quicunq;, etiam habitator nostræ Terræ solens extrahere de dicta Terra,& eius territorio aliquam mercātiam,tam animaliū, q̄ aliarum rerū causa ipsam uendendi,seu mercandi,ac etiā ligna,teneatur soluere Gabellario Cōmunis pro singulo floreno bonon.duos. Et si eam integraliter uendere nō potuerit, teneatur soluere gabellam pro ea parte,quam uendiderit. Et (ne fraus in prędictis cōmittatur) illicò in suo reditu, anteq̄ disonerauerit dictā mercantiā remanētem, uel ad domū suam redierit dictus extrahens,debeat residuum mercantiæ notificare Gabellario, alioquin soluere totā gabellam teneatur de tota mercantia extracta. Et quicunq; terrigena, uel forensis, uel in dicta Terra habitans uendiderit genus aliquod mercium alicui,qui extraxerit merces de dicta Terra,uel eius territorio,teneatur ipse soluere gabellam Gabellario,& non emens; pacto aliquo inter eos conuento nō obstante,sub pęna quadrupli dictę gabellę. Et Gabellarius

pro rebus

pro rebus supradictis, quę extraherentur, uel mitterentur nomine nostri Communis, nihil recipere, uel percipere possit. Item q. nullus forensis, qui nihil possideat de bonis stabilibus in Terra, & territorio supradicto, possit, & ualeat retinere in dicta Terra, & eius territorio genus aliquod animalium per terram conductorum, nisi transeundo per triduum tantum, quo elapso, si ulterius retinuerit, uolens postea extrahere, gabellam pro toto tempore integram persoluere teneatur, & debeat. Vnicuique autem de dicta Terra, & habitanti in eadem liceat animalia cuiuscunque generis, quæ per terram tantùm conduxerit, & immiserit, tenere, & pascere in dicta Terra, eiusq; territorio, & districtu, & ipsa extra Terram, prædictumq; territorium infra decem dies extrahere absque solutione aliqua gabellarum, aliàs dicto termino elapso, teneatur quandocunque extraxerit, ad prędictam gabellę solutionem; exceptis tamen animalibus conductis per forenses ad dictam Terram pro triturãdo blado, & pro pistrino, & ad arandũ, quę pro precio dietim conducuntur, & exceptis bestiis à salmis: in quibus casibus dicta animalia extrahẽtes quandocunq;, & extrahere uolentes ad aliquam solutionem gabellæ non teneantur. Item q. si quis conduceret ad dictam Terram aliquas merces per terram causa uendendi, & mercandi in dicta Terra, teneatur, & debeat dictas eius merces infra tres dies à die conductionis notificare Gabellario per Commune deputato; & tali conducenti, & notificanti ut supra, si uoluerit, liceat absq; aliqua solutione gabellę tales merces infra terminũ unius mensis à die conductionis computandi extrahere, alioquin elapso dicto mense, uolens extrahere teneatur soluere gabellam: & pari modo si non notificauerit (ut supra) Gabellario infra tres dies, teneatur soluere solidum unum pro qualibet libra deñ. iuxta extimationem dictarũ mercium. Liceat etiam unicuiq; forensi habitanti in dicta Terra, seu in posterum uenienti ad habitandum suas massaritias, seu suppellectilia, ac animalia quęcunq; pro substentatione suæ familiæ conducta extrahere de dicta Terra, eiusq; territorio absq; solutione gabellæ. Item quicunq; de nostra Terra, uel in ea habitans extraxerit de ea, & eius territorio, & uẽdiderit, seu modo aliquo permutauerit aliquam bestiam extra dictã Terram, cum hominibus tamen dictæ Terrę, uel in ea, seu eius territorio habitantibus, & dictam bestiam ad prędictam Terram, & eius territorium reconduxerit uel causa reconducendi, uel retinendi, non teneatur ad solutionem prædictæ gabellæ. Item statuimus, q. quicunque ferret res, seu merces per mare, & eas exoneraret in Littore, seu Splaggia Maris dictæ Terræ, & eas uẽderet, alienaret, uel permutaret cũ hominibus dictę Terrę, & habitantibus in ea, aut forensibus, qui in territorio dictę Terrę emerent, teneatur dominus dictarũ merciũ soluere gabellã pro quantitate uendita, & quod sibi de dictis mercibus ita cõductis, & exonera tis (ut supra) reliquum fuerit, extrahere, ac reportare per mare absq; solutione alicuius gabellę possit, & ualeat. Quòd si per terrã extraheret, teneatur ad solutionẽ iuxtã formã statutorũ dictæ Terrę: & de quantitate uendita credatur iuramento emptoris. Itẽ q. si quis terrigena, uel forẽsis habitator dictę Terrę cõduxerit per mare aliquas merces cuiuscunq; qualitatis, uel speciei, & alibi, q̃ ad Littus, siue ripam dictæ Terræ, exonerauerit, seu deposuerit, & demum eas ad dictam Terram, seu eius territorium conduxerit, soluere teneatur Gabellario solitam gabellam, ac si in Littore, & Splaggia dictæ Terrę deonerasset, & conduxisset, nisi in maris tempestate, uel alio aliquo casu in Porto condoxisset, & deonerasset. Et si quis in prædictis contrafecerit, quadruplicatã gabellam soluere teneatur, & debeat. Item si quis, cuiuscunq; conditionis existat, cõduxerit aliquas merces cuiuscunq; generis per mare, & ad Littus, seu Splaggiam dictę Terrę deonerauerit, soluat, & soluere teneatur Gabellario dictę Terrę quadrantẽ unum pro singulis florenis ualoris, & precii, quo Mercator, & conductor emerit: de quo ualore, & precio stetur sacramento Mercatoris, & cõductoris. Item q. res per mare conductę, de quibus gabella semel soluta fuerit, & animalia missa per forenses causa pascendi, ad dictum territorium, cum eorum fętibus, & fructibus, necnon animalia Macellariorum Communis ad macellum apta & pro ipso macello, uidelicet quæ supererint à dicto macello, possint extrahi absq; gabellæ solutione infra

R

tempus permissum à Macellariis, iuxtà formam pactorum, & capitulorum cum nostro Communi initorum. Item q; quilibet conductor quarumcunq; mercium per mare cóductarum ad Littus dictæ Terræ, postq̃ dictę merces deoneratæ fuerint (ut supra) in Littore, & anteq̃ illæ amoueantur, teneatur conductor notificare Gabellario infra sequentem diem, & eas ostendere præfato Gabellario ad omnem ipsius Gabellarii requisitionem, ad pęnam quadrupli ipsius gabellæ; & similiter exigatur dicta pęna quadrupli, & incurratur eadem pœna in omnibus capitulis dictæ gabellę, in quibus fraus per Conductores commissa fuerit cuiuscunq; generis mercium in capitulis dictę gabellę contentarum. Item liceat unicuiq; Mulieri extra Terram, & territorium nuptæ suum cuncium, & quascunque res ad eam pertinētes ad locum, ubi nupta fuerit, extrahere, & extrahi facere absq; solutione gabellę. Liceat similiter cuilibet habitanti, & cōmorantí in dicta Terra sua suppellectilia pro eius usu proprio, & his, qui possident in Terra, & territorio, extrahere absq; dictæ gabellæ solutione, dumodo in proximis duobus casibus ea ad dictā Terrā reconduxerit.

De Gabella Olei. Rub. V.

STATVIMVS, & ordinamus, q; unusquisq; de Terra nostra, qui de ea, & eius territorio extrahere uoluerit, seu extrahi facere oleum de oliuis recollectis in territorio dictæ Terræ, seu uendere alicui forensi, uel terrigenæ, soluere teneatur pro unoquoq; miliari florenos duos monetæ Gabellario per Commune deputato, ad quamcunq; mensurā extractum, uel mensuratū fuerit. Si uerò aliquis terrigena, uel forensis conduxerit aliūde ad hanc nostrā Terram aliquā olei quantitatem, & illam extraxerit, uel uendiderit alicui terrigenę, uel forensi, soluat Gabellario florenum unum pro quolibet miliari. Et ne fraus aliqua in pręmissis cōmittatur, ordinamus, q; ante q̃ oleum extrahatur, extrahēs propriū suum oleū, uel alteri uendens assignare teneatur id Cancellario Cōmunis, uel Gabellario, si conducta fuerit dicta gabella, ad pęnā dupli dictę gabellę. Etidētiā intelligatur in forensibus, qui facerent, uel fieri facerent oleum in dicta Terra. In omni autē casu uendens oleum, pacto quocunq; cum emptore non obstante, teneatur ad solutionem gabellæ.

De Gabella Tractæ Grani, & aliorum Bladorum. Rub. VI.

ORDINAMVS, q; si quis de Terra S. Elpidii, uel habitans in ea, uel quiuis alius forensis extraxerit, seu extrahi fecerit aliquam grani, & aliorum bladorum quātitatem, soluere teneatur pro gabella Deputato à Cōmuni, uidelicet pro qualibet salma grani, fabarum, & leguminum bononenos octo: pro salma uerò ordei, spelę, & milii pro medietate. Et teneatur extrahens bullectinum habere de extrahendo manu Cancellarii Cōmunis, & sigillo Communis munitum. Si quis autē in pręmissis contrafecerit, ultra amissionem rerum supradictarū incidat in pęnam uigintiquinq; lib. deñ. pro qualibet salma, & uice qualibet, & pro quolibet contrafaciente de facto, & sine aliqua diminutione exigēdarū, & applicandarū pro quarta parte accusatori, cui credatur cum uno teste fide digno, & pro altera quarta exequutori, pro residuo uerò Cōmunitati. Ad quam pęnā teneantur etiam uenditores, qui sine prædicto bullectino, ut supra faciendo, extrahi permiserint, uel Cancellario, seu deputato non notificauerint. Si quis autem tantæ fuerit temeritatis, & audaciæ, q; aliquod bullectinum de extrahendo aliquid dictarū rerum facere, seu subscribere, uel solutionē huiusmodi gabellę accipere, uel aliter retinere à dictis emptoribus pręsumpserit, incidat in pęnam quinquaginta lib. deñ. de facto exigendarum, & applicañ. ut supra. Et unusquisq; possit esse officialis, & exequutor, uel accusator in casibus præmissis.

De solutione Gabellæ animalium. Rub. VII.

PRAESENTI Statuto ordinamus, q; unusquisque de nostra Terra, uel habitator in ea habens bestias, seu animalia apta ad gabellam teneatur, & debeat per totum mensem Septembris assignasse, ac scribi fecisse eorum animalia per Cancellarium no-

stri

ftri Communis per uerum, & determinatum numerum animalium fine fraude. Recusantes autē, seu negligentes dictā assignationem facere modo prædicto per totum dictū tempus, ipso facto habeantur pro fraudantibus dictam gabellam, omni exceptione remota, & incidant in pœnam decem librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet de facto exigendarum. Et DD. Priores, qui pro tempore residebunt, teneantur fieri facere publicas proclamationes, & bandimenta per loca solita, & consueta dictæ Terræ in principio dicti mensis Septembris, q omnes habentes animalia ut supra, debeāt infra dictum tempus, modo, & forma ut supra, dictā assignationem fecisse, sub iam dicta pœna. Quorū animaliū domini teneantur soluere infrascriptā gabellam, uidelicet pro quolibet animali grosso bonoñ. quinq;, pro quolibet porco, bononeñ. quatuor, pro qualibet scrofa bonoñ. octo, pro qualibet capra bonoñ. tres, pro quolibet ouium centenario florenos uigintiquinq; terrigenarum: forēsium uerò, prout Cōmunitati uidebitur, & cum dominis earūconcordabitur. Cuius gabellę solutiones hoc modo fieri debeant, uidelicet. Gabella animaliū grossorum soluatur in festo Omniū Sanctorū, Porcorū in festiuitate Natiuitatis S. D. N. IESV CHRISTI, Caprarū in Octaua Paschatis Resurrectionis eiusdem D. N. IESV CHRISTI, uel aliter, prout Concilio uidebitur: Pecudum de mense Maii, uidelicet in principio usq; ad medium. De Natis uerò, seu fœtibus supradictorū animalium ante mensem Septembris per unū mensem ante, uidelicet Augusti soluere teneantur medietatem dictæ gabellę iuxtā qualitatem dictorū animalium. De Natis uerò post mensem Septembris nō soluatur aliqua gabella, durante anno illius Gabellarii, seu Cōductoris, nec sit necessariū illa assignare. Elapso autē dicto mense Septembris, nemo possit in pascuis nostri Cōmunis aliquem numerum animalium prædictorū retinere, uel immittere, nisi obtenta licentia à Concilio generali dictæ Terrę. Et si quis noster Ciuis, durante anno assignationis gabellæ prædictæ, aliquem numerum animalium prædictorum alteri uendiderit, emptor ille liberè, durāte dicto anno, retinere possit absq; solutione aliqua. Si uerò uenditio facta esset forensi uolenti retinere aliquem numerū dictorum animalium, teneatur soluere gabellam, arbitrio Concilii dictæ Terræ.

De animalibus Forensium. Rub. VIII.

STATVIMVS insuper, & ordinamus, q nemo forensis, cuiuscunque status, gradus, præeminentiæ, & conditionis existat, audeat, uel præsumat sub quouis quęsito colore cōducere, seu immittere, conduci, seu immitti facere, seu quouis modo retinere, uel retineri facere directè, uel indirectè aliquod genus animalium ad pascendū in territorio nostræ Terræ sine licentia Mag. DD. Priorum pro tempore existentium, & Concilii generalis legitimè obtenta. Qui Mag. DD. Priores unà cum Concilio prædicto habeant omnimodam auctoritatem dandi, & concedendi licentiam prædictā conducendi, & retinendi oues, siue pecudes forensibus in pascuis prędictis, dumodo cum ouibus immissis, & retinendis à nostris Ciuibus in dictis pascuis nō excedant numerum quatuor miliū ouium. Si uerò plures reperiantur numero prædicto, solutio gabellæ prædictorum animaliū ultra numerum prædictum cedat lucro Cōmunitati: & nihilominus contrafacientes incidant in pœnam quinquaginta sol. pro qualibet pecude, seu animali de facto exigendorū. Et quilibet possit accusare, & lucretur quartā partem pęnę. Et, quia natura impellimur, ut prius nobis ipsis cōsulamus, q aliis, propterea ordinamus, q Ciues nostri de eorū propriis ouibus, & nō aliter, retinere ualeāt usque ad numerū prędictū. Forensibus autē licētia minime concedatur, nisi in defectū q Ciues totidē non retinuerent, quo casu licentia illis concedatur usq; ad complementū numeri prędicti. Qui Forenses teneātur soluere pro quolibet cētenario ouiū, uel pro quibusuis aliis animalibus, prout Cōcilio generali dictę Terræ uidebitur. Et si Mag. DD. Priores contrariū tentare præsumpserint, uel fecerint, incidant in pęnā uigintiquinq; librarum deñ. pro quolibet, & uice qualibet ab eis de facto aufereñ.

& pro medietate Cōmuni, pro quarta uerò parte Gabellario, & pro alia accusatori applicandarū. Et, quia quotidie fraudes committuntur, ordinamus, q̄ nullus Ciuis, seu habitator dictæ Terræ audeat, uel præsumat quo quo modo immittere, & retinere, seu immitti, & custodiri, & securum facere directè, uel indirectè sub quouis quæsito colore aliquod genus animalium forensium in pascuis dictę Terrę, illa assignando pro suis ob minorem gabellam in fraudem, etiam si illa sint colonorū forensium, seu aliorum, & sub colore aliquando contractuum fictitiorum, uel alio titulo, & nomine, sub pœna uiginti solidorum pro quolibet bononeno, quem deberet soluere pro mera gabella, sine diminutione exigēdorum, quotiescunq; fraus huiusmodi detecta fuerit. Cuius pęnę quarta pars Conductori Gabellæ, altera quarta accusatori, residuū uerò Cōmuni applicetur. Et forenses omnes intelligantur, qui per decem annos in hac nostra Terra, uel eius territorio non habitauerint, & similiter omnes alii, qui quamuis habitauerint, iurisdictioni tamē nostri Communis subiacere recusauerint. Et si subiectus nostrę iurisdictioni retineret, uel custodiret animalia non subdita ratione immunitatis prætendens non teneri ad aliquam gabellę solutionem, ipse custos, uel aliter retinēs gabellam integram soluere cogatur, & compellatur. Et si pariter custos esset priuilegiatus, uel exemptus, libertatem unicuiq; concedimus de eorum possessionibus illum, & eius animalia expellendi, & contra eorum uoluntatem ibi dem minime pascere liceat, cùm iuri, & æquitati consonum sit, quemquam ob immunitatem uti re aliena, inuito domino, non posse, nisi precio soluto, nisi ita pascere uolentes licentiam (ut supra) à Communi obtinuerint, & gabellam prædictam, prout dicto Communi uidebitur, persoluerint. Declarantes, & decernentes, non licere Conductori, seu Gabellario petere aliquod interesse à Communitate, eo q̄ immunes, & exempti prędicti soluere (ut supra) recusauerint, & pascuis uterentur: non obstantibus quibuscunque conuentionibus aliter factis.

De pœna illorum, qui prohibent iurisdictioni nostræ subiectos animalia retinere in pascuis Communis. Rub. VIIII.

INIQVVM esse censentes, q̄ Ciues, incolæ, habitatores, seu forenses, qui cum nostro Communi, seu Conductore (forma, ut in præcedenti statuto, seruata) se concordauerint, & ius pascendi emerint, postea à dominis possessionum uti dictis pascuis prohibeantur, & ab eis animalia absq; causa, & ratione expellantur, iccircò hac lege perpetuò ualitura firmamus, nulli licere de possessionibus propriis, seu conductis quomodolibet animalia oneri gabellę subiecta de locis pascuorum quomodolibet reiicere, uel expellere, & impedimētum aliquod inferre, ex quo pascere liberè nequeant. Si quis autem in prędictis contrafecerit, pœna uigintiquinq; librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet de facto mulctetur, & exigatur, & pro quarta Officiali exequenti, pro alia accusatori, & pro residuo Communi applicetur. Et si Mag. DD. Priores, qui pro tempore fuerint, negligentes in prædictis extiterint, in eandem pœnam incidant, exceptis locis custoditis, uel giustatis tempore, & modo debitis.

De Gabella Macinæ Molendini. Rub. X.

STATVIMVS, & ordinamus, unumquemque Ciuem, incolam, uel habitatorē in hac nostra Terra, & eius districtu deferentem, uel deferri facientem granum, ordeū, speltam, miliū, fabas, & alia quęcunq; blada, seu legumina ad molendinum, teneri, & obligatum esse soluere pro qualibet salma prædictorum ordinaria solidos quinque, & ab inde infra, pro rata. Et unusquisque ponderare, uel ponderari facere teneatur, sub pœna decem librarum denariorum pro quolibet, & uice qualibet. Et portans aliquod prędictorū ad Molendinū sine bullecta, etiā q̄ non soluerit gabellam, nō intelligatur fraudem commisisse,

misisse, si farinam à molendino non extraxerit: neque etiam ille, qui plus iustæ mensuræ unius salmæ dimidiam quartæ tulerit ad dictum molendinum, uel ab inde infra, cùm de minimis non curet Prætor, quod eius arbitrio remittimus.

De Gabella Cinciariæ. Rub. XI.

STATVIMVS, quod nullus forensis posit ire per hanc nostrā Terram, & eius territoriū uendendo uasa, lances, patinas, alueolos, siue scutellas, ollas, saponem, fusa, digitalia, ligulas, acus, piper, uel alia quæcunque huiusmodi ad dictā Gabellam pertinētia absque solutione, & mercede cōtenta in capitulis Gabellarij, seu Conductoris dictę gabellę absque ipsius expressa licentia, sub pęna contrafacienti pro quolibet, & uice qualibet quinque librarum den. Nullus etiam terrigena, uel forensis posit emere à deferentibus aliquas res ad dictam Gabellam pertinentes causa reuendendi eodem met die, quo deferuntur, sub pęna decem librarum den. pro quolibet, & uice qualibet nostro Communi applicādarum. Omnes autē deferentes aliqua bona ad dictā Gabellā pertinentia sint omnino exempti, & immunes à solutione dictæ gabellæ pro eodē die, quo huc accesserint cū dictis rebus.

De Gabella Vecturæ, seu Catregii Molendini. Rub. XII.

CONDVCTOR huiusmodi Prouentus, seu Gabellæ teneatur, & obligatus sit dictum officiū per se ipsum, & non per substitutum exercere, nisi fuerit de eadem familia insimul habitans: & ad requisitionem cuiuscunque petentis teneatur portare ad nostrum molendinum frumentum, seu bladum eodem die, uel saltem sequenti, quo fuerit sibi assignatum, & mensuratū in sacco, illudque ponderare ad petitionem uolentiū, & inde farinam reportare, & ponderare, & domino cōsignare, sub pęna quinque librarum den. pro quolibet, & uice qualibet. Elapsis autem duobus diebus ad plus à die requisitionis, ut supra factæ, liceat domino frumenti, uel bladi impunè portare, uel portari facere ad dictum molendinum: excepto grano, seu blado molendo pro Abundantia, & usu pauperū, quod eodem die uehere teneatur, sub iam dicta pęna. Nequeat etiam dictus Cōductor facere aliquod aliud exercitium, neque ire ad uecturam, sed tantùm dictum eius officium exercere sine aliqua intermissione, sub pęna quinquaginta solidorum pro quolibet, & uice qualibet. Ipso autem recusante, uel aliud exercitiū faciente, liceat domino grani, seu bladi portari facere à quocunque sumptibus dicti Conductoris pro precio, quo cōuenerit pro qualibet salma. Nemini uerò liceat precio portare, uel uehere alterius granum, seu bladum ad molendinum, nisi suum proprium, sub pęna decem librarum den. pro quolibet, & uice qualibet applicādarum Communitati, Conductori, & Exequutori pro ęquali portione. Liceat tamen unicuique pro usu proprio cum bestia aliena, uel in dorso, seu propriis humeris duas quartas grani liberè, & impunè deferre. Habeat autem, & recipere posit dictus Conductor à quolibet pro qualibet salma frumenti, uel bladi bononenos quinque, & ab inde infra, pro rata pro eius labore, & mercede, & plus petere non posit, sub pęna quinquaginta sol. uice qualibet sine diminutione exigendorū. Teneatur autē dictus Conductor soluere precium cōductionis conuentū cum Cōmunitate de bimestri in bimestre, uel ut conuentū fuerit, sub pęna uigintiquinque librarū den. & ad expensas Exequutorum teneatur, uel ad alia damna, & interesse per Cōmune occasione præmissa passa, uel quę pati posset.

De Gabella Passus Cluentis. Rub. XIII.

STATVIMVS, & ordinamus, quod Conductor Passus in Flumine Cluentis teneatur, & debeat assiduè, & continuè noctu, dieque ibi permanere ad transuehendum omnes, & singulos transeuntes, ac uiatores, ibique Cymbam, seu Nauiculā bene aptatā, & mu

nitam,ut commodè,& absque periculo aliquo quoscunque transuehere possit, habere,& tenere sumptibus,& expensis Communis, sub pœna dicto Conductori contrafacienti in præmissis uigintiquinque librarū denariorum uice qualibet nostro Communi pro dimidia,& pro residuo executori, & accusatori æquis portionibus applicandarum. Habeat autem,& accipere possit dictus Conductor pro eius mercede,& naulo,ac labore, si aqua clara fuerit,bononenum unum pro quolibet capite. Si uerò aqua turbida fuerit,habeat,& habere debeat bononenos duos pro quolibet capite. Si uerò flumen ita magnum fuerit, & ui aquarum impetuosè rueret,ut sine aliquali periculo transuehere non possit,recipere ualeat prout inter ipsum, & uiatores conuentum fuerit, dumodo ultra summam decem bononenorum quouis modo recipere non possit,sub pęna in quolibet prędictorum casuum decem librarum denariorum de facto,& sine aliqua diminutione exigendarum, & ut supra applicandarum. Nemini autem liceat,durante conductione, stare in dicto Flumine,quousque se protendit territorium nostrum,pedester,uel cum equis, uel cum cymba ad transuehendum aliquem uiatorem,uel transeuntem,sub pęna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet,& uice qualibet de facto,ut supra applicandarum. Teneatur tamen,& obligatus sit dictus Conductor transuehere, seu transuehi facere omnes, & singulos nostros Ciues,habitantes,& incolas,ac etiam homines, & personas de Terra Ciuitauonæ gratis,& sine aliqua solutione mercedis,sub prædicta pœna. Et, ut omnis uiator sciat,quod soluere debeat, teneatur dictus Conductor habere, & tenere appensam ad arborem Cymbę tabulam cum notula mercedis soluendę,& recipiendę pro transitu Fluminis,sub iam dicta pœna,ut supra applicanda.

De Gabella Hospitii Communis. Rub. XIIII.

STATVIMVS, & ordinamus,q. Conductor Hospitii teneatur,& debeat habere, & retinere dictum Hospitium nitidum , aptum , & commodum ad hospitandum quemlibet forensem hospitari uolentem,& omnes,& singulos forenses, & aduenas hospitari,recipere,& tenere. Et insuper dictus Conductor teneatur,& debeat habere omnia,& singula suppellectilia necessaria,& oportuna,ac retinere mensuras iustas,& æquatas, & sigillo Communis signatas,& unicuique iuxtà mensuram dare,sub pœna in quolibet prędictorum casuum decem librarum denariorum uice qualibet. Teneatur etiam recipere, & custodire omnes, & singulas bestias ad dictum Hospitium reducendas, & ipsi consignatas occasione damnorum datorum, uel alia quacunque occasione, & causa,eius periculo,& expensis,recepta tamen infrascripta mercedis solutione,uidelicet pro qualibet bestia magna,uidelicet bouina,bubalina,equina, asinina, & his simili, si non pernoctauerit, neque de stramine dicti Conductoris comederit,bononenum unum. Si uerò pernoctauerit, & de stramine dicti Conductoris comederit, bononenos duos pro qualibet bestia magna. Pro aliis uerò minutis,uputà porcinis,caprinis,ouinis,seu pecudinis,& his similibus,nisi dictæ bestiæ pernoctauerint,quadrātem unum recipiat pro singulis earum. Si uerò pernoctauerint,ipsaq; animalia ad pascua miserit, quadrātes duos habeat pro singulis,nec plus petere,seu recipere possit. Pro bestiis uerò forensium,in quolibet prædictorū casuum soluatur pro mercede, prout à Mag.DD.Prioribus pro tempore existētibus taxatum fuerit. Nemini autem liceat hospitari, seu Tabernam facere sine licentia supradicti Conductoris,nisi tempore nundinarum,sub pęna cuilibet contrafacienti decem librarum denariorum dicto Conductori, & Communi pro uirili applicandarum. Teneatur quoque dictus Conductor hospitari,& recipere omnes,& quoscunque accedentes causa, & occasione Communitatis,illisq; potum, & cibum dare, & alia necessaria præbere, & id pro mercede recipere,quod à Mag. DD. Prioribus pro tempore existētibus declaratum fuerit. Neque ipse Conductor possit in dicto hospitio retinere Meretrices,Lenones,nec alias inhonestas personas, sub pęna uigintiquinq; librarum den.de facto auferendarum.

De Gabella

De Gabella Pedagii Portus. Rub. XV.

STATVIMVS, & ordinamus, q; Conductor Gabellæ Pedagii Portus nostræ Terræ posſit, & ualeat habere, & recipere ab omnibus, & ſingulis tranſeuntibus per Littus, ſeu Splaggiam noſtri Communis, uel illuc cum Nauibus, Nauigiis, & Barchis ap pellentibus, pro quibuſcunque Mercibus, ſeu Mercantiis, & rebus, cuiuſcunque generis ſint, quæ conducerentur, uel immitterentur, extraherentur, & traherentur, tàm per mare, quàm per terram, modo, & ordine infraſcripto, uidelicet.

TABVLA PEDAGII PORTVS TERRAE S. ELPIDII.

Auaci per ciaſchun centinaro di libre. ſoldi.	2
Anguille di qual ſi voglia ſorte per centinaro. ſoldi.	2
Amandole per ciaſchun centinaro. ſoldi.	2
Alumini de ſeci per migliaro. ſoldi.	5
Auellane per ſoma. ſoldi	2
Agli per ciaſchuna ſoma. ſoldi	2
Bambace per ſoma di quattrocento libre. ſoldi.	10
Brulla per migliaro. ſoldi.	6
Beſtie minute per cẽtinaro. ſol.	12
Beſtie Bouine p ciaſchuna. ſol.	2
Botte piene per ciaſchuna. ſol.	2
Botte vote. ſoldi.	1
Cera per centinaro. ſoldi.	6
Curami peloſi di Beſtie minute per ſoma, ſoldi.	4
Curamo concio per ſoma. ſoldi,	6
Cori Bouini, Equini, & Bufalini per balla. ſoldi.	4
Caſſe vacue d'abeto p ciaſchuna. ſoldi.	1
Ciauaroni per centinaro. ſoldi.	6
Conci di Brulla finiti p ciaſchuno. ſoldi.	2
Conſolſi d'Abeto per centinaro. ſoldi.	8
Catine rotõde per cẽtinaro. ſol,	4
Conche per centinaro. ſoldi,	4
Calzaretti per cento para. ſol,	5
Carta Bãbacina per ſoma. ſol,	4
Carta pecorina p cẽtinaro. ſol,	6
Carta ſtraccia per ſoma. ſoldi,	2
Caſtagne per ſoma. ſoldi.	2
Carratelli nuoui p ciaſchun. ſol.	1
Cerchij per ſoma. ſoldi,	1
Caſio dolce per ſoma. ſoldi,	6
Caſio ſalato per ſoma. ſoldi.	4
Carne ſalata per ſoma. ſoldi.	4
Canneuaccio per ſoma. ſoldi.	2
Campane di peſo di cento libre. ſoldi.	8
Campane di maggior peſo di cento libre. ſoldi.	16
Cimino per centinaro. ſoldi.	2
Coppi per migliaro. ſoldi.	4
Cepolle per ſoma. ſoldi.	2
Cauallo, ò Mulo p ciaſcuno. ſol.	2
Dogbe finite, e Fundi di Botte p ciaſchuna ſoma. ſoldi.	4
Dogbe p Secchie, Barili, Bigonzi, et altri ſimili per centinaro. ſoldi.	2
Grani per ſoma. ſoldi.	2
Guarnelli per pezza. ſoldi.	1
Grano per l'Abondanza non è obligato. ſoldi.	0
Inciſorij, ouero pianelli per ſoma. ſoldi.	2
Karrabie per ſoma. ſoldi.	1
Lana p ſoma di cẽto libre. ſol.	4
Lancie concie per cẽtinaro. ſol.	8
Lancie non concie. ſoldi.	4
Lino per ciaſchuno Rubbio. ſol.	1
Lentaſſo per ſoma. ſoldi.	1
Lozzari doppij p cẽtinaro. ſol.	8
Legumi per ſoma. ſoldi.	4
Melarancie per migliaro. ſold.	4
Mele per centinaro. ſoldi.	2
Mattere per centinaro. ſoldi.	16
Macine per Fliſcoli p ciaſchuna. ſoldi.	40
Macine da Molino per ciaſchuna. ſoldi.	20
Macine del Commune. ſoldi.	0
Metalli lauorati p cẽtinaro. ſo.	10
Mela per ſoma. ſoldi.	1
Miglio per ſoma. ſoldi.	1
Noci per ſoma. ſoldi.	2
Oglio per migliaro. ſoldi.	4
Orzo per ſoma. ſoldi.	1
Pepe per centinaro. ſoldi.	16
Panni colorati di valore di libre ducento, per ſoma. ſoldi	10
Panni colorati di minor valore, per ſoma. ſoldi.	8
Pãni colorati di valore da quello in ſu ſino à ducento libre, per ſoma. ſoldi.	15
Panni colorati di valore di ducento libre in ſu p ſoma. ſol.	20
Panni Gattinelli per ſoma. ſol.	4
Pellecciarie per ſoma. ſoldi.	4
Peſce freſco per ſoma. ſoldi.	2
Peſce ſalato, Strõbi ſecchi, e ſimili per ſoma. ſoldi.	4
Peſce di Tenga, Lucci, e ſimili per centinaro. ſoldi.	2
Piombo per centinaro. ſoldi.	2
Pale di legno per cẽtinaro. ſol.	2
Panni di Raſcia per centinaro di braccia. ſoldi.	2
Pera, & altre ſimile Poma per ſoma. ſoldi.	1
Pale di ferro per cẽtinaro. ſol.	8
Per ciaſchuna Soma data in cõſerua per vn meſe. ſoldi.	1
Rame lauorato p cẽtinaro. ſol.	6
Rame non lauorato per centinaro. ſoldi.	4
Sale per cẽtinaro de moggi. ſol.	
Spetiarie di qual ſi voglia ſorte per ſoma. ſoldi.	18
Seme di Lino per ſoma. ſoldi.	2
Seta per centinaro. ſoldi.	20
Stagni per centinaro. ſoldi.	18
Schiauine di qual ſi voglia ſorte per ciaſchuna. ſoldi.	1
Scotano per ſoma. ſoldi.	2
Sapone per centinaro. ſoldi.	2
Spelta per ſoma. ſoldi.	1
Traui groſſi per ciaſchuno. ſol.	4
Traui de Cordeſche per ciaſchuno. ſoldi.	2
Tauole ſegaticcie per centinaro. ſoldi.	8
Tauole paragonate de ſauo per cento. ſoldi.	2
Tauole ſquarciaticcie per centinaro. ſoldi.	6
Vino per ſoma. ſoldi.	2
Vue paſſare per centinaro. ſol.	2
Vinci in brãcate per ſoma. ſol.	2
Vitrij per caſſa. ſoldi.	4
Vaſi pinti per ſoma. ſoldi.	2
Vaſi non pinti per ſoma. ſoldi.	1
Zaffarano per centinaro. ſoldi.	80
Zucchari per centinaro. ſoldi.	4

Qui Conductor ultra ſupraſcriptam taxam nihil recipere ualeat, ſeu poſsit, ſub pœna decem librarum denariorum uice qualibet, & ſine diminutione, uel proceſſu exigendarum, pro una quarta parte Exequutori, & pro reſiduo Communi applicandarum.

De Nauigiis, & Barcis. Rub. XVI.

ORDINAMVS, q. si aliquod Nauigium, seu Barcha dederit in portu in littore, seu riueria maris nostræ Terræ, & onerabitur, soluat pro gabella nauigamẽti pro quolibet centinario stadiorũ bonoñ. uiginti Conductori prædicto. Et quicunq; ueneris cum aliqua barcha, qui funem, siue rudentem, uulgò sarto, d cauo, iecerit, soluat bonoñ. duodecim. Si quis uerò uenerit, seu introierit flumen, siue os fluminis Cluentis à latere nostro, soluere teneatur bononeñ. decem. Et si Patroni immunes, uel exempti, & liberi essent, teneantur dictum nauigamentum soluere Nautæ, & Mercatores ipsorum. Et plus petere, uel recipere Conductor prædictus non possit quo quo modo, sub prędicta pęna.

De pęna Conductorum Gabellarum exigentiũ plus debito, & fraudem committentium. Rub. XVII.

NEMO. Publicanorum, seu emptorum prouentus cuiuscunq; nostri Cõmunis, seu ad exigendum Vectigalia deputatus audeat, uel præsumat sub quouis quæsito colore exigere, uel accipere plus debito, & ultra modum à statutis præfixum, quod ad unguem seruare teneatur. Et si contrafecerit, uel fraudem quo quo pacto commiserit, poenam decem solidorum pro quolibet solido plus, & indebitè exacto incurrat ipso facto; & parti damnum emendare teneatur. In prædictis autem procedatur per inquisitionem, denunciam, uel accusationem.

De Gabella rerum specialiter non expressarum. Rub. XVIII.

QVIA plura sunt negocia, quàm uocabula, propterea ordinamus, q. de omnibus, & singulis rebus, de quibus in præsenti uolumine statutorum de materia loquentium specialis mentio facta non esset, immittens, extrahens, uendens, emens, uel qualitercunque contrahens soluat, & soluere teneatur gabellam omnino de similibus ad similia. Et si aliquod dubiũ oriretur, uel occurreret, tunc talis dubii declaratio pertineat ad Mag. DD. Priores, qui pro tempore fuerint.

Quòd nullus Patronus Nauigii possit onerare, seu exonerare aliquas merces sine licentia Officialis. Rub. XIX.

STATVIMVS, nulli Patrono alicuius Nauigii magni, uel parui licere onerare, uel onerari facere aliquas merces, seu res in ipso Nauigio, uel de ipso Nauigio exonerare sine licentia expressa Conductoris Gabellæ, sub pœna uigintiquinque libratum denariorum; & nihilominus de ipsis mercibus, uel rebus soluat gabellam duplicatam. Et nullus de littore, uel de aliquo loco dicti littoris, seu Splaggiæ debeat in domo mittere mercantias, siue merces sine licentia dicti Conductoris, uel res, quę exonerarentur, uel onerarentur in aliquo Nauigio, uel de aliquo Nauigio, portet, seu deferat, sub pęna centum solidorum à quolibet contrafaciente exigendorum.

CAPITVLA NVNDINARVM. Rub. XX

PRIMA, ch'il luogo, doue si debba fare la Fiera, cioè doue s'haueranno à uendere Mercantie, s'intenda essere dentro la Terra nella Piazza della Communità, e per la strada maestra: & il luogo, doue si uendano gli Animali, sia fuori della Porta del Gitone, e per la strada come sequita fino à Santo Agostino, e per la Terra uecchia, e per li Fossi della Terra fino alla Porta murata.

Item che la detta Fiera s'intenda essere franca, e libera à tutti Forastieri, che conducessero, ò comprassero, ouero uendessero Mercantie in essa Fiera nel tempo ordinato, cioè dal di di S. Marco del mese d'Aprile insino alla uigilia esclusiuè dell'Ascensione di N. Sig. e quindeci giorni prima, e quindeci dopò, cioè che infra detto tempo possano mettere, cauare, comprare, e uendere ogni sorte di Mercantie & Animali senza Gabella alcuna, ouero Datio, nõ intendendosi di quelli che uendessero Grano, Farina, Pane, Vino, Oglio in grosso, e Carne à taglio, & ogn'altra sorte di Biada, e Vettouaglia. Specificando, che la Carne salata, e Casio, che se uendono à pezzi intieri, non se debba pagare gabella, eccetto non se uendesseto à taglio. Ma li Forastieri, che uendessero detta Carne salata, e Casio à taglio, non siano obligati à pagar gabella alcuna.

Anchora, che durante il detto tempo della Fiera, Cittadini, e Contadini, li quali conducessero, infondicassero, comprassero, uendessero, ò cauassero alcuna Mercantia, non siano tenuti à gabella alcuna. Dechiarando però, che le robbe, le quali s'hauranno ad infondicare, se debbano assignare alli Gabellieri: e finita la Fiera, li Cittadini sieno obligati à requisitione de'Gabellieri per giuramento chiarire quello che gl'auanza. Dechiarando, che le robbe comprate per uso suo proprio non se ne paghi gabella. E quando difficultà alcuna nascesse nelle cose, che si uêdono, ò cauano, debbasi determinare da gli Consoli d'essa Fiera con giuramento di quello che la uendesse, infondicasse, ò cauasse, ò per qualunque modo occorresse dubio alcuno, e differentia, se debba (come s'è detto di sopra) per essi Consoli terminare, conoscere, e dechiarare omni meliori modo, &c.

Anchora, che Mercanti forastieri possano loro robbe, e mercantie mandare nel Porto, e Terra nostra fra l'anno come gli occorrerà ogni uolta, e quelle riponere, e conseruare in fino al tempo della Fiera senza pagare gabella alcuna, da quale gabella sieno liberi, e franchi per tutto'l tempo d'essa Fiera. E che gli detti Mercanti possano tutte loro mercantie, e robbe cauare, e far cauare per tutto'l mese di Giugno sequente in ogn'anno, che sarrà la Fiera senza alcuna gabella, ò datio. E caso ch'alcuno passasse, ouero con animo di non uêdere in detta Fiera mettesse alcuna robba, ò mercantia, e sotto colore di franchitia in quel tempo le cauasse, debba pagare la solita gabella.

Anchora, che sia lecito ad ogni persona fare la sensaria nella detta Fiera, purche sappia leggere, e scriuere à causa che possa tener conto delli mercati, che faranno per lor mani. Dechiarando, che s'habbia à far scriuere dal Notaro de'Soprastanti della Fiera, altrimête qualunque mercato per essi fatto s'intenda esser nullo.

Anchora dechiaramo, che la suddetta Fiera sia, & esser debba libera, e franca ad ogni persona, che à quella uerrà: à tal che nissuno Cittadino, Contadino, ò Forastiero, di qualunq; conditione, e loco sia, possa esser astretto, ouero conuenuto da alcuno suo creditore per qualunq; debito se sia contratto dinanzi, durante il tempo della detta Fiera, ne per represaglie di comune, ne di speciale persona, c'hauesse contro alcuno, durante il tempo d'essa Fiera: eccetto per debiti fatti nella detta Fiera, per li quali possa esser conuenuto, & astretto à quello che la raggione uorrà. E similmente che durante il detto tempo, non si possa giurare alcuno sospetto, e fugitiuo.

Anchora, che la detta franchitia non s'intenda per alcuno bandito, inimico, ribelle, ò traditore della Santa Chiesa, e della nostra Comunità, ne per quelli che comettessero al-

cuno delitto, ò maleficio in essa Fiera, ò durante il tempo d'essa, fora, nella Terra, e territorio nostro, contra i quali habbia pieno arbitrio punire, e condennare nella persona, e nella robba (secondo la qualità de' casi) de pena dupplicata per li nostri statuti ordinata, summariamente, senza strepito, e figura di giudicio.

Anchora, che se debba fare il bossolo delli soprastanti, li quali habbino ad intendere, conoscere, e terminare summariamente senza strepito, e figura di giudicio alcuno, tutte lite, e differenze, che nel comprare, e uendere, & in ogn'altra occasione in essa Fiera occorressero. Et il Podestà, à loro richiesta, debba cõsegliare nelli casi dubii detti Consoli, ò Soprastanti. Et che nissuno Auuocato, ò Procuratore possa in tal differenze interuenire, ne intromettersi in modo alcuno per uia di litigio, sotto pena di uenticinque libre de danari per ogni uolta che contrafarrà.

Anchora, che li Soprastãti d'essa Fiera per li tempi deputati debbano prouedere, acciò cõmodamente possano stare li Mercanti fare allocare à bon mercato, secondo che si portrà, botteghe, e case necessarie, e similmente prouedere delle cose necessarie al uitto, acciò sia abondante la detta Fiera, secondo meglio ad essi parerà. Et chi della detta Terra, ò contado farrà pane, ò portarà à uẽdere nel tempo della Fiera, nõ sia tenuto à gabella alcuna.

Anchora, ch'ogn'uno habitante nella nostra Terra, e suo territorio, durante la detta Fiera, sia tenuto, & obligato ogni giorno di festa menare, e condurre li suoi animali alla detta Fiera, sotto pena di cinquanta libre per ciascuno, & ciascuna uolta che contrafarrà.

Ancora, che'l nostro Podestà, ò sua Corte nõ possa in mod'alcuno intromettersi nelle cause spettãti alla detta Fiera, sotto pena di uenticinq; libre da ritenersegli del suo salario.

Anchora, che si debba agiustare, & assettare tutti pesi, e misure della Cõmunità, e prouedere de tutti gl'altri pesi, e misure, che s'agiustino, acciò alcuno non sia defraudato.

CAPITVLA FORI, SEV MERCATVS. Rub. XXI.

ANCHORA, Che'l Mercato si faccia nella nostra Terra il giorno del Mercordi, & ogn'uno sia franco, e libero d'ogni, e qualunq; datio, e gabella, durante il detto giorno, tãto della messa, quanto della tratta d'ogni sorte di robbe, e grascia, tanto forastiero, come terriero, della gabella peso, e datio spettante alla nostra Communità.

Anchora, che'l luogo del Mercato s'intẽda tutta la Piazza fino alla Porta del Gitone.

Anchora, commettendosi in tal giorno alcuno delitto, ò maleficio, la pena si duplichi, tanto in fatto, come in parole nel luogo del Mercato.

Ancora, ch'in tal giorno ogn'uno forastiero, e terriero sia libero, e frãco per debiti ciuili; etiã che fusse giurato sospetto di fuga, ne'l Podestà, ò sua Corte possa proceder cõtra li predetti per tal causa, sotto pena di due scudi per ciascuno, e l'essecutione, ò cattura sia nulla.

Anchora, che'l luogo del Mercato per Bestiame sia dalla Porta del Gitone fino à San Roccho, e per il Fosso del Comune appresso alle Mura, ne si possa mettere in tal giorno Bestie dentro alla Terra per uendere, sotto pena di uinti bolognini per ciascuna Bestia, eccetto le feste di Natale, nelle quali sia lecito menar Porci per occiderli.

Anchora, che di tutte robbe terrere, che si uendessero in tal giorno, pertinenti alla gabella, il uenditore sia obligato pagare la debita gabella, ò peso di dette robbe.

Anchora, ch'in tal giorno Pizzicaroli, Hebrei, ò altre persone non possano in modo alcuno comprare, ne far comprare, ne accapartare per incaneuare, eccetto per uso proprio, alcuna sorte di robbe, ò grascia fino ad hora di mezo giorno al tocco della campana sotto pena à chi cõtrafarrà per ciascuno, e ciascuna uolta di uenti bol. senz'alcuna diminutione.

Anchora, che tutti Pizzicaroli, & altre persone, ch'in tal giorno dopò l'hora predetta comprassero delle dette robbe, siano tenuti, e obligati reuẽderle à chi ne uorrà comprare, per quel

per quel medesimo prezzo, che l'hauranno comprate per tutto quel giorno del mercato, & il sequente, sotto la pena detta di sopra.

Ancora, nascendo alcuna differenza nel detto giorno del mercato tra persone terriere, e forastiere per conto di detto mercato, li Mag. SS. Priori habbino auttorità di decidere tal differenza, imponendoci perpetuo silentio.

Anchora, che tutti Artisti di qual si voglia arte, quali hauranno robbe da vendere, sieno tenuti, & obligati à far mostra in tal giorno nelle banche delle loro botteghe, sotto la predetta pena.

Anchora, che ciascuno de' nostri Contadini, cioè un per foco sia tenuto, & obligato in tal giorno venire al detto mercato con robbe da vendere, e la donna cusi l'huomo, sotto la predetta pena.

Anchora, che tutti della nostra Terra, tanto Cittadini, come Contadini, che hauranno robbe atte à vendersi al Mercato, le debbano portare, ò far portare in tal giorno al detto Mercato, sotto pena di venti bolognini per ciascuna persona, & ciascuna volta. Et il Podestà sia obligato con ogni diligentia ricercare tutti quelli fussero mancati portar dette robbe, e punirli sommariamente senza alcuna tela di giuditio, sotto pena d'un scudo, se mancarà fare detta richiesta da ritenersegli del suo salario.

Anchora, che per cosa espediente, e necessaria d'esso mercato, li Mag. SS. Priori habbino auttorità spendere dell'entrate del Comune, secondo sarà di bisogno.

Anchora, che nessuna persona habbia ardire, ne presuma levare alcuna sorte di robbe dal proprio luogo doue saranno poste, ne toglierle à Padroni senza lor licenza, ne dare fastidio alcuno à chi dette robbe portasse, sotto pena di mezo scudo per ciascuno, che contrafarà, e ciascuna volta, d'applicarsi per un quarto all'essecutore, l'altro all'accusatore, & il resto alla Comunità.

Anchora, che nessuna persona ardisca, ne possa comprare alcuna sorte di robbe, e grascia atte, e pertinenti al Mercato nel giorno d'esso, in nessun altro luogo, eccetto ne' luoghi deputati al detto Mercato, sotto pena di venti bolognini per ciascuno, e ciascuna volta d'applicarsi un quarto all'essecutore, l'altro all'accusatore, & il resto alla Comunità.

Anchora, che nessuno Hebreo ardisca, ne presumma in tal giorno fino à l'hora di mezo giorno cõprare alcuna cosa da magnare, ne meno toccare alcuna sorte di frutti, d'herbe, pesce, o altre cose da magnare con le proprie mani, sotto pena d'un scudo per ciascuno, & ciascuna volta, d'applicarsi per la metà alla Commmunità, il resto all'accusatore, & essecutore egualmente.

Statutorũm Ecclesiasticæ Terræ Sancti Elpidii de Gabellis
Liber Septimus, & ultimus fœliciter explicit.

DIVINA Annuente Clementia, Diuoq; ELPIDIO fauente, statutorum, municipaliumq; Legum, & Sanctionum Elpidiensis Oppidi uolumen nouissimè compilatum fœliciter explicit, impressum Macerate, labente Anno à Natali Christiano Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Primo, Indictione quartadecima, sedente Sanctissimo in Christo Patre, & D.N.D. PIO eius nominis Quinto Romano Pontifice Optimo Maximo, Piceni Præside Ill. ac Reuerendissimo D. Laurentio Lentio Dei gratia Præsule, ac Principe Firmano, D. Dario Rayoerio Nursino Cæsarei, Pontificiiq; Iuris consultissimo Propræside subscribente. Sub Magistratu, & Regimine prouidorum uirorum Francisci Girardini, Dominici Luciani, Ioãnis Baptistæ Carlutii, & Iacobi Odoardi, nunc in Magistratu residentium. Sit DEO OPTIMO MAXIMO laus, honor, gloria, & gratiarum actio, Qui trinus, & unus uiuit, ac regnat per infinita seculorum secula gloriosus. Amen.

LAVRENTIVS LENTIVS EPISCOPVS, ET

PRINCEPS FIRMANVS IN PROVINCIA MARchia Anconitanæ Gubernator Generalis.

SVPRASCRIPTAS Leges municipales Terræ Sancti Elpidii, quibus litium, atq; dissentionum controuersiæ funditus tollantur, & amputentur, Iustitiaq; his fundamentis nixa unicuiq; ius suum tribuens custodiatur, summo studio, prudentiaq; singulari conscriptas, cum mandato nostro eas uiderit D. Darius Raynerius Nursinus Locumtenens noster in Ciuilibus, fidei, & probitati eiusdem plurimum confidentes, easdem (dumodo Sacris Canonibus nõ sint contrariæ, Ecclesiasticamq; libertatem minime lædere uideantur) his nostris Literis approbamus, confirmamus, auctoritatemq; nostram ad eiusdem Terræ perpetuam tranquillitatem, robur plenariæ firmitatis adiicientes, impartimur, perpetuisq; futuris temporibus in Terra prædicta inuiolabiliter obseruari mandamus, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Maceratæ in Palatio Apostolico, Die Quarta Octobris 1571.

L. EPISCOPVS FIRMANVS GVB.

Visa. Darius Raynerius Locumtenens.

Omisso Sigillo.

Matthaus Lucidus Cancell.

OCTAVIANI HVMILIS PATRIGENATIS

SCRIBAE MACERATENSIS, HVIVS Voluminis Impressionis Correctoris, Epigrammatam.

INTEGER ecce Liber Legum tibi Diue tuarum
ELPIDI, nil his sanctius esse potest.
Seruentur cures recto sub Indice ad vnguem,
Est (nisi seruentur) Iura tulisse parum.
Hoc opus, hic labor est; Populus si Legibus istis
Vtatur, fœlix Patria semper erit.
Præposuit Typis me, sic mandante Senatu,
Scriba Gener, subiq; pondera tanta Socer.
Calcographi mendas Argus uix cerneret omneis;
Siquis inest error, non graue crimen erit.

R E G I S T R V M.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R.

Omnes sunt Terniones.

IN DEI NOMINE

AMEN.

ANNO Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia, sedente, ac fœliciter regnante Sanctissimo Domino Nostro, Domino GREGORIO XIII. diuina disponente prouidentia Romano Pontifice Maximo, sub die verò decima mensis Aprilis eiusdem anni.

HAEC est noua reformatio particulæ Statuti, de qua supra in secundo libro statutorum sub Rubrica LXXII. de successionibus ab intestato ad fol. 38. ibi {*Si verò nec ascendentes, nec descendentes*} vsque ad versiculum *Mater autem* exclusiuè, nuper ædita in publico, & generali Concilio Terræ Sancti Elpidii, more solito, & consueto, seruatis seruandis conuocato, ac in valido, & sufficienti numero congregato, successiueq; per Reuerendissimum Dominum Philippum Segam Bononiensem, Prouinciæ Marchiæ Gubernatorem confirmata; cuius tenor talis est, vt infra sequitur, videlicet.

ITEM, ad tollendas omnes, & quascunque difficultates, quæ quotidie suboriuntur, & possunt in posterum quomodolibet suboriri super statuto de successionibus ab intestato (citra præiudicium præteritorum) ad effectum vt futuris casibus possit congrua adhiberi medela: Statuerunt, quòd dictum statutum reformetur in hunc modum, videlicet quòd stantibus masculis filiis legitimis, & naturalibus ex corpore defuncti procreatis, filiæ fœminę nullo pacto succedere possint in bonis defuncti præfati, sed ab eis, & eius hęreditate censeantur penitus exclusę, constitutis tamen eisdem filiabus dotibus, iuxtà condecentiam domus, & familiæ, ac facultatum. Non extantibus verò filiis masculis prędictis, vt supra procreatis, dictæ filiæ fœminæ reintegrentur, & reintegratæ censeantur ad hæreditatem dicti defuncti in totum, exclusis quibuscunque. Quod consultum fuit approbatum per calculos vigintinouem affirmatiuos, nouem negatiuis restitutis non obstantibus in contrarium.

PLACET, & in posterum iuxtà reformationem præsentem procedi, & obseruari volumus. PHILIPPVS GVB.

ITEM dixerunt, quòd pro faciliori restauratione, & declaratione statuti super successionibus ab intestato (ad effectum vt dictum statutum intelligatur modo ante dicto, & nō aliter) habeatur recursus ad Reuerendissimum D. Gubernatorem Prouinciæ, & de eius assensu tollatur ex corpore dicti statuti illa particula in versiculo *Si verò nec ascendentes, nec descendentes,* vsque ad versiculum *Mater autem,* & imprimatur denuò vnicum folium in eodem statuto reaptandum, dicta particula de medio sublata, eodem statuto in cæteris in suo robore permanente. Ita obtentum fuit, nouem contrarium allegantibus non obstantibus, quia cæteri omnes affirmauerunt.

CONCEDIMVS particulam præscriptam lacerari, & in eius locum pręcedentem reformationem imprimi, & obseruari. PHILIPPVS GVB.

Datum Sancti Elpidii, die vigesima Iulii. M. D. LXXV.

Mercurius Lucius, gratis.

Omisso Sigillo.

ET ego Ioannes Baptista Bonfinis publicus Apostolica, & Imperiali auctoritate Notarius, Ciuis, & Cancellarius Terræ Sancti Elpidii, quia præmissis omnibus, dum sic (vt præmittitur) agerentur, & fierent, interfui, & præsens fui; ideò scripsi, subscripsi, publicaui, signum, nomenq; meum apposui, solitum & consuetum, in præmissorum fidem, ac veritatis testimonium, rogatus, & requisitus, &c.

Omisso Signo.


S. ELP.